EPISTOLÆ

PETRI BUNELLI, PAULLI MANUTII, CHRISTOPHORI LONGOLII, PETRI BEMBI, JACOBI SADOLETI, AONII PALEARII VERULANI

PARTIM SELECTÆ PARTIM INTEGRÆ.

BREVEM NARRATIONEM DE VV. DD. VITIS PRÆMISIT,

ANNOTATIONE PERPETUA IN *BUNELLI* EPISTOLAS INSTRUXIT

ET

INDICEM DUPLICEM ADIECIT

FRIDER. ANDR. CHRIST. GRAUFF,

HELVETO-BERNENSIS,

PHILOSOPHIÆ DOCTOR ET GYMNASII BIENNENSIS DIRECTOR.

Tu, quae mox imitere, legas: nec desinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.

BERNÆ, CURIÆ RHÆT. ET LIPSIÆ,

SUMPTUS FECIT AC VENUNDAT J. F. J. DALP.

MDCCCXXXVII.

»Etsi nemo dubitat, quin iuventus, ad Latinam eloquentiam informanda, in veterum scriptorum, maxime *Ciceronis*, lectione continenda sit, utile tamen est, unum alterumve e disertis recentioribus cognosci, ut eius exemplo via ratioque imitandi facilius intelligatur.«

Ruhnken. Præf. in *Mureti* Opp. T. IV.
(*Ruhnk*. Opusc. T. II, p. 490. ed.
Friedem.)

PIIS MANIBUS
AONII PALEARII VERULANI

VIRI IMMORTALIS MEMORIÆ,
MARTYRIS BEATISSIMI,
FIDEI EVANGELICÆ DEFENSORIS QUONDAM ACERRIMI,
NEFARIO AC DETESTANDO
PII V. PONTIFICIS ROMANI RIGIDISSIMI
JUSSU CRUDELITER NECATI,

HOC EPISTOLARUM CORPUS
gratissimo animo summaque observantia

D. D. D.

Chr. Grauff, Ph. Dr.

TYPIS HALLERIANIS.

PROOEMIUM.

Quanquam statim ab initio in animum induxeram de nova hac epistolarum, sæculo XVI. ab hominibus doctissimis magnaque fama scriptarum sylloge pluribus disputare, et omnino de magna illa lectionis probatissimorum recentioris ætatis auctorum utilitate fusius disserere; tamen, quominus hæc nunc faciam, obstant et temporis angustiæ et nimia, quibus fere obruor, scholasticorum negotiorum moles. His aliisque rationibus, quas omnes enumerare longum est atque molestum, permotus ea tantummodo paucis præmonenda putavi, quæ ipsorum auctorum verba sive textum, quem vulgo nominant, et libelli additamenta spectare viderentur.

Quantopere autem iterata ac repetita recentioris latinitatis epistolarum lectio artem promoveat recte et latine scribendi iam prius *Friedemannus* *) *Kraftius* **), aliique viri doctissimi in suis ipsorum epistolarum collectionibus tam accurate et luculenter exposuerunt, ut facile de iisdem loqui

*) *Friedemannus* e. g. in nota p. III. praef. Bergmannianae operum Ruhnken. (Brunswig. 1828. 8.) addita; et saepius alibi.

**) *Kraftius* inprimis in praefatione selectis Bentleii, Graevii Ruhnkenii Wyttenbachiique epistolis praemissa, p. V. sqq. (Alton. 831. 8.) et in praef. epistolarum Davidis Ruhnkenii ad Dan. Wyttenbachium nunc primum ex autographis editarum a G. L. Mahne (Alton. 834. 8. p. VII sqq.)

supersedeam. Quam ob rem sine ullis ambagibus ad propositum revertor.

Primum quod auctorum verba attinet, in epistolis *Palearii* transscribendis editionem *Wetstenianam* *), in ceteris *Stephanianam* **) ubique, paucis tantum ad orationis membra per notas dividenda ac recte scribendi artem spectantibus immutatis, fideliter sequendam duxi. In vitis deinde auctorum describendis atque in annotatione propter libelli molem tantum Bunelli epistolis adiuncta omnino *Kraftii*, V. D. quam in epistolis *Bentleianis* iniit rationem, imitari studui.

Tandem ex animo opto ut etiam hæc qualiscunque epistolarum sylloche viris doctissimis non penitus displiceat et ad literas latinas accuratius cognoscendas magisque promovendas aliquid conferat. Vale.

---

*) *Aonii Palearii Verulani* opera. Amstelod. CIƆ. IƆCXVI. 8.

**) *Petri Bunelli*, Galli, praeceptoris, *Paulli Manutii*, Itali, discipuli, epistolae Ciceroniano stilo scripto. Anno MDLXXXI. 8.

H. STEPHANI DEDICATIO.

HENRICO III, GALLIARUM ET POLONIÆ REGI.

Recordaris fortasse — ut felici præditus memoria es — sermonis quem apud te habui de eo qui nostræ gentis dedecore suæ decus augere cupiens, illam, multos Ciceronianos, nostram ne unum quidem habuisse, literarum monimentis prodidit. Miranti et quo se modo res haberet, ex me quærenti, arroganter potius quam vere illum hoc dixisse respondi. Verum quum instares, et, qualiscunque hoc studium gloria sequeretur — nostros enim nunquam id valde gloriosum existimasse aiebam — illis peregrinis totidem nostrates opponi a me velles: mihi cum alios tum Petrum Bunellum suggessit quidem memoria: sed, vel unum hunc esse instar multorum posse, id vero addere, in mentem non venit.

At nunc, ut tuo illi desiderio satisfaciam, nostros cum illis peregrinis vel potius illos peregrinos cum nostris in publico theatro committo: simulque quod apud te tacui de Bunello, publice ita dico, ut mihi, quicunque Gallicæ laudi non invidebunt, assensuros, persuasum propemodum habeam.

Enimvero cur ego desiderium illud, potius tuum quam vere regium appello? Quid rege, et quidem tanto rege;

magis dignum est, quam honori hominum suæ nationis pariter et ditionis omnibus in rebus omnique ratione consultum cupere? Faxit tamen Deus ut tui sub te non hunc tantum, quod ad studia literarum attinet, honorem conservent, sed alios quoque qui multo sunt maiores. Ad hos viam ipsis aperuisse dicendus est ille tuus omni laude maior avus, Franciscus, quum omnium scientiarum ludos suo in regno aperuit. Quod si hos nunquam in eodem regno, quod nunc tuum est, claudi cupis, — ut certe cupis — fac ut nunquam Jani portæ aperiantur. Id est, nunquam ad bella civilia redeatur: de quibus dixit quidam priscus orator Græcus, *Nemo est qui non fateatur, tanto maximum omnium malorum esse bellum, quanto maximum omnium bonorum est pax. Quanto tamen optabilior pax est bello, tanto etiam tolerabilius seditione est bellum. In externo enim bello, servandae patriae desiderio: at in civili, semetipsos profligandi studio, mortem oppetunt.*

Sed enim quum ea bella te quoque modis omnibus detestantem, et tibi nihil perpetua inter tuos concordia optatius posse contingere, affirmantem non semel audiverim: atis habebo Deum Opt. Max. precari ut te voti tui com potem faciat.

MAIESTATI TUAE
ADDICTISS.
HENR. STEPHANUS.

HENR. STEPHANUS LECTORI S. D.

Siquis eris qui Ciceronianitatis cardinem in Cardinalatu verti existimabis, nihil nostra e Gallia quod tuo satisfacere palato possit, toto hoc in volumine habebis. Nullam enim ullius e Cardinalibus Gallis epistolam, nedum aliquam eorum cuiuspiam Ciceroniano stilo et artificio ornatam atque politam, multas contra duorum Italorum Cardinalium Ciceronianas — ut vulgo loquimur — epistolas volumen hoc tibi est exhibiturum. Exhibuisset autem siquam ullius quoque e nostris quæ huiusmodi esset, nancisci potuissem. Id enim valde ex voluntate nec præter optatum meum accidissset, posse eiusdem dignitatis sed diversarum regionum viros hoc in theatro committere. Verum tu, id a me fieri non potuisse, haud miraberis, opinor, si, quanto maior in Italia quam in Gallia Cardinalium exstiterit proventus, considerabis. Neque tamen tam mihi persuadeo, nullum e nostris, licet multo paucioribus, Ciceroniane quicquam scripsisse, quam, quod eorum quispiam scripserit, minime conservatum fuisse. Sicut enim Galli minus quam alia gens ulla, sui ingenii fetus mirantur, ita minimam vel potius nullam hos conservandi curam gerunt eorum plerique. Deinde e paucis quibus curæ hoc est, vix decimus quisque epistolas nomine illo dignatur.

Quosnam igitur Gallos — roget aliquis — illis Cardinalibus Italis opponis? Qui vitæ genere non solum cum illis sed

etiam inter se commune nihil habuerunt. Horum enim tres sunt — ut de cæteris nunc taceam — quorum unum, militem: secundum, monachum: tertium, fuisse medicum non dissimulabo. Sed militem circumdatos sibi Ciceronianitatis cancellos interdum egredi fateor. Vult enim hac quoque in parte illam militarem licentiam usurpare.

Contigit autem nescio quomodo ut monachus inter militem et medicum locaretur. Ac primo quidem ita dispositos esse dolui: sed re mecum considerata, illud proverbiale dixi, *οὐδ' οὕτω κακῶς*. Cogitavi enim fore ut, si aliquod a milite irato vulnus acciperet monachus, dum eam quam dixi illius licentiam reprehendit, ad latus ei esset qui medicas admovere manus posset.

His tribus alios duos adiunxi, aliud vitæ genus sequutos. Quid? an tanquam succenturiatos, si forte priores illos superari contingeret? Non equidem — etenim ne timui quidem istud — sed quoniam Italorum Cardinalium multæ, illorum autem trium Gallorum — præsertimque medici et monachi — paucæ epistolæ erant, aliquot horum quoque duorum visum est adiicere.

Ad Bunellum autem ut veniam, ego non solum cadere Ciceronianitatem in Gallos quoque homines — contra quam Italus quidam scripserit — sed etiam, quod multo maius et difficilius est, facultatem alios eam docendi: visus mihi sum non posse locupletiore testimonio adversus Italum, quam Itali, et quidem viri magna apud Italos auctoritate præditi, probare. Cuius ergo Itali? ***P. Manutii.*** Is enim quum summum Ciceronianitatis attigisse gradum existimetur, ad eam tamen se nonnisi ductu et auspiciis hominis Galli pervenisse fatetur. Ita enim hic in quadam ad Vidum Fabrum epistola — quæ est libro eius epistolarum primo — de nostro Petro Bunello, *ego ab illo maximum habebam beneficium, quod me cum Politianis et Erasmis nescio quibus misere errantem, in hanc recte scribendi viam primus induxerat.* Sed in posterioribus

editionibus cum *Philelphis et Campanis* pro illis *cum Politianis et Erasmis*, scriptum est. Utrocunque tamen scribatur modo, primum Ciceroniane scribendi nostro Bunello laus constat: non parva illa quidem, vel ipsius Manutii iudicio. Is enim Politianos et Erasmos — in quorum postea locum Philelphi et Campani substituti fuerunt — quod eam quam ipsi Bunellus ostendit scribendi viam non tenuerint, misere errasse arbitratur.

Verum cum aliquo iam tum laudem illam Ciceroniane scribendi communicasse Bunellus dicetur fortasse; at hanc facultatem aliis etiam insevisse, id saltem proprium eius esse et laudem ex eo sibi propriam mereri fatendum est. Nam quis ex cæteris Ciceronianis, præsertim Italis, id præstitisse comperitur? Multum quidem certe abest quin ipse Manutius vel filio suo tam bonus in ea re magister fuerit, quam bonum Manutio magistrum fuisse Bunellum videmus. Nec vero ipse Manutius alios a se Ciceroniane scribere non doceri negat, sed ad quasvis potius excusationes confugit, quam ut se præstare hoc non posse fateatur. Scribit enim in quadam ad Stephanum Saulium epistola, *et in his angustiis, in hac mea tum tenui valetudine, tam adversa fortuna, quia rudes homines, veteris eloquentiae cupidos, meis scriptis non erudio, nec in rectam Latine scribendi viam induco: appellas me quasi malum debitorem etc.*

Atenim quale hoc est, — dicet quispiam — discipulum cum præceptore in arenam velle descendere? nonne impar hoc certamen erit? nonne discipulum, si vicerit, maxima, præceptorem, si victor exstiterit, gloria nulla sequetur? Respondeo, non vereri ne suffragiis eorum qui iudicio valent, victor discedat discipulus: si tamen hoc contingat, primum, nihil eventurum quod non sit proverbio consentaneum, *Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων*. Deinde, ut alio proverbio dicitur, facile esse addere inventis, ita facile esse discipulo qui plurimos præceptori annos supervixerit, iis quæ ab illo didicerit, multa addiscere. Postre-

mo, discipuli epistolas edi non tantum omni limæ genere politas, sed etiam semel atque iterum ab eo recognitas: at præceptoris epistolis plane his contraria usu venire: quippe qui de edendis illis ne cogitasset quidem unquam.

Quamvis autem illa Manutii Ciceroniane scribendi facultas, quantacunque est, in Galliæ potius quam Italiæ honorem cedat, quum Gallo non Italo præceptori eam debuerit: eum tamen de Longolio, tanquam se longe inferiori, non sentire solum, sed etiam scribere, haud æquo ferre animo possum, non tantum quod seminoster fuerit Longolius, id est semigallus, aut — si mavis — ex parte Gallus: sed etiam quod duobus illis celeberrimis alioqui Ciceronianis utroque modo præierit. Quid vero semigallum aut ex parte Gallum appello? Imo vere Gallum dicere illum possum, si Belgas quoque Gallorum nomen obtinuisse verum est. Belgam autem quum voco, illum sequor, alioqui si habenda potius foret fides ei qui ex Parisiensi Longoliorum familia natus est rumori, eodem certe modo Gallus esset quo ego. Cur vero illum ortum agnoscere ipse noluerit, ratio valde εὐπρόςωπος ab iisdem redditur. Sed hæc in dubio relinquens, Manutii verba proferam, ex quadam ad Stephanum Saulium epistola, lib. 1, *Obsecro te, Sauli, qui iudicio excellis, quid tibi de Christophoro Longolio videtur? Equidem, siquando quid de scriptis illius existimem interrogor, ita soleo respondere, exilem esse in sententiis, non luculentum in verbis: ut tamen de eo, si vitae contigisset usura diuturnior, bene censeam sperandum fuisse. Sed ut nunc est, mea quidem sententia nullus est. Quid enim affert exquisitum? quid singulare? non vulgatum, non ex quotidiana consuetudine usuque sumptum? At scribit interdum et de rebus familiaribus, et ad familiares. Quid tum? Quasi non vel in obscuro argumento possit ingenii lumen elucere.* In iis autem quæ proxime sequuntur, cum accusat quod suorum verborum circuitum sæpe totum a Cicerone habeat. Et, quibusdam interiectis, *Cuius autem generis ea que mo-*

riens reliquit scripta sunt, abesse eum iudicio ab ea specie quae est in scribendo optima, longissime.

At ego — ut verbis ultimis quibus sermonem illum claudit, primum respondeam — haud longius ab illa specie abesse Longolium, quam ipse absit: atque ut quædam in Longolio, ita quædam in ipso desiderari — ne quid gravius dicam — convincere me posse profiteor.

Nihil exquisitum, nihil singulare, nihil non vulgatum, non ex quotidiana consuetudine usuque sumptum, a Longolio afferri nego: hoc quidem concedo, ut minus elaboratas, ita minus laboriose scriptas videri plerasque huius quam illius epistolas. Sed responderi Manutio hoc quoque possit, inæqualem inter parvum et magnum numerum esse comparationem. Multo enim facilius ipsi fuisse paucas quam illi multas elaborare. Ut omittam, primum, idem Longolio quod ipsi consilium in scribendis epistolis non fuisse: id est, iam tum de illarum editione non cogitasse. Deinde, etiamsi idem consilium fuisset, num licuisse, sicut ipsi, ita etiam Longolio — utpote morte præveniente — antequam prelo typographico committerentur, limam adhibere.

Quod Manutius, in iis quæ verbis a me allatis sunt proxima, queritur verborum Longolii circuitum sæpe a Cicerone totum esse, debuit certe, si suum ipse morem bene notum habebat, recordari vulgaris illius dicti, *Sanum reprensor debet habere caput.* At minus ea in re peccat Manutius quam Longolius. Fateor: sed minus peccare, non est non peccare.

Mirum est autem, Manutium illius boni viri, præceptoris sui, Petri Bunelli inquam, fuisse oblitum, quum hæc in eadem illa epistola, non multo ante, scriberet, *Quis enim Latinae orationis laudem non magnopere diligendam dixit? quis porro rationem et quasi viam, qua pervenire ad eam liceat, nobis indicavit?* Si enim aut oblitus illius non erat, aut ingratus esse nolebat, illum excipere debebat, et

dicere, *Quis porro praeter Petrum Bunellum, praeceptorem meum, rationem et quasi viam etc.*

Iam vero, ut non de Manutio tantum sed etiam de reliquis duobus Italis verba faciam, eorum unicuique suum esse nævum, vel potius suos nævos, ex nonnullis qui multum iudicio hac in re valerent, me audire memini. Sed audebone, cui illorum primas interim tribuerent, profiteri? Audebo sane. Quisnam igitur ille est? Jacobus Sadoletus. Sed nec rationem ob quam eum cæteris duobus anteferrent dubitabo adiungere. Dicebant igitur hunc luculentiorem illis esse, plusque varietatis suo in sermone habere: denique liberius animi sui sensa explicare. Manifestum enim esse, illos, quod vocibus Cicerone dignis destitui sibi viderentur, plerumque non plene mentem suam aperuisse. Sed mihi istud illorum de Sadoleto placere iudicium, ideo dicere non ausim, quod eius etiam quæ illi debetur laudis partem sibi aliquam Gallia, quæ tamdiu eum cum aliis plerisque viris doctis in sinu suo fovit, non petere sed poscere videatur.

Unum est de quo te, lector, monendum existimavi: hosce tres, sed Longolium præsertim ac Bembum, aliosque postea nonnullos, quod fidem malæ fidei exemplaribus haberent, necnon Ciceroni quasdam orationes aliaque adscriberent quæ eius non sunt, multa tum vocabula tum loquendi genera pro Ciceronianis agnovisse, quæ tamen nihil minus quam Ciceroniana sint. Multa autem huius rei exempla tibi suppeditabunt duo mei dialogi, ***Pseudocicero* et *Nizoliodidascalus*.** Idem vero et alia multa huc pertinentia te docebunt, de quibus ideo hic disserere supersedeo. Vale.

EPISTOLÆ

PETRI BUNELLI, PAULLI MANUTII, CHRISTOPHORI LONGOLII, PETRI BEMBI, JACOBI SADOLETI, AONII PALEARII VERULANI

PARTIM SELECTÆ, PARTIM INTEGRÆ.

PETRI BUNELLI EPISTOLÆ.

Ep. I.

PETRUS BUNELLUS LAZARO BAYFIO
REGIS GALLIARUM APUD VENETOS LEGATO S.

Etsi, quum ad eum scribimus, vir doctissime, cum quo nobis nulla necessitudo intercessit, in ipso statim literarum initio, quibus causis adducti id faciamus, accurate exponere solemus: ego tamen in præsentia hoc exordii genere non utar. Longe magis enim in hoc laborandum est, ut me purgem, quod tardius scribo, quam in eo ipso declarando, quare scribo. Nam, cuius rei prætermissæ culpam deprecor, eam honestissime fieri potuisse et debuisse, consentaneum est: ac quod sine scelere negligi non potuit, eius certe actio et cum laude erat coniuncta, et ad viri boni officium pertinebat. Eo igitur, quod tractari minime convenit, omisso, ad ea venio, in quibus summa contentione et totis viribus enitendum est: neque vero prius quiescendum, quam causam meam tibi probavero. Non patiar, ingratitudinis, in cuius suspicionem imprudens incidi: non feram huius vitii teterrimi, in quo, ut est apud Ciceronem, nihil non inest mali, ullam in me maculam hærere. Intellexi ex multo et accurato sermone Chandonii, mihi plane maximis de causis amicissimi, te meas epistolas non solum legisse, quod quidem permagni æstimandum esset, verum etiam auctoritate tua præclare commendasse. Addebat etiam, te ad meos casus sustentandos,

si Venetias ire vellem, partem fortunarum tuarum pollicitum esse. Hæc si mihi allata fuissent in tempore, incredibilem voluptatem ex eo nuntio cepissem, egissemque tibi gratias, ut par erat, vel per literas vel etiam coram. Nunc discrucior animi, metuens, ne, quoniam id factum non est, aliquid sinistri de me cogites. Ego defensionem neque veriorem neque iustiorem habeo, quam me nescivisse, neque te de me loquutum fuisse unquam, neque omnino aliquid epistolarum mearum, quæ quidem meo nomine scriptæ essent, attigisse. Quod si tibi persuaderi sinis, neque taciturnitatem meam durius accipies, neque, quod ab ignoratione profectum est, ingratitudini tribues. Egone in eum ingratus essem, qui et nullo meo merito me laudasset, et inopiæ meæ subvenire vellet? res ipsa loquitur: pluribus non agam. Transeo ad beneficia tua. De meis epistolis non male existimas: credulus ero in hac parte: is est animi tui candor, ea est consuetudo doctorum omnium, ut ingeniis adolescentium faveant: approbatio tua vim cohortationis habet. Neque enim eam facultatem, quam id ætatis adeptus sum, laudari puto. Pergratum tamen est, quod facis: excitas enim ad maiora, et, illud, quod iam me adeptum belle simulas, efficis, ut aliquando consequi posse non desperem. Hoc si frequentius inter Gallos fieret, neque bonarum artium tam pauci patroni essent: haberet fortasse Gallia, quos Italiæ opponeret, et de illa ipsa Ciceroniana eloquentia, de qua imprimis sibi Itali placent, cum illis contenderemus. Istud quidem paulo audacius: sed scio cui scribam: ab Italis sane hæc legi non velim. Sed nimis multa de meo scribendi genere. Venio ad ea, quae tu de me levando cum Chandonio humanissime disseruisti: agam libere tecum, sine fuco, simplicissime, id est, more Gallorum. Me quidem institutæ vitæ ratio magis ad honestum otium, quam ad honorum cupiditatem ducit: hanc voluntatem mihi eripere de manibus conatur inopia: obsisto quantum possum, sed alicuius subsidio opus est; ruent enim studia, si fortunarum mearum tenuitate solummodo nitantur. Hic Chandonius me sollicitudine levare ac reddere quietum

vult, nempe quod tua mihi nunquam clausum iri dixeris. Nihil humanius, nihil munificentius dici potuit. Multa vero mihi veniunt in mentem. Primum, si id fieret, viverem cum homine Gallo, cum quo, ut arbitror, meus sensus facile consentiret: deinde cum Bayfio, id est, cum eo, qui iam utriusque linguæ cumulatam eruditionem consequutus est. Illud vero quam honorificum, apud legatum regis Gallorum non solum in gratia esse, verum etiam in intimis haberi! Occurrunt diversæ cogitationes, te mea opera non egere, in te omnia summa, in me nihil laudabile præter animum: non esse prudentis hominis cuiusquam liberalitate abuti: ostendi quidem multa honestissime, quæ veluti promissa exigi non debent. Itaque pendeo animi: incertum est quid velim: quæ dicta sunt a te, in quam partem accipiam, dubito. Pudori meo, etiam si maxima egestate premerer, consulendum puto: voluntatis tuæ nemo certior est interpres quam tu. Ego, quod te velle intellexero, faciam, ac lubens. Percurri omnia parum diligenter: sed hæc epistola magis purgandi mei, quam eloquentiæ ostentandæ gratia composita est: alias subtilius et politius. Bene vale. Patavii VI. Cal. Novemb.

Ep. II.
EIDEM.

Quoniam quidem Venetiis studiorum meorum fundamenta liberalitate tua iacta sunt, equidem facile mihi persuadeo, te interdum de Bunello, id est, de maximis beneficiis tuis cogitare. Itaque visum est mihi, qui sit hoc tempore rerum mearum status, his literis tibi, homini occupatissimo, breviter significare. Ego in morte Vaurensis antistitis, patroni mei, tam sæva tempestate iactatus sum, ut omnium, quæ mihi erant carissima, iactura facta, non in tranquillum aliquem portum invectus, sed ad extremum nave afflicta naufragus in littus scopulosum eiectus sim. Nunc vero non reficere navim et huiusmodi pericula et incommoda iterum experiri, sed animum meum paupertatis patientia armare constitui.

Hoc nullum rectius remedium contra malas cupiditates inveniri potest. Satius esse duco, agellum in continenti colere, et ex eo parva quidem, sed certa vectigalia percipere, quam ob parandas opes et divitias ingentes ventorum et procellarum ancipites casus quotidie subire. Habes consilium meum: quod si tibi probabitur, uti eo poteris, cum voles: sin displicebit, mihi tamen ignosces. Bene vale.

Qui has tibi reddet, vir probus est et bene doctus, mihique amicissimus: habet isthic nonnihil negotii, quod, quale sit, ab eo, si placet, intelliges: atque ad id explicandum, auctoritate tua, quantum poteris, non solum propter æquitatem causæ, sed mea etiam causa libentius adiuvabis. Hoc te vehementer rogo.

Ep. III.

P. BUNELLUS ÆMILIO PEROTTO S.

Jucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, sed ex ea parte imprimis, quatenus ostendis, te officium scribendi non intermissurum esse. Accipio igitur quod das: tu vero, quod de meo tuoque epistolarum genere scribis, parum abest, quin te objurgem. Etiamne tu, homo non solum doctus, verum etiam, quod certo scio, pius, ineptias istas inter nos habere locum putas? Dabis veniam, quod negligenter scribo: hocque spinosis artibus, in quibus sum totus, attribues. Tu in maximo otio, præsertim quum ratio tua ad eloquentiam spectet, et accuratius et elegantius. Ad quæ sic habeto! Tametsi in scribendo non multum operæ ponere soles, neque id facere tibi per Accursium licet, pure tamen et Latine loqueris: ex quo facile perspicio, quantum natura ingenioque valeas et quem gradum inter disertos tenere possis, si aliquando te totum ad hæc studia convertas. Mihi quidem longe magis laborandum est, et huiusmodi excusationibus sæpius utendum, a quo nonnihil limatius et perfectius exspectari dicis, quod huic uni rei dem operam: ita ut, nisi labore, studio, diligentia, industria, ad mediocritatem aliquam procedente tem-

pore perveniam, videar summam vituperationem effugere non posse. Tu igitur non solum crebris literis, quod mihi quidem gratissimum erit, me exerceas velim: sed etiam, quicquid ex Lazaro audies, quod quidem ad veram, et, ut nunc loquimur, Ciceronianam dicendi rationem attinere putabis, peto abs te, ut diligenter ad me perscribas. Valde enim cupio nosse illorum mysteria: non quod sine illis me aliquid consequi diffidam, sed quod iis perspectis meam rationem cum illorum instituto conferre, et quodammodo consilium certius capere possem. De Demosthene, quoniam non tibi magis in hac parte quam mihi faves, tu ipse statue, quid me facere velis. Bayfius, ubi me literarum Græcarum admodum cupidum vidit, quum sæpenumero eo audiente quererer, neminem Venetiis Græce profiteri, hocque perincommode accidisse, respondit humanissime, se velle desiderio meo, præsertim tam honesto, subvenire. Inivimus itaque hanc rationem, ut hora noctis prima, dum is leni deambulatiuncula ad cœnam se parat, ego aliquid ex Demosthene legam, ipse in vertendis Græcis animi causa se exerceat: facta mihi potestate, si quid velim, percontandi. Ad hunc modum Olynthiacas duas absolvimus. Qua die vero literas tuas accepi, quum eas legato, ut tibi scripsi, legerem et ad eum locum pervenissem, in quo de oratione *περὶ τῆς παραπρεσβείας*, quam Lazarus vertendam suscepisset, mentionem faciebas, dixit, se velle absolutis Olynthiis, eam quoque in manus sumere, ut ego ne in hac parte quidem vobis cederem, aut Lazarum desiderarem. Legatus Demosthenem non habet: quod facit, non tam sua quam mea facit: non quidem ut ludum aperiat, quod a dignitate magnifici viri alienum esset, sed, ut animum a gravioribus curis relaxet, ille, quasi aliud agens, ludit in vertendo Demosthene. Ego vero illud unum ago et non vulgarem utilitatem ex ea re capio. Exposui tibi causam meam, quam ad te veluti arbitrum defero: quicquid statues, æquum iustumque existimabo. Dictionarium in Germania non excuditur: quod Parisiis exorsum est, venit novem libris Venetis. Quod ad ius civile pertinet,

allati sunt commentarii Marii Salomonii Albertici, iurisconsulti equitisque Romani, in librum primum Pandectarum: eiusdem in l. Gallus, et in §. Responsa prudentum, paradoxa Marcelli. Sed heus tu, quidnam audio? Sonetus venit, imprudenter sane fecit; Tholosæ mansisse debuit, ubi nonnullam apud imperitos eloquentiæ, apud peritos loquentiæ famam invenerat. Nunquam mehercle monstra illa et portenta verborum auribus Italorum, Ciceronis lectione tritis, et omnem sermonis peregrinationem respuentibus probabit. Cervotum febre laborare, ut debeo, moleste fero: verum, uti spero, et ut tu ostendis, brevi valetudinem recuperabit: eum tu meis verbis saluta. Hieronymo et Alixantio salutem ex me dicito. Accepit ante paucos dies legatus literas ex Brixio, quem tu ex sermone quorundam aut graviter affectum, aut etiam vita defunctum, existimas: vivit et valet, lusitque versibus aliquot in Veneris statuam, quam Rensus regi dono dedit. Scripsit tria epigrammata; mitto ad te unum breve, in quo Bayfii meoque iudicio melius quam in cæteris illi successit:

Quæ donata tibi Venus est, Francisce, volebat
Illa loqui tecum; posse loqui ars dederat.
Sed dum prævertis, mille admirata loquenti
Esse tibi veneres, muta repente fuit.

Arnoldo nostro scribam, quum erit otium; tu eum mihi saluta. Bene vale. Venetiis IX Calend. Decemb. 1530.

Ep. IV.

EIDEM.

Si quando longius erit intervallum mearum literarum, ut nunc accidit et alias sæpe continget, peto abs te, ne mihi id vitio des: neve negligentiæ aut oblivioni potius quam occupationibus tribuas. Neque enim mihi tantum superest temporis ad scribendum, quam tu existimas: et præterea studiorum meorum rationem non immuto libenter. Eveniunt multa quotidie, quibus ego, ne tam cito quam vellem, tibi

respondeam, impedior. Acceptis literis tuis, quibus, quæ te auctore de Villanovano gesta essent, significabas, quid etiam me in hac parte facere velles, quum ego tibi et Gallis in ea re magnopere satisfacere cuperem, ecce tibi Noviodunensis episcopus, adolescens sane nobilissimus et bonarum artium imprimis studiosus, cum quo mihi ante multos annos amicitia et familiaritas intercesserat, ad nos venit. Quæ vero præstanda fuerint veteri amico, nunc etiam episcopo, tu melius scis quam ego ipse. Omnino, quantum quidem in me fuit, omnia officia diligentis et amici hominis illi præstiti, ac quoties eum ita velle existimavi, ab eius latere nunquam discessi. De Villanovano paucis accipe. Quis fuerit auctor vitæ Longolii, neque Egnatius neque is, qui imprimendis epistolis Longolii præfuit, aliquem certum habent: audivi, qui dicerent ab eo ipso Longolio scriptam: quod mihi quidem verisimile non fit. Incidi in nonnullos, qui Villanovanum auctorem esse conjicerent. Quod igitur compertum non habemus, pro certo inscribi oportere non sentio. De genere mortis fuit, quum ego idem existimarem atque tu: sed legatus id factum, quod tu suspicaris, pernegat. Ego his diebus in bibliotheca Realtina casu cum medico loquutus sum, qui Villanovanum peste interiisse plane confirmabat: addebat se accersitum a Florentinis quibusdam, ut ægrotum inviseret: adduci tamen non potuisse, ut eo veniret, quod ex eorum sermone, a quibus vocabatur, certissima indicia pestis colligeret. Tu vide, quæ post meum discessum te intellexisse scribis, num istis firmiora sint. Ego primum in re tam dubia neminem accusari debere sentio: deinde, etiamsi omnia explorata essent, tamen in epitaphio, quod si cum ulla Italorum contumelia describetur, diuturnum certe non erit, hoc fieri minime decet. Quodsi hanc plagam a nefariis hominibus accepit, Galliæ illucescet aliquando dies, quum et opportuniore loco et maiore cum libertate hanc iniuriam ulcisci poterit. Quod vero in scribendo epitaphio adeo exarsisti, ignosco dolori tuo, quem ego iustum esse ex meo sensu facile iudico. Neque ego, qui non sic persuasus eram ut tu, quum aliquid si-

mile scribere conarer, facere potui, quin aliquam particulam doloris in versus meos effuderim. Mihi quidem, quod scripsi, maxime displicet, neque, quod sciam, unquam in hoc genere peius mihi successit. Equidem propter intermissa mansuetiora hæc studia, musas mihi iratas esse arbitror, non tamen in eo multum operæ posui. Quodsi aliud deligitis argumentum, et tibi aliisve per otium non licebit, ego aliquid elaborabo: omnino tamen ab alio hoc idem præstari mallem. Quo die mihi tuæ literæ redditæ sunt, eo Demosthenis orationem cum dictionario et meis literis te accepisse puto. Quam vellem esse Patavii, ut cum Ludovico tuo, quem venisse audio, de rebus Gallicis perscriberes: quod ut facias, etiam atque etiam rogo. Tardius quam voluissem, allatus est liber Alciati de verborum significatione; iam enim nescio a quo Egnatius alterum acceperat; itaque eum tibi remitto. Non tamen eo minorem gratiam habeo, quod is non est usus beneficio nostro; ego enim, quod debui et potui, præstiti. Tu vero quemadmodum neque in aliis antea, ita neque nunc in hoc mihi roganti defuisti. Bene vale. Venetiis. Pridie Calend. Decemb. 1530.

Simoni Villanovano

Belgæ, Græce Latineque doctissimo, cum bonis omnibus disciplinis, tum sinceræ Philosophiæ imprimis dedito, ob mirificam scribendi elegantiam et subtilitatem, quam etiam suis scriptis, quæ a nonnullis premuntur, expressam reliquerat, testimonio Longolii toti Italiæ præclare commendato, Galli in demortui patriæque commendationem, placata Italia, posuere.

Nescio quo impulsu Italiam cælumque alienum
Prætuleras patriæ, Villanovane, tuæ.
Invidit tibi: nec peregrinum vivere passa est:
Ossa inhonorato condidit in tumulo.
Reddere non potuit sensum vitamque sepulto:
Hoc tibi restituit Gallia, quod potuit.

Ep. V.

EIDEM.

Quod minus sæpe superioribus diebus meæ literæ ad te pervenerunt, negligentiæ tribuere si voles, erit illa quidem durior accusatio, neque tamen non vera: non enim sum in scribendo impiger. Itaque in confessione criminis deprecatione utendum erit. Adjungam tamen et alteram confessionem, me rem non habuisse. Tertium item, tuos municipes Marosticanos minus frequenter quam antea huc venire. Satius ergo non accusare, quam reum tibi eripi. Quodsi mihi dicam intendere voles, et ab hac sententia deduci non poteris, vereor, ut per quartanam vadimonium obire possis: atque ut ea careas, Venetias tamen in litem tibi veniendum erit, ubi ego splendore, gratia, copiis oratoris ad corruptionem iudicii abutar. Sed extra iocum: amabo te, mi Aemili, quid tibi vis? cur te enecas? cur valetudinis rationem nullam ducis? Incumbendum quidem est in studia; verum et illud curandum, ut quam diutissime facere possis. Memini olim me tibi in hanc sententiam scribere, Vide ne, dum nimis festinas, uspiam offendas, ac te præcipitem des. Quare simulatque ex febri te laborare intellexi, magnum accepi dolorem, veritus, ne id, quod prædixeram, evenisset. Quo igitur maiore metu de morbo tuo sum perturbatus, eo vehementiori lætitia propter recuperatam valetudinem totus efferor. Nihil est igitur, quod de medicina tibi tradenda laborem, quum iam belle habeas. Equidem quum ab ineunte ætate a patre audivi, tum nescio quis Gallus, iuris pontificii magis quam bonarum artium studiosus, qui te una cum Noviodunensi Romæ vidit, et a Georgio literas mihi attulit, quum peteret, ubinam esses, ut valeres, ego te Marosticæ quartanam habere, respondissem, dixit illud idem, quod ego iam inde a patre didiceram, a doctissimis Italiæ medicis responsum esse Quartanæ præter moderatum victum medicinam nullam adhibendam esse. Verum sinamus valere quartanam: veniamus ad alia quæ requiris. Primum illud est, quod ais, te, dum ægrotares, de tuo in Galliam reditu sæpius cogitasse; ad ex-

tremum et inchoati operis et constantiæ causa in eam sententiam venisse, fore honestius, si perlectis L Pandectarum libris, tum demum ex Italia decederes. Neque tamen hoc apud te fixum videtur, quum petas meum tibi de hac re iudicium perscribi. Non mihi sumo, mi Aemili, ut plus in tua re videam quam tu ipse; verum quoniam ita vis, aperiam paucis quid sentiam. Si quis est, qui studiis tuis faveat, eaque ad exitum perduci velit, is ego sum. Quodsi in Italia solum id consequi licet, auctor tibi sum, ut ne eam relinquas: si vero ea, quæ in animo habes, tum bene in Gallia nostra, quam inter Italos efficere potes; eo proficiscare censeo, ubi et suavius vives, et lubentius, si res ferat, moriere. Quid tibi accidat nescio: sed ego humanitatem illam vere Gallicam ita desidero, ut magnam de alacritate studiorum meorum partem hæc res mihi detraxisse videatur. Præterea, quum te hæc regio neque doctrina neque vivendi exemplis augere possit, non video, cur patriæ, quæ utrumque suppeditare potest, eam præferas. Si otium spectas, multi vici sunt in Gallia salubri cælo, summa amœnitate, procul ab interpellatoribus. Si opinio hominum te movet, mea quidem sententia Tholosæ leges interpretari, quam Marosticæ vivere, ad sanitatem accommodatius est. Adde tot pericula, quibus expositi sumus, quæ subire, quum res cogit, ut magni excelsique animi est; ita, quum neque necessitas compellit, neque utilitas suadet, velle tamen in discrimine versari, aut temerarii aut etiam amentis est. Nihil dico de moribus horum hominum corruptissimis: quæ una causa hominem Christianissimum commovere debet; nisi forte tua nihil referre existimas, quibuscum vivat aliquis, cuius consuetudine utare. Ego quidem de istis hominibus intimum habeo neminem, et tamen mihi oculi dolent, quoties in eos incurro, et simul sanctissimorum amicorum sermones requiro, quibus alter alterum Tholosæ ad pietatem hortabatur.

Scripsi pluribus meum de hac re iudicium: tu quod putabis e re tua esse, id facies. Transeo ad alia. Imperator crebras exspectationes sui commovet; verum Germaniam quum

pacare non possit, re infecta redire existimat. Omnino de his rebus incerta et varia ad nos afferuntur. Jactatum est a nonnullis eum ad Lutheranos inclinasse. Huius rei præter rumorem nullus auctor erat. Turca, ut existimo, nihil minus quam de pace cogitat, præsertim nunc Mathona recepta a cruciferis illis equitibus: in qua civitate recuperata tantum nos lucri fecimus, quantum damni in Rhodo amissa acceperamus. Venetis res non ita placet. De Gallorum in Italiam adventu falsa sunt, quæ audisti. Itali quidem dimissi sunt, accepto tamen prius trium mensium stipendio, adeo ut nonnullis rex non tam eos a se dimittere, quam in Italiam mittere voluisse videatur. Hoc nuper ad nos allatum est, reginam nonnumquam in venationem exire solitam, sectarique cervos, veluti alteram Dianam: equum vero tanta velocitate incitare, ut quodam die regem ipsum anteverterit, ac dum per devia et saltus ad latratus canum, modo huc, modo illuc vagatur, prior ad cervi interempti spectaculum pervenerit. Hæc lætiora sunt et leviora; quæ sequuntur graviora. Rex Ligures omnes severissimis edictis propositis primo quoque tempore e Gallia iussit excedere. Edictorum multa sunt capita: unum quod ad novas tabulas pertinet, quorum tertia pars ad debitorem, duæ reliquæ ad regem redeunt. Quanta in trepidatione sint amici nostri Ligures, tu existimare potes. Rumor est eos apparare omnia ad bellum necessaria. Rex quid in animum induxerit, divinare non possum: multa tamen concurrunt, ut bellum proxima æstate fore existimem. Non minimum signum, quod audivi de quodam certo homine, regem ad exædificandas naves longas animum adiecisse; quæ tu nemini dixeris. Quid præterea? quid? dicebant reginam ad fratrem velle proficisci. Hactenus de rebus publicis, ut quodque veniebat in mentem, tibi scripsi, non Latine quidem, quod in hac epistola magna ex parte facere neglexi, sed aperte. Audi nunc pauca de privatis. Binæ literæ eodem fere tempore a Georgio redditæ, in quibus hoc significabat, se Tholosam recta proficisci, causam non explicans: tantum adscribebat, se de voluntate patroni id facere: hortabatur, ut,

si vellem, Romam venirem; fore mihi omnia cum Jacobo communia: nihil fere præterea, nisi se nostras literas accepisse, et alia quædam, quæ ex amicorum literis iam intellexeram; fratris enim et amicorum iam triduo ante literas acceperam. Tholosæ feliciter omnia. Qui iurisdictioni ordinariæ præerat, regi a libellis est. Michael Faber in fratris locum successit. De matrimonio res confecta clam, tamen ex animi sententia. Quid quæris? ut ad eorum felicitatem, ita ad meam lætitiam, quam ex his rebus capio, nihil addi vidisti: uterque pius, uterque meus civis, uterque mihi amicissimus. Ego quidem quodammodo mihi tribui existimo, quod illis datum est. De morte Domini ab Anna puto te audivisse, cuius loco Patus ius pontificium interpretatur: est a bonis literis non abhorrens: gaudeo tales viros augeri honore. Rector Saxensis Tholosæ est. Rescripsi ad omnia, nisi de Haloandro: sed hoc erit alterius epistolæ argumentum. Bene vale et valetudinem tuam cura diligenter. Saluta ex me Ludovicum, tum Franciscum, et alios amicos, si qui sunt Marosticæ, qui nos ament.

Sed heus tu, ne tibi, quod ad me scribas, desit, exerce te in hac deliberatione, Romamne mihi eundum transacta hieme putes. In altera parte hæc insunt: oratoris humanitas et eruditio, quibus studiorum meorum ratio nititur; suspicio levitatis, quum bono loco sis, velle alio transfugere: stultitiæ reprehensio, quæ veniam non habet, si me facti postea pœnitebit. In diversam partem ista impellunt: Venetiis non esse consenescendum: videndam Romam necessario; nullum tempus magis idoneum inveniri posse, quam dum noster Jacobus illic est, qui et se et sua defert, et quodammodo meum adventum cupere videtur; inconstantiam ab eo abesse, qui annum et quinque menses Venetiis vixerit: stultum non esse, qui studio rerum pulcherrimarum inde se commovet: me per literas Græcas usque eo progressum, ut per me possim nonnihil consequi. Quæ me magis his omnibus pungunt, memini me tibi Patavii dicere: tu hæc omnia diligenter expendes, et ubi primum per otium licebit, per lite-

ras, quid tibi placeat, significabis: quas tu nonnisi certo homini. De discessu illius — scin quem dico? scriptorem illum antiquitatum — nihildum certi habes. Iterum vale et me, ut facis, ama. Venetiis 2 Calend. Octob. 1531.

Ep. VI.

EIDEM.

Quo in statu essent res tuæ, cognoscere sane laborabam, quo etiam mihi gratiores fuerunt literæ tuæ. Probatur mihi sane studiorum tuorum ratio. Unum vide, ne, dum nimium festinas, offendas uspiam, aut etiam te præcipitem des. Nolo damnare institutum hoc tuum, quod in istum angulum te abdideris: iam enim hoc præteriit et in integro non est. Hoc solum peto, ne tantus studiorum ardor animum occupet tuum, ut interim valetudinem non cures: qua scilicet amissa, amplissimi fructus industriæ ingeniique tui in discrimen venient. Quod Marosticæ potius quam Bassani tabernaculum tuum constituisti, quod ad solitudinem quidem pertinet, quam tu magnopere optare videbaris, non ita multum interest. De rebus meis quid ego tibi scribam? nuper Patavii non satis recte habebam; nunc sum plane restitutus. Quæ causa fuerit profectionis, puto te ex Jacobi nostri literis intellexisse. In studiis eandem ego viam sequor, quam antea: orator tamen quotidie de pristina diligentia nonnihil remittit, erga me tamen idem est qui fuit. Quodsi eum vel tantillum immutatum sensero, næ ego statim ad Georgium. De libris Germanicis allatus est totus Aristophanes Græcus. Authenticæ Græcæ, quas ad te mitto, emptæ sunt VII libris Venetis. Lugduni lexicon Hebraicum valde copiosum excusum est. De simulatione quod ego scripseram, ad Simonem non pertinebat: quem virum bonum et amicum minime fucatum cognovi: aut, si aliter est, mihi plane imposuit. Quod ad res Mediolanenses pertinet, certum nescimus, quo auctore Marchio Mustrensis hæc misceat: omnia sunt densissimis simulationum integumentis involuta. Rex quidem præ se fert, se nihil minus velle; tu

de eius voluntate coniecturam facito. Res Gallicæ bono sane loco sunt, et uti speramus, erunt meliore. Bene vale. Venetiis.

Ep. VII.

EIDEM.

Quum mihi redditæ fuissent priores literæ tuæ inter prandendum, a prandio statim vixdum perlectis libros de oratore dedi Bellonio, qui se nocte sequenti Patavium traiecturum confirmaret: quos ex postremis intelligo tibi non esse redditos, teque id iniquo animo ferre. Ego vero etiam aliquando molestius tuli: ab eo die Bellonium non vidi. Noviodunensis episcopus commutavit hospitium: non possum convenire hominem, et quum convenero, ne irasci quidem licebit. Si perferre non potuit, aut reddere mihi debuit, aut curare, ut liber ad te perferretur. Allati sunt libri e Germania, inter quos Codex: eum ad te misissem, sed pertimui pretium: venit enim X Marcellis Venetis. Excusus est recens libellus Bayfii oratoris nostri, de re vestiaria, cui adiunctus est tractatus de vasculis, cuius lectio ita me delectavit, ut ea causa tardius tuis literis responderim. Si quæris quanti? duobus Marcellis; scribe an eos mitti tibi velis. Cura si placet, ut reddantur literæ, quas una cum tuis accipies, Paulo, quæ quidem, quum mihi a Pandolpho datæ sunt, aliter obsignatæ non erant. Chandonio dices, sic factum de fasciculo literarum, ut iusserat: me etiam cum oratore loquutum de eo, quod me tacente satis intelligis. Ille se nihil magis velle; queri etiam quod nescisset, quum alter tantopere de discessu urgeret. Nunc nescio, quo pacto is retardatus est, vel quod sensit, quod inter nos agebamus, vel quod aliquid aliud minime successit. Si tamen discedet, ita fiet ut volumus. Bene vale. VI Non. Mart.

Ep. VIII.

EIDEM.

Redditæ mihi fuerunt tuæ literæ una cum his, quæ Jacobo et Alixantio descriptæ erant. De Oeconomo, quod Romam iverit, non magis tu miraris, quam ego. Orator quidem ubi rescivit, iniquo sane animo tulit: ille enim ad Lauretanæ virginis, quod voto obstrictus esset, se velle proficisci dixerat. Tulit autem casus, ut interim, dum abesset orator, eius opera magis egeret quam unquam antea. De facto eius quis sit meus sensus, puto te intelligere. Nihil apertius scribo: vides inter quos mihi vivendum sit. Hæc est sane mea ratio, ut, quantum quidem in me est, offendam neminem. Verum hæc et alia, si quæ erunt, præsenti sermoni reservemus. De Georgio quæ scribis, omnia sane mihi iucundissima fuerunt. De animo eius erga me nunquam mihi dubium fuit, semperque in eo, si mihi discendum esset, tutissimum perfugium posui, quam spem mihi adhuc præcisam non esse gaudeo. Quamquam enim, quomodo nunc est, bono loco sunt omnia, et ego summa erga me oratoris benignitate fruor, tamen quis scit an perpetua hæc erunt? et tamen ego, prius quam ex Italia discedo, videre Romam cogito. Quod utinam aut exiguo sumptu aut etiam nullo facere possim: in qua re si quis hoc tempore iuvare me potest, Georgius noster imprimis potest, a quo epistolam de rebus omnibus mihi afferas velim: sed quæ pondus habeat: quo enim longior eo gratior futura est: et tu pro vectura, si bene te novi, nihil exiges: ego quidem certe nihil dabo. Sed heus tu, quis fratri meo me cum oratore vivere nuntiavit? Ego sane de ea re nihil ad eum memini me scribere. Eum autem et omnes amicos de industria celabam, id metuens, quod evenisse iam video. Omnino literas permutationis mihi mitti a fratre volo: si erit opus, utar: si non erit opus, nihil nocebunt. Episcopum Noviodunensem mihi saluta, si tamen meam illi salutem non ingratam fore existimas. Ad eum non scripsi: primum enim satis temporis non habebam, quum has

festinanter, ut vides, scripserim: deinde res prorsus me deficiebat: ne ad te quidem, quid scriberem, habuissem, nisi ex tuis literis argumentum mihi natum esset. Hanc epistolam cum Georgio nostro communicabis, cui et Jacobo Bernoio plurimam salutem. Bene vale. Venetiis.

Ep. IX.

EIDEM.

Etsi nihil habebam, quod ad te scriberem, tamen, quod literas ad Noviodunensem meas ei per te reddi vellem, facere non potui, quin hanc schedulam quoque ad te exararem. Ad episcopum Noviodunensem scribo: discedens enim a me petierat: alioquin nunquam hoc mihi sumpsissem. Hortor ut literas sua benignitate complectatur et ex ea re potissimum laudem petat; ac quod episcopi nostri in canes et equos Calendos insumunt, ipse eosdem sumptus in viris bonis iuvandis et ornandis faciat. Tu, si videbitur, epistolam, priusquam reddas, leges, ut possis, si opus erit, meam cohortationem sermone tuo subsequi. Cupio sane, quod commodo tuo fiat, te adesse, quum leget, ut non solum orationem sed etiam vultum legentis mihi per literas exprimere possis. Non est satis æquus Ciceronianis; fures exclamat, ubi quid a Cicerone sumptum videt. Scripsi tamen, quoniam ita se velle ostenderat: quod meum obsequium, si ei gratum non erit, non committam, ut sim iterum molestus. Bene vale. Venetiis. IV Non. Januarias.

Ep. X.

EIDEM.

De petitione tua Ludovicus tuus cætera tibi exponet, hoc ex me cognosce. Nuper quum Patavium ab oratore missus essem, quum id diligenter, cuius causa veneram, curassem, placuit experiri, an possem res sane turbulentas componere. Sed quum mihi Venetias primo quoque tempore redeundum

esset, re tentata quidem, sed non perfecta discessi. Nunc audio, non solum res placatas non esse, quod optabam, sed, quod minime omnium vellem, et quod ne accideret semper sum veritus, Jacobum nostrum superioribus diebus a nescio quo oppressum duobus vulneribus acceptis vix evasisse. Disrumpor mehercule nostrorum animos ita exarsisse, ut re levissima usque ad verbera et cædem sibi decertandum putarint. Hic ego quid tibi consilii dem, non video. Quodsi potes sine illorum, qui tibi student, offensione, malim te penitus hanc petitionem abiicere, quam ut rem in dimicationem periculi plenam deduci patiare. Quamquàm enim tu neminem tua causa ad arma venire vis, tamen vereor, ne tu omnium malorum auctor fuisse videare. Hoc meum consilium sat scio non probaturos eos, quorum animi hac recenti iniuria maxime sunt exulcerati: sed tu voluntatis amicorum ita demum rationem habere debes, si sine illorum periculo res obtineri potest. Quis enim iure non laudet Ciceronis consilium, qui maluit in exilium abire, quam suorum civium corpora telis improborum obiicere? prius tamen quam ad hæc ultima descendas, præsens, si quidem te tuto esse Patavii putabis, aut si id non potes, per literas absens Limantii animum quavis ratione tentes velim: oportet enim candidatum ambire, prehensare, supplicem esse. Ad extremum, si precibus nihil proficies, omnia potius deponas censeo quam ullius salutem in discrimen adduci patiare. De libris tuis quid actum sit, ex literis Baptistæ bibliopolæ intelliges, qui huic negotio præfuit. Bene vale.

Ep. XI.

EIDEM.

De Demosthene quoniam te vehementer desiderare quum ex superioribus literis, tum ex proximis perspexi, petii a legato et facile impetravi: commemoravi tua erga me summa merita, veteremque inter nos necessitudinem, quam ego lædere et non mediocriter violare viderer, si tu, qui pro tuis

in me officiis omnia a me exspectare debeas, non acciperes: quod ego sine meo incommodo, si tamen, ut ipse vellet, adduceretur, præstare possem. Permisit igitur, ac lubens, neque, si verum scire vis, antea de eius humanitate et facilitate diffidebam, sed prohibebar pudore, aut etiam metu, ne peterem. Tuis vero literis perlectis, ubi te non modo cupere, verum etiam sperare cognovi, demisi pudorem et fregi me ipsum; rogavi gratum me esse pateretur: respondit humanissime, se ne de suis quidem libris, quos habet, negaturum fuisse. Itaque habes quaterniones Demosthenis, quos petebas. De Dictionario confeci, emptumque est octo libris: compactum nullum erat, et ne hic ligandum curarem bibliopola ipse auctor mihi fuit, et quod exspectandum diutius fuisset, et quod non minoris quam Patavii, et quod improbos huiusmodi homines rationem quæstus non operis habere solitos, confirmaret. De Lazaro, si me amas, ut cœpisti, omnia etiam minima perscribe. Nam quamquam ego non indiligenter Ciceronem legere nunc mihi videor, magnum tamen adiumentum adfert audire ea, quæ vocet in dubium vir in istis studiis multum versatus. Quod ostendis, te non ante scripturum, quam argumentum nactus eris, mihi quidem placet, sed tum bene longam epistolam mittito: sic enim neque tam sæpe tua studia interpellabis, et me tamen omnium rerum certiorem facies. Pecunia ad me fideliter perlata est: sex solidis minus expensum quam acceptum: hos, quum voles, repetes. Jacobus mihi diutius debere noluit; eum mihi saluta rogaque ut, si quando videbitur, cum meo hospite de pecunia mihi debita agat. Equidem, quicquid extorquere poterit, lucro deputabo. Arnoldi nostri literis non respondeo: nihil enim necesse est. De causa nostra curabo diligenter: cui quidem, quod perspicere potui, legatus favet ex animo. Bene vale. V Calend Decemb.

Ep. XII.

EIDEM.

Quamquam pervetus est nostra coniunctio magnisque tuis erga me officiis et meritis, meaque in te observantia adeo corroborata, ut levis aliqua suspicio, quæ vulgares amicitias dissolvere potest, in nostram sane cadere non possit: tamen interdum vereri cogor, ne tu de me secus existimes quam vellem. Id nunc propterea scribo, quod, quum hic esset bibliopola Realtinus, sic loquebatur, quasi paucis diebus post Codicem et Authenticas esset habiturus: quod si factum esset, quoniam tu eos libros te velle mihi ostenderas, si per me stetisset, quominus eos iam haberes, equidem salvum ius amicitiæ nostræ non putarem. Sed scito libros illos in tabernam adhuc allatos esse, ut tu potius vanitatem horum hominum accusare quam officium in hac re meum desiderari possis. Nullum fere diem intermitto, quin hominem conveniam: is præteriti temporis accusationes nescio quas affert. Quum autem rogo, num propediem, sic respondet ut quum tu aderas, ubi primum allati erunt, me fides et diligentia tibi non deerit. De lineis risi mehercule, sed facile patior te in ea re velle Ludovici tui fidem liberare: equidem huius rei iudicium facere non poteram, sed quicquid habui industriæ, totum id consumpsi, quo tibi satisfacerem. Quodsi pluris empti sunt quam par est, aut tibi minus dignæ tuæ liberalitate videntur, ego fidem meam et diligentiam tibi præstiti: sed tu homini harum rerum penitus rudi negotium dare minime debuisti. Itaque te ipsum accusa: aureum quidem totum in eam rem impendi, at tu quin ne pluris emerem, præscripseras? noli commoveri, mercatus sum ad eam summam, quam volebas, XXX solidis nostratibus, aut etiam minoris: reliquos enim habeo quattuor Marcellos argenteos: cupio tibi hanc emptionem non solum ratam, sed etiam gratam esse. Lazarum non velle sua mysteria proferre, fero ut debeo: neque vero miror, quod inter nos liceat dicere, Italos sui similes esse. Quoniam igitur de ratione sua nos

ille celat, artificium aliquod excogitabimus: quum diligenti lectione tum exercitatione quotidiana fortasse nonnihil consequemur. Speramus quidem certe. Quod autem non solum Ciceronem, sed alios quoque ex Latinis attingendos putat, non video, quid Budæo succenseat. De Cervoto quæ in extremo literarum adscripsisti, mihi sane iucundissima fuerunt. Bene enim illi cupio: tu, quod opus præclare, Deo adiuvante, instituisti, vide ne inchoatum relinquas. Urge igitur occasionem; hortare hominem ad meliorem literarum lectionem: cuius quidem rei perficiendæ tu nonnullam spem ostendis. Scripseram ad te, Reynaldum nihil meis literis respondisse: quod si fecit, ne mea studia interpellaret, gratum est. Si vero satisfactionem meam non accepit, atque adeo offensus est, moleste fero. Tu si mihi eum iratum esse cognosces, ecquid mihi succenseat, perscribas velim: si nihil eiusmodi erit, eum meis verbis salutato. De verbo Consulo, tu nescio quid mihi dixisti, quod ego aliter apud Ciceronem non uno in loco legisse mihi videor: tu si quid Lazarus super hac voce præceperit, mihi quum scribes, apertius exposueris: ego locos, in quibus aliter scriptum est, ad te mittam. Quid adhuc? quid? Pecuniam mihi ab hospite debitam equidem in perditis habeo, nisi industria tua et Jacobi mei procuratoris recuperetur. Bene vale. Venetiis. II Calend. Januar.

Ep. XIII.

EIDEM.

Quæ mihi mandaras per literas, ea omnia diligenter curavi. Loquutus sum cum Panchato: pecuniam dabit, quum voles, sed tibi ipsi. Quum rogarem, literarum aliquid ut ad te daret, respondit, nihil opus esse: et tamen se de hac re scripturum ad filium, quem Patavii habet. Literas tuas illi commisi, sed iussit inscribi, ut pro vectura solverent ii, quibus redderentur. Hoc præter exspectationem meam sane evenit. Quod quum vultu ostenderem, mihi parum placere,

dixit, hoc in consuetudine positum esse. De Lazaro quod scribis, non satis intelligo, quale sit: an exemplum, quo uteris, eam habeat vim, ut in hoc duntaxat genere loquendi, quum quid aliquis senserit, dicimus: non liceat sic loqui; Arbitror Aristotelem ita sensisse: an vero ne sic quidem, Arbitror te hoc scire, quod Cicero libenter usurpat. Quum habebis otium, me de hoc et aliis multis facies certiorem. De Codice et Authenticis erit mihi curæ. Scribo ad Reynaldum: nam binas ad me scripsit et queritur per posteriores, responsum non esse: tu illi meas redde simul, et labora, quo meam satisfactionem accipiat. Non possum, ut nunc quidem res habet, sine studiorum meorum detrimento tam sæpe scribere. Bene vale. I dib. Decemb. ante lucem.

Ep. XIV.

EIDEM.

Quoniam tu mihi omnem pæne aditum mei purgandi præclusisti, utar eo genere satisfactionis, quam te accepturum ostendis, tibique ad omnia, quæ petis, rescribam diligenter. Hoc multo satius erit, quam in pigritia mea defendenda paginam implere. De profectione Romana multo incertior sum, quam antea: nam si e re mea non est, ut tu quidem vere existimas, Romæ diutius esse, itionis et reditionis sumptus sustinere vix potero. Nosti facultates meas: præterea autem orator, quamquam integrum relinquit mihi, tamen auctor est, ut in aliud tempus peregrinationem hanc differam: hæc cupiditatem meam minuere poterant. Nunc veluti cumulus accedit maximi belli metus, quod a rege Turcarum illatum iri Italiæ sub veris initium plerique non dubitant: atque adeo hac fama impulsus Rom. pontifex, Anconiæ portum, quanta potest cum festinatione muniendum curat: quæ res facit, ut ne si velim quidem Romam proficisci possim. Vera fortasse non erunt, quæ rumore minime dubio ad nos afferuntur. Sed malo nimium timidus, quam temerarius non sine magno meo malo videri. Si quæ-

ris, meam coniecturam de huiusmodi rebus paucis accipe. Quum inter imperatorem atque regem minime conveniat, sitque hæc non tam pax quam simulatio quædam pacis, Italia autem intestinis seditionibus laboret, adeo ut plerique tacitis notis Turcarum in Italiam adventum exspectent, Florentinorum etiam nonnulli ad eum transfugisse dicantur, facile adducor, ut credam, eum, ubi primum per anni tempus licebit, copias in Italiam traiecturum. Primum quis navigationem eius impediet? Veneti? ii enim maritimis copiis imprimis valent; at illi arctissimis fœderibus cum Turca sunt colligati. Rex? at ille se eiectum Italia dolet, et potentiam imperatoris a quovis minui facile patietur. Nam quod eos in colloquium venisse audisti, falsum est: fuit quidem quum ego id fieri posse non desperarem: nunc quantum video, spes eius rei omnis præcisa est. Habes de Turca et de nostrorum principum congressu. Nunc audi de rebus Gallicis. Unus de quæstoribus regis, cognomento Sapinus, ablatis secum L milibus scutorum, in Flandriam se recepit: qua re permotus rex totum illum quæstorum ordinem, ut ad nullam rem æque ad furta exercenda idoneum, pæne sustulit: hoc quidem præclare, illud etiam prudenter, quod civitates hostium agris finitimas obit, fossa muroque diligenter muniri imperat. Omnino defunctam periculis spero esse nostram Galliam. Habes de rebus nostris, quæ maxime sunt egregia. Neque enim minutissima quæque succurrunt. Illud pæne præterieram; Helvetiorum seditiones Romani pontificis artificio excitatæ, regis nostri consilio sedatæ sunt. De studiis tuis quæ scripsisti, ea sunt gratissima omnia, facileque mihi persuades, quum te antiqua illa tua diligentia nihil detraxisse, tum non multa iurisconsultis nostris penitus incognita, ex obscurissimis tenebris, quibus usque adhuc tecta iacuerunt, in clarissimam lucem eruisse. Quodsi ita in hæc studia incumbes, ut interim tamen rationem valetudinis habeas, non vinces tu quidem exspectationem meam: a te enim omnia summa exspecto: verum et institutum facile perpolies et incredibilem gloriam ex eiusmodi

re consequere. Hactenus ad tuas literas: nunc de me paucis accipe. Ego bona imprimis valetudine fruor; do operam Græcis et Latinis literis quantam possum: percurri duodecim fere libros Homeri: deliberatum est apud me, totum perlegere, nisi quid cursum meum remorabitur. Habeo nunc Thucydidem in manibus, intermissa lectione Demosthenis. Hebraice quotidie fere aliquid lego, ut, si nihil aliud, hoc saltem consequar, ut linguæ asperitatem minus reformidem. Bene vale.

Quum complicare vellem hasce literas, ecce tibi Franciscus una cum tuis alteris literis. O te diligentem! Si quid igitur erit in his prætermissum, illud proximis complectar: volo enim, quoniam tu eo me vocas, intermissam scribendi consuetudinem revocare. Nuntius autem, qui superiores tuas mihi reddidit, cras bene mane, ut mihi confirmavit, discessurus est. Itaque ignosces et festinationi meæ et brevitati epistolæ, si tamen tibi brevis videbitur. Iterum vale. Venetiis pridie nonas Januarii MDXXXI.

Ep. XV.

EIDEM.

Quod te meis literis magis, quam tua voluntate adductum scribis, ut taceres, nihil, quod sciam, in literis meis est tale. Neque enim, si frequenter rescribere non possum, ideo tuas ad me legere non possum. Scriptione nimis frequenti mea studia impediri nolo. An vero, quod pro me dictum est, peinde atque sit a te, accipis: nimis callidum est hoc artificium. An tu, quia iurisconsultus es, nos homines minime malos fallere studes? an id forum et curiam meditaris? sed hæc iocatus sum. Mea studia tibi esse curæ, quamquam mihi dubium non erat, tamen vehementer gaudeo. Quodsi meæ istæ artes aliquem fructum umquam ferent, de quo nihil tibi valde confirmo, tu eum iure tuo tibi vindicare poteris. Equidem ex studiis tuis aliquando me

uberrimos fructus percepturum confido. Tu modo, qua ratione ius civile tractare instituisti, eandem ad extremum tene. Nihil te moveant voces indoctissimorum hominum, quibus institutum tuum non ita fortasse probatur. Mihi quidem quicquid eiusmodi stipibus displicet, eo nomine imprimis placet: ad quæstum festinant isti iuris ve potius litium mercatores; quicquid ad nummos recta non ducit, illis maxime devium videri solet. Sed tu longe alia tibi proposuisti, quæ omnibus bonis maximam et utilitatem et voluptatem afferent: tu autem vel invitus ex ea re immortalem gloriam consequere. Quamquam non te hortor, quod de constantia tua dubitem, quem omnium constantissimum novi, et a via, in quam nullo auctore sponte tua ingressus es, ac nemine impellente tam late processisti, non honeste recedere non potes. Sed propter particulam illam literarum, in qua tuorum studiorum meministi, non potui, quam ego spem de illis conceperim, tibi non significare. Verum hæc hactenus. Meas literas quam in partem acceperit Noviodunensis episcopus neque tu intelligere potuisti, neque ego a quoquam verbum de hac re elicere potui. Coniicio autem non ita gratas fuisse, quod homo plebeius episcopum ausus fuerim monere aut hortari: neque ea me fefellit coniectura: nam ita fore providebam, propterea que ad te scripseram. Equidem in hac parte viri boni functus officio mihi videor. Quam gratum illi fecerim, quod inter nos dictum sit, non magnopere laboro. De libris faciam quod vis, sed adhuc dies breviores sunt. Novi quod scribam nihil habeo, nisi forte illud scire vis, Egnatius Virgilii libros Georgicos, Epistolas familiares Ciceronis et septimum Plinii interpretatur. Video, quid petas, nihil admiratione dignum. Faustus orationes Thucydidis enarrat, et Aristophanem, sed ita, ut facile appareat eum alieno animo hæc facere: in hoc potius prudentiam et voluntatem quam linguæ Græcæ eruditionem desidero. Ego utrique do operam. Tu hæc comprimes. Bene vale.

Superioribus diebus accepi a Georgio literas, in quibus quum aliis omnibus amicis, tum tibi imprimis plurimam sa-

lutem adscribebat; nondum meas acceperat. Scribo ad Piochetum et Petrum Vivam: tu si placet, utrique meas literas reddes. Dic salutem ex me Jacobo, omnibus, ne singulos enumerem. Iterum vale. IV Calend. Februar. MDXXXI.

Ep. XVI.

EIDEM.

Ubi primum Bononia redii, quo oratoris iussu profectus eram, intellexi de contubernalibus meis, dum abessem, binas a te literas venisse; verum, quod me illic diutius commoratum crederent, cum fasciculo oratoris Bononiam missas esse: quo factum est, ut in præsentia quidem ad eas nihil respondeam: neque enim coniectura assequi, quid in illis esset, possum: aliquid tamen scribam, ne tu ignarus rerum omnium diutius animi pendeas, Bononiæ novem dies plus minusve fui et primis quidem diebus patribus purpuratis, qui e Gallia cum satis magno comitatu venerant, a Bayfio literas reddidi: reliquum omne tempus tum sursum ac deorsum cursitando, tum cum amicis suavissime colloquendo consumptum est. De Pontifice et Cæsare quid ego tibi scribam, quum et tu utrumque de facie noris, et meam de illis sententiam pulchre calleas? Venio igitur ad alia quædam, quæ quidem, ut tu magis scire vis, ita ego libentius exponam. Scis Dionysium Choronæum et Rudolphum Ponyssonum apud Cardinalem Tornonium vivere: horum ego consuetudine ac sermone, quamdiu Bononiæ fui, ita sum delectatus, ut inde redire et ab optimis viris avelli mihi gravissimum videretur. Nullus interim sermo de te et studiis tuis: quid quæris incendi homines, alioquin ad te amandum sponte sua incitatos desiderio tui, qui quum nihil non magnum prædicatione tum Danesii, tum aliorum adducti, sibi de te polliceantur; longe tamen maiora eos exspectare iussi. Et ne putes hæc solum inter nos obscure acta esse, Ponyssonus et Choronæus, ut mihi postea narrarunt, de tuo instituto, audiente Cardinali honorificentissime locuti sunt, adeo ut is

non solum laudarit, sed te suis habere, si quo pacto fieri posset, velle dixerit. Quod illum optare, quamquam tibi est perhonorificum, tamen ab illo comitatu te quamlongissime abesse, si tibi studiorum fructum constare voles, mea quidem sententia fuerit utilissimum. Hæc ad te scripsi, non tam, ut mihi tuam existimationem curæ esse cognosceres, de quo te non dubitare certo scio, quam ut te ad hanc sustinendam magis ac magis confirmares: et hæc quidem de privatis rebus.

De publicis vix sane quicquam scribi possit. Cæsar cum principibus Italiæ in Gallorum principem se colligere vult: Veneti novis pactionibus astringi nolunt. Imperator Turcarum Cæsari et Cæsarianis omnibus bellum indixit. Purpurati isti, quibus de rebus missi sint, certum nescimus, et quidem res magnas misceri et summæ pacis aut summi belli fundamenta iaci existimo. Sed, uti spero, brevi sciemus, quorsum evasura sint omnia. Bene vale. Venetiis.

Ep. XVII.

EIDEM.

Sapienter tu quidem, quod una cum literis pecuniam mihi debitam misisti: nam nisi ad diem solvisses, ego usuras tam magni nominis exigere cogitabam. Miraris me tam subito factum negotiatorem aut etiam fœneratorem: hui, an me Venetiis tot menses frustra vixisse existimas? an vero tu id initio dabis, quod Longolium factitasse ferunt? Equidem, quoniam literas Græcas hic discere non possum, et me locus admonet, rem facere decrevi, ne ex omni parte mihi tempus hoc pereat. Hoc ego, Aemili carissime, propterea iocatus sum, quod mihi debere diutius noluisti: et certe rem aliam, quam scriberem, non habebam: scribendum autem erat aliquid, quum tu meas literas requireres. Nam de rebus Gallicis quod suspicaris, me quiddam certius habere, idque non esse complexum literis doles, amabo, quid tibi venit in mentem, petere ab homine aulico, ut hæc

mysteria proferat? ego sane si tacere non possem, indignus merito viderer, cui aut tu aut aliquis omnino sua consilia crederet. Quare, etsi nomine negligentiæ suspectus tibi sim, quod ea, quæ tu scire avebas, prætermiserim, amiceque admoneas, ne posthac aliquid simile committam, in omnia te vertas licet, numquam tamen ex me verbum elicies. Egone res, quæ tantum momenti habent, quas vix coram, idque nonnisi in aurem, literis, quæ intercipi possunt, committerem? cur igitur scripsi superioribus literis, res Gallicas bono loco esse, et fore meliore? omnino de futuris affirmandi temeritatem effugere volo, sed quantum coniectura providere possum, ita sit: in Gallia summa est pax, summum otium, atque ut nunc quidem est, nullum videmur hostem habituri, nisi nos priores provocaverimus. Italia quidem etsi belli incendio universa non ardet, aliqua tamen in eius parte scintilla relicta est: præterea nescio quo suo fato ita infecti partibus sunt Itali, ut in publica rerum omnium tranquillitate, privata tamen odia inter se exerceant, quovis bello perniciosiora. Qui Gallorum imperium detrectabant, Hispanis, ne quid gravius dicam, servierunt: ulti sunt mehercule vicem nostram qui, quum Gallico nomine abhorrerent, atque adeo se in libertatem asseri vellent, in longe durissimam servitutem sese coniecerunt. Neque enim quicquam inimicis nostris, si quos habeam, imprecari gravius habeo, quam ut in Hispanorum redigantur potestatem. Bellum, fames, pestilentia, multo minora videntur hoc malo: quod et illi ipsi, qui usque adhuc partes Hispanorum secuti sunt, propemodum sentiunt: et nisi quosdam puderet inconstantiæ, aut etiam, si receptum iri sperarent, libenter ad nos deficerent. Sed tu hæc, scio, non sine risu leges. Vix enim teneo me, quum de Hispanis aut loquor, aut scribo, aut cogito. Illud tamen volui dicere, nos, sive hac pace perpetuo fruemur, beatos fore: sive tempestive bellum Hispanis inferemus, hoc quoque nobis bene ac feliciter eventurum. Verum inter scribendum abripui me transversum nescio quis æstus animi; invectus sum in Hispanos; concidi

proditores; ultus sum utrosque: quid non? ridiculum sane, sed ut ad animum, non male. Bene vale.

Heus tu, omiseram unum, quod tu non minus libenter leges quam cætera. Vites, quæ in Gallia sub initium veris congelarant, ita ut nulla spes esset vindemiæ, Dei Opt. Max. beneficio refloruerunt, uvisque pæne onustæ spem minime dubiam fertilitatis ostenderunt. Quis ex hoc non bene ominetur Galliæ?

Reynoldus noster te salutat, qui nunc Venetiis apud comitem Gasparum vivit. Is quum sit vir nobilissimus, non tamen, ut nostri homines, a literis abhorrens. Quamquam enim Græce Latineque luculente scit, in omni tamen humanitatis parte libenter versatur. Huius comitis nepos, cui cognomen a Camillo, eodem est erga literas animo, summa eruditione, acri ingenio, et, quod paucorum dierum consuetudine facile perspexi, eleganti iudicio uterque quum firmo sit corpore, et ad rem militarem aptissimo, tamen ita in studia incumbit, ut eruditionem ab iis, qui perpetuo in bibliothecis sedent, ad milites, qui magnam partem temporis in castris vivunt, transferre velle videri possint. Quotidie dant operam Mario Nizolio, viro sane doctissimo: eo enim præceptore in Græcis utuntur, de cuius literis, etsi multa honorificentissime nobis exposuit Reynoldus, scito tamen, doctrinam hominis prædicatione maiorem esse. Præterea tanta est in homine facilitas, quantam ego adhuc in homine Italo non inveneram: non est de iis, quibus uterque nostrum succensere solet, qui omnia, quæ didicerunt, tacita tenent; patefecit se totum mihi, et nunc beneficio Reynoldi utor homine familiarissime. De te institutoque tuo inter nos aliquando verba fecimus: quod ille quum vehementer probat, tum etiam sperat, per te ius civile ex densissimis tot interpretum tenebris in clarissimam lucem perlatum iri: ego in animum induxi, prius iurisconsultos non attingere, quam tu hoc non effeceris. In qua tamen re te omnes sic volumus laborare, ut interim valetudinis rationem ducas. Iterum

vale. Saluta ex me Bartolomæum et Franciscum, si forte iam venit. Venetiis. Ad XII. Calend. Aug.

Ep. XVIII.

EIDEM.

Exspectabam ex die in diem, dum aliquid novi ad nos afferretur, unde mihi nasceretur argumentum epistolæ, ecce tibi Guilielmus, scin quem dicam? ille, inquam, Guilielmus, qui, quo tempore nos una Tholosæ eramus, apud senatorem Vabrensem vivebat, Venetias venit, homo sane tui cupidissimus; is in primo statim congressu, quum vix inter nos salutassemus, ubi est, inquit, noster Aemilius? valde hominem videre cupio: ut valet? Ad quæ ego quum et te valere et Marosticæ agere respondissem, alterum libenter audivit, te esse integra valetudine: tam longe vero abesse, ut videre non posset, id vero non mediocriter ægre ferre mihi visus est. Quare autem Marosticam profectus non sit, et de omnibus rebus ex literis eius audies, quas quum ad te mitterem, non potui facere, quin ipse quoque aliquid darem. Exspecto literas tuas, ut sciam, qualem quæstionem illam mihi explicas, eundumne sit an manendum: an vero eundum quidem, sed post unum et alterum mensem redeundum. Valde enim dubito, numquid incertum sit, quod velim; sed valde vereor, ne quid inconsiderate faciam. Mitte igitur epistolam plenam consilii, quo tu abundas. Novarum rerum hic quidem nihil audimus, nisi forte illud non adhuc ad vos perlatnm est, Helvetios propter religionem civili discordia flagrare, adeo ut res ad arma venerit: pugnatum est inter eos atrocissime, multi vulnerati, multi cæsi, victi, si verum est quod audio, Lutherani. Hæc sunt pretii futuri quædam veluti initia: non enim res tanta inter tam feroces populos tam facile transigetur. De matre regis, quæ ego tibi proximis literis scripseram, certa sunt. Congressus imperatoris et regis adhuc est in aliqua spe. Hactenus de publicis: nunc audi privata!

Ego quam rationem studiorum meorum ab initio instituí, eandem teneo: illud accessit, do operam literis Hebraicis, sed quasi aliud agens: utor præceptore Aloysio Grifalcone et oratore. Si quotidie aliquid legeremus, ego fortasse nonnihil promoverem, sed multum intermittimus. Ego ut, in tanta interpellatorum multitudine huius linguæ asperitatem degustabo, etsi nihil aliud, hoc tamen consequar, ut, si quando, in hæc studia toto pectore incumbam, omnia sint mihi faciliora. Josephus Patavium profectus est post alterum mensem, ut quidem orator ostendit, rediturus. Piochetus noster discedens reliquit apud me Ruellium, de verbo mirifico, et arte Cabalistica, ut eum ad te perferri curarem: dicebat enim te de hac re secum locutum. Tu vide, num tibi mitti velis et per quem: ego enim de fide nuntiorum interdum dubito, et illi ne libelli quidem pondus sibi imponi patiuntur, ut nuper in Salmonio accidit, quem una cum duabus tabulis et meis literis tibi redditum esse puto. Rescribe ad omnia. Saluta mihi Lodovicum. Bene vale. VIII Idus Novemb.

Ep. XIX.

EIDEM.

Non dubium est, quin epistola mea, quam ego duobus rusticanis, qui mihi a te literas illas plenas querelæ reddiderant, commisi, non dubium est, inquam, quin ea perierit. Nam si tibi reddita esset, certe, si bene te novi, aliqua in parte literarum suarum, quæ mihi eodem tempore binæ sunt redditæ, nonnullam illius mentionem fecisses. Miseram enim una cum epistola orationem Julii Camilli, in qua de ratione eloquentiæ multa erant, quæ tu, nisi fallor, magna cum voluptate legisses, et eam ego summa cum festinatione tibi gratificari volens, descripseram. Erant præterea in literis meis nonnulla, quæ ego ab omnibus legi non vellem. Quodsi fasciculus ad te perlatus non est, næ ego non mediocriter doleo.

Venio ad tuas literas, quibus prius, quam respondeo, pauca de me tibi scribam necesse est. Ego ante a te consulebam de profectione Romana, quid mihi agendum putares; nunc vero quid plane constituerim, paucis accipe. Superioribus diebus quum Aloysius Grifalco audiente oratore hanc mihi peregrinationem dissuaderet, et ad metum bellum Turcicum proponeret, suasit contra orator, ut hac ipsa de causa in viam quam primum me darem, quo scilicet, quæ supersunt Romanæ urbis vestigia, priusquam penitus deleantur, spectare possim. Hæc quum audissem, existimavi nullum deliberationis locum esse relictum. Eundum igitur est: nactus sum comites viæ fidelis simos, Gallos duos, qui circiter Calend. Martias navim conscendere volunt. Nimium quidem urgent, sed ab ea sententia deduci non possum. Ego igitur una cum illis mari nondum satis aperto committere me decrevi: vellem te mea causa nonnihil ad Fundulum scribere: sed tempus instat: tu si tuo commodo poteris, quam primum ad me literas mittes: sin minus, ego tamen illi ex te salutem dicam. Xenophontem tuum et Aristotelem de anima Alixantio, qui nuper Venetias venerat, commisi. Homerum, quoniam eum iam attrivi, et commentarios Budæi apud me retinui. De his omnibus post reditum ego tecum decidam. Nunc pessime sum instructus a pecunia: sed quum Romam venero, Jacobus Bernoius, ut ego bene spero, non mihi deerit, et fortasse interim nonnihil literarum a fratre veniet. Ego post duos aut ad summum tres menses, nisi adversi quid acciderit, te videbo. Nunc redeo ad ea, quæ petis. Quod attinet ad literas, quas ad amicos dare cogitas, vix meam operam propter subitum discessum navare tibi potero. Tutissimum igitur fuerit fasciculum ad Jacobum nostrum mittere, qui ad me, si nondum abiero, scribet, aut me absente negotium per se administrabit. De Jacobo quod audisti, falsum est; venerat enim cum Alardeto Venetias omnium Gallorum nomine. Nam Pedemontani eiecti a nobis conati sunt astu quodam in nationem Anglicam irrepere. Quod ubi primum eos moliri rescivimus, obstitimus

illis acerrime. Hac de causa uterque venerat. Jacobus autem apud me questus est, se nihil a patre iamdiu aut literarum aut pecuniæ accepisse: is si mihi imposuit, ego quoque tibi impono. Patruo Francisci, quem mihi commendabas, ego omnem meam operam pollicitus sum: is sine me se rem suam posse conficere respondit: habuit tamen gratiam. Condixissem illi prandium familiarius, et more nostro, sed puto, te intelligere, ubi vivam. Habes ad omnia. Illud quod in principio statim posui de illa epistola, oblivisci non possum. Amabo, quære diligenter, qui sint illi, quibus tu superiores literas dederas: nam illis ipsis ego epistolam cum oratione Camilli commisi. Rerum novarum nunc quidem nihil est. De Turca, constantissima fama, eum apparare omnia. Quid aut quo cogitet, non prius certo sciam, quam copias suas moverit. Aiunt imperatorem in Italiam primo quoque tempore reversurum. Hæc publica: illud privatum: orator Abbatia auctus est. Hæc raptim ad te scripsi, ut, si quid velles, ad me ante discessum literas dares. Ego enim quamquam differre adhuc aliquot dies cupio, tamen aliorum voluntati necessario inserviendum est. Bene vale et me ama. Saluta mihi Franciscum Lodovicum. Venetiis. VII Calend. Mart.

Ep. XX.

E I D E M.

De peregrinatione mea ad hunc usque diem nihil ad te scripsi, tum quod de adventu meo ab aliis certior statim factus es, tum quod de rebus Romanis, quæ tibi sunt notissimæ, scribere non ita necesse arbitrabar. Et mehercule adhuc languebam de via, neque me ad veteres exercitationes referre poteram. Nunc vero recuperata aliqua ex parte pristina scribendi alacritate, et libris meis, quos propter discessum iratos habebam, ad intermissam mittendarum literarum consuetudinem redeundum mihi existimavi. Ut igitur de me aliquid ex me ipso audias, vixi Romæ supra XX dies

apud Jacobum nostrum libentissime, qui quidem non solum domum suam mihi patere voluit, sed omnia amici et Christiani hominis officia liberaliter et prolixe præstitit. Per eos dies ego, cuius causa veneram, non oblitus, omnia antiquitatum vestigia, quæ quidem adhuc conspici possunt, studiose conquisivi. Quod temporis mihi ab hoc spectaculo superfuit, id omne viris doctis salutandis dedi: conveni Fundulum, et tuo nomine salutavi Marium: est in homine humanitas summa: collocutus est mecum familiariter de multis rebus: multus sermo de te et studiis tuis. Quid quæris? totum se patefecit mihi; questus est graviter apud me, quod spreta tranquillitate et libertate Gallica in has turbas Italicas et durissimam servitutem se dedidisset. Sub discessum meum quum ab eo quærerem, ecquid literarum ad te vellet, respondit, se cuidam, qui Patavii philosophiam profitetur, paulo ante adventum meum literas ad te dedisse. Ad Funduli familiaritatem accessit Pantagathi quotidiana fere consuetudo: cuius hominis ea est in congressu suavitas, ut, quum a prandio statim ad eum adirem, ante noctem ab eo divelli minime possem. Ad pietatem autem nostri sermones nostræque disputationes omnes referebantur. Est enim in hoc genere literarum princeps Pantagathus adeo, ut humana omnia studia præ divinis contemnat. Præter hos duos salutavi Lascarum, cui me per literas orator commendarat. Eruditionem hominis quid ego tibi prædicem? sed est in eo etiam rara quædam et incredibilis humanitas. Quamquam enim et extrema senectute, quæ quidem per se morbus est, et totius corporis cruciatibus fere semper affligitur, tamen se conveniri a studiosis non solum facile patitur, verum etiam gaudet. Habes de peregrinatione mea non omnia quidem, sed maxime insignia. Reliqua Paulus noster tibi, ut spero, fusius exposuit, quem ego mehercule plurimum amo; et Marosticæ tecum vivere, tum mea tum illius causa vehementer lætor; meos enim cives non solum eruditos, verum etiam probos esse mea referre multum existimo, et ad utrumque consequendum consuetudinem tuam magnum adiumentum allaturam

certo scio. Est quidem ille sua sponte neque a bonis literis, neque a pietate abhorrens; sed dum suorum exspectationi satisfacere cupit, non in iure civili solum, quod per se ipsum latissimum, perdiscendo, sed in Accursii, Bartoli, Baldi verbosis et obscuris commentariis pæne ad verbum ediscendis magnam partem temporis ponere cogitur. Hic quibus verbis ego tecum agam, non reperio. Te quidem mihi amicissimum, non nullo meo merito, sed animi tui quadam inductione, non dubito: et, quod me valde cupere intellexeris, facturum vehementer confido. Itaque commendo tibi primum civem meum, deinde etiam amicum, ne tum in rogando ambitiosum, ob multa erga me officia mihi carissimum: quem tu, quoniam eo petente libenter Marosticam evocasti, meo nomine arctius complectare velim, studiorum laborem industria tua subleves neglectis istis litigandi artibus, ad fontes æquitatis veluti digitum intendas: in summa consulendo, monendo, ita cum eo agas, ut intelligat, te commendatione mea impulsum aliquid ad pristinam voluntatem addidisse: te in doctorum ordinem, approbantibus Italis, tuamque in iure civili eruditionem in cælum extollentibus, relatum esse, pro eo ac debeo lætor, tibique, quamquam sero, gratulor. Illud quidem certo iniquo animo tuli, me huic spectaculo non interfuisse: in quo, nisi necessitate compulsus aliqua, in id tempus incidisti, sane hercle non satis rationem amicitiæ nostræ habuisse videris. Quod nisi tu istius facti aliquam iustam causam adfers, dabis mihi pœnas: idem scilicet ego reponam, quum me vestris insignibus ornari cupiam.

Dicis, numquam id futurum: non male suspicaris; ego enim in aliam studiorum rationem longe diversam a vestra me totum dedi. Hactenus de privatis rebus: nunc audi perpauca de publicis.

De adventu regis Turcarum ut horribiliora, ita certiora quotidie ad nos afferuntur: nondum tamen constat, in Italiam an in Germaniam invadat. Quid consilii ceperit, brevi sciemus. Jam CCC milia hominum et amplius sub signis habet. Ad quem exercitum alendum quum incredibilis quædam pe-

cuniæ vis illi opus sit, tamen superioribus diebus galeam auream gemmis, quasi stellulis, distinctum XV milibus aureorum mercatus est. Imperator, ut nonnulli confirmant, ex morbo Gallico laborat. Accedit ad morbum huius belli impendentis metus. Hanc ego in malis voluptatem cupio, quod eum, qui in nos tam crudelis fuit, non solum corpore ægrotare, verum etiam animo angi videre mihi videor. Bene vale. Saluta mihi Franciscum Lodovicum et omnes, qui tecum nunc Marosticæ vivunt. Venetiis II. Idus Junii MDXXXII.

Ep. XXI.

EIDEM.

Literis tuis, quas binas eodem tempore accepi, breviter respondebo. De libris emendis et ante discessum tuum mittendis, probas mihi consilium tuum. De genere vecturæ ego diligenter ab omnibus, quos hic novi, quæsivi: magna pars eorum, qui Lugdunum libros mittunt, navi Taurinum usque vehendos curant: est tamen hic mulio, qui se post quinque aut sex menses discessurum confirmat: sed is pro iusta muli sarcina duodecim aureos sibi dari vult, quum reliqui mercatores ultra decem dare non soleant: ego tibi auctor sum, ut, quoniam alia quoque de causa Patavium venturus es, primo quoque tempore ad nos advoles: si erit ulla præsens occasio, ea utemur: si non erit, tu tamen libros emptos compones, ut videbitur: ego reliqua sollicitudine te liberabo. Hoc consilium mihi tutissimum visum est: tu tamen quid in re tua tibi faciendum sit, optime pro prudentia tua diiudicabis. Hæc pro certo habeto, numquam defuturos nobis, per quos Lugdunum, quæcumque volemus, perferri possint, si tamen erit pacata et tranquilla Italia, quod ego præstare tibi non possum. Puto te memoria tenere, quid ego tibi, quum hic esses, dixerim: res, quo loco sunt, diutius esse non possunt. Rex Turcarum cum sexcentis milibus militum Viennam magnis itineribus contendere dicitur. Rumor est imperatorem esse plane imparatum, quamquam Hispani hic dissiparunt; Lutheranos, paca-

tis discordiis omnibus, ad causam adiunctos esse. Genuæ, aiunt, armamentarium, in quo omnia ad bellum necessaria asservabantur, igne conflagrasse. Dux Mediolanensis, quo pecuniam imperatori promissam ad diem non solveret, Cremam rebus omnibus suis comportatis, confugit. Prædo ille insignis, qui a barba rubra nomen invenerat, a nepote suo interceptus esse dicitur. Sed de his et de aliis rebus brevi certiora audiemus. Vale.

Ep. XXII.

EIDEM.

Accepi ad Idus Octobres literas tuas, quinto, non octavo datas: quod ideo adscripsi, ne, si tardius ad ea, quæ petis, respondere videbor, negligentiæ meæ assignes. Mitto ad te Marii Solomonii paradoxa in l. Gallus, non quod mihi magnopere probentur; nam quantum ex his, quæ ego perpauca tuo rogatu legi, iudicare possum, non est hic Solomonius aut excellenti doctrina aut eleganti iudicio. Sed quoniam tu ad hanc legem pervenisti, in quam iste satis longos commentarios conscripsit, malui in eam partem peccare, quæ tutior erat; non enim decet me, qui a iure consultorum lectione longissime recessi, temere de illius iurisperiti eruditione pronuntiare: et tu, ut auctor sit pessimus iste Marius, in eo magnam iacturam facere non potes. Pro quo libro et duabus tabellis recens editis, in quarum altera formula testamenti, in altera venditionis, et ea antiqua comprehensa est, expensum tibi retuli XXVIII asses. De Haloandro, quæ ego me in aliud tempus differre scripseram, paucis accipe: neque enim mihi licet mortem eruditissimi quidem, sed Christiani viri apud te deplorare. Tantum rescribam ad ea, quæ te velle intelligo. De iure civili idem erat sensus illius atque tuus: illud ipsum agebat, quod tu moliris: ad exemplum oratoris Ciceroniani iurisconsultum ille formabat suum, qualem scilicet post illos antiquos vidimus neminem. Itaque statuerat libello quodam, tum a quibus disciplinis instructum

esse vellet eum, qui ad ius civile aspirare audeat: tum qua via in hæc studia unicuique ingrediendum et progrediendum sit, exponere. Jam silvam rerum, ut mihi quidem dicebat, summa diligentia congesserat atque adeo, quæ restabant, multo faciliora existimabat. Venerat in Italiam, ut procul a typographis illis Germanicis et aliis interpellatoribus molestis opus illud in otio posset absolvere. Quem vero locum tranquillitatis et quietis ille plenum fore existimabat, in eo febris vehementissima eum corripuit et septimo die acerbissimis excruciatum doloribus consumpsit.

Huius mortem et Longolii nostri, Villanovani etiam, quum ego mihi propono, in eam pæne adducor sententiam, ut existimem, non solum homines ipsos, verum etiam cælum hoc Italiæ præclara ingenia transalpinis nationibus invidere. Quinquaginta Pandectarum libros perlegerat; inter legendum multos locos enarraverat, quorum laborum fructus ne una cum Haloandro exstinctus sit, vehementer timeo: aut enim legi non poterunt, quæ ille negligenter scripserat, aut fortasse in alicuius venient manus, qui invidiose omnia supprimet: atque ut edantur eiusmodi, tamen non erunt, qualia fuissent, si per mortem præmaturam extremam manum adhibere potuisset. Habes de Haloandro, quæ requirebas: cuius casus te quoque admonere debet, ut aliquando de te cogites, ne, qui eandem studiorum rationem inivisti, et otium istud in Italia, quasi nusquam alibi sit, tantopere sequeris, ne tu, qui omnia similiter atque ille facis, simili oppressus calamitate, nobis ante tempus eripiare. De Romana profectione cupio intelligere quam primum, quid mihi consilii des: necesse enim habeo scribere ad Bernoym nostrum, ut, quæ sit eius in hac parte voluntas et facultas, intelligam: aliter enim mihi loquendum est cum oratore, si velim Romæ esse: aliter, si post unum et alterum mensem rediero. Habet me etiam sollicitum illud, an Demosthenem, Platonem, Isocratem, Homerum mecum asportare debeam, an illic Aldini libri venales habeantur. Hæc igitur multo ante constituenda, ne quid temere. Quare quid tibi videatur, ubi primum poteris, re-

scribes. De scriptore antiquitatum miror te non intellexisse. Quodsi Josephi nomen in mentem tibi venire potuisset, satis aperte loqui tibi visus essem. Memini, quum Patavii in hortis deambularemus, quædam de Josephi nostri, illius, inquam, qui apud oratorem mecum vivit, me tibi dicere. Qua de causa puto te memoria tenere: hic se adhuc non commovit. Jam puto intelligis, quæ erant in superioribus literis de auctore antiquitatum: nam, quæ de Metona scripseram, non ita obscura erant, sed brevis admodum lætitia fuit huius nuntii: postridie enim eius diei, quo ego literas ad te dederam, allatum est nostros accepta præda et navibus imposita urbem Turcis reliquisse. Rex Turcarum antea quidem sponte sua satis in nos incitatus, nunc hac iniuria accepta a nobis instigatus, nonnihil ad suam antiquam crudelitatem addet. Rumor est, eum navalem apparatum maximum habere, atque adeo in Siciliam, ubi primum per anni tempus licebit, velle impetum facere. Erat hic in sermone, imperatorem et regem velle convenire in unum et inter se de rebus suis colloqui: quod ego fieri quidem vellem, sed sperare non audeo. Venetos, quorum opes horum principum discordia confirmantur, quæ vota facere putas? Quid moliri censes, nisi quæcunque ad disturbandam pacem pertinent? Sed heus tu, nescio qualiter accipies hoc nuntium: quam vereor, ne præ mærore in quartanam revolvare. Constans est fama regis nostri matrem vitam cum morte commutasse. Orator literas quidem a rege nondum acceperat: omnes tamen ita loquebantur, quasi minime dubium id esset. Consolatione uterer, sed huius feminæ mortem, si me audis, forti animo feres. De Comite D. Pauli, quæ ego tibi scripseram, ut postea intellectum est, falsa erant. Bene vale. II Idus Octob. MDXXXI.

Ep. XXIII.

EIDEM.

Quanta in perturbatione rerum omnium verser, paucis accipe. Allatæ sunt a discessu tuo ad oratorem literæ, fore ut successor mitteretur, ipse in Galliam rediret. Quis in tanta rerum aulicarum inconstantia constantiam retinere posset, præsertim si ab illis pendeat? et ne nunc quidem de discessu certum est, quamquam eo omnia spectare videntur. Quodsi non discesserit orator, neque cur, neque ubi in Italia consistam, video. Itaque in Galliam cum eo, modo velit, cogito: non quidem ut in aulam me coniiciam, sed ut Lutetiæ in aliquem angulum me abdam, in qua re et tu, uti spero, me adiuvabis. Omnino nihil adhuc tibi confirmo, sed quum Lugdunum veneris, facile ex aulicis, quid de re ista constitutum erit, intelliges, et ex illorum sermone, quid mihi faciundum esse putes, si placet, quamprimum rescribes. Bene vale.

Ep. XXIV.

P. BUNELLUS JOANNI CAUSSADO S.

Tu vero, mi Caussade, non impudens aut ambitiosus, sed parum cautus negotiator mihi videris, quod ei grandem pecuniam credere velis, qui fidem suam tueri non potest. Ego tibi locuples fortasse videor et ob eam rem tua omnia ultro ad me defers. Sed si scias, quantum æris alieni contraxerim, quod dissolvere nulla ratione queam, celeriter hinc pedem retrahas, neque posthac in promittendo tam sis prolixus et liberalis. Tu, ut aperte dicam, nonnullorum hominum prædicatione deceptus me doctum hominem existimas, et maximi beneficii loco in meam amicitiam recipi petis. Sed audi secreto versiculum, quem ego semper in ore habeo:

— me quoque dicunt
Vatem pastores, sed non ego credulus illis.

Videor quibusdam fortasse eruditus, quod apud doctissimos

homines vixerim, multosque annos in studiis literarum consumpserim: verum ego me ipsum non aliorum opinione, sed mearum virium imbecillitate metior. Debui, et, ut verum fatear, potui ad aliquem doctrinæ gradum pervenire, si cum libris meis uno in loco me continere, quam perpetuo sursum ac deorsum cursitare maluissem. Hæc est hominum exspectatio, quam fefelli: qua me vehementer premi sentio. Hi sunt creditores, a quibus urgeor, quibus te etiam atque etiam socium adiungis: debitum exigunt; diem venisse dicunt: ego præsentem pecuniam non habeo; infitiari neque volo neque possum. Quodsi erunt acerbiores in exigendo, cogor ad aram aut ad novarum tabularum auxilium confugere. Peto igitur abs te, ut huiusmodi homines reprimas et mitiges. Inops sum: dies vel potius annos aliquot ad solvendum mihi prorogari postulo. Hoc si impetro, aliquantum nummorum alicunde mea diligentia, uti spero, corrogabitur, quo illis tibique aliqua ex parte satisfiat. Vale.

Ep. XXV.

P. BUNELLUS CARDINALI CORNELIO S.

Julius Camillus, vir summa eruditione et rara probitate, ita mecum discedens egerat, quasi de re mea amplius deliberandum non esset: cuius ego promissis impulsus, statim a discessu illius Patavium sum profectus, tum ut fidem, quam is tibi de me dederat, liberarem: tum ut, si velles, eruditionis meæ, si modo ulla est, periculum facere posses. Itaque domum tuam veni: cum Josepho primum, deinde cum Bernardino, optimis sane viris, sum collocutus. Hoc responsum tuli, eo die te minus recte valere: de medicorum sententia, ne quid ad morbum accederet, a rerum graviorum administratione in totum abstinere decrevisse: neque vero dubitandum, quam tibi ratum gratumque esset, quod Julius Camillus de mercede mecum tuo iussu confecisset: redirem modo Venetias, ab oratore, cuius voluntatem semper

excipiebam, de abitu impetrarem: tibi quidem certe meum adventum exspectatissimum esse, ut illi te velle confirmarunt. Ita feci, et iam libros meos in navem imponere cogitabam, quum te Venetias quasi colligendi tui causa venisse de nonnullis audio. Ne multa, nihil mihi prius faciundum putavi, quam ut te primo quoque tempore quam honorificentissime salutarem. Ex eo ingressu cœpi suspicari, dicam aperte, ut mea fert natura, te malevolorum quorundam obtrectationibus immutatum esse. Ita enim mecum locutus es, quasi dubia et incerta plane adhuc essent omnia: te scriptorum meorum nihil legisse: quam longe per linguæ Græcæ studia profecissem, nescire. Vehementer sane admiratus sum, hæc tum demum abs te dici, quum integra mihi non essent omnia, et quum iam me in eum locum demisissem, unde facile exitum reperire non possem. Quod quum neque familia Corneliorum, neque prudentia, neque vero fide tua dignum mihi videretur, totum hoc ab invidis manasse non dubitavi: facileque intellexi, quam rem apud te adiumentum allaturam sperarem, eam vel maxime contra me facere. Commendatio non vulgaris Julii Camilli, quæ me apud te in gratia ponere debuit, magnas invidiæ procellas, quæ nullo negotio hominem Gallum in Italia obruere possent, excitavit. Equidem vir mei amantissimus nihil prætermisit: veruntamen, ut re ipsa experior, abundantia quadam amoris lapsus est. Ea enim me invito et reclamante scripsit, quæ maximam, ut temporibus istis, ad conflandam invidiam multorumque odia excitanda, vim habent. Quod igitur mihi plurimum prodesse debuit, id quorundam iniquitate in perniciem meam conversum est. Totum illud tamen in hac mea infelicitate percommode cecidit, quod, priusquam in tuam familiam receptus essem, cognovi, tum ex vultu, tum ex sermone, me occulte et per cuniculos, a nescio quibus oppugnari. Semel enim admissus in tuorum numerum, sine summo animi dolore eiici non potuissem: nunc autem excludi me tum facile patior, tum etiam gaudeo. Quid enim miserius me dici aut fingi potuisset, si in domum quidem tuam essem ingressus,

ex qua aut statim cum ignominia exeundum, aut si in ea permanere vellem, perpetuo animi dolore contabescendum esset? Tanti, Deum obtestans iuro, non sunt apud me omnes omnium divitiæ. Equidem animi tranquillitatem mihi eripi nolo: quam ut retineam, cedam invidiæ, cedam malevolentiæ, neque de hac re posthac me tibi offeram. Quamquam enim tibi homini doctissimo et humanissimo satisfacere, ni fallor, possum: Cornelio tamen, id est, homini locupletissimo, tam multis literarum nomine aliquid exspectantibus obsesso, satisfacere non possum.

Hæc scripsi ad te summa libertate, ut ingenium meum et studia nostra, a quibus omnis simulatio abesse debet, postulant. Quæ si tu non aliter accipies atque a me scripta sunt, meam hanc querelam ad alios quosdam, ad te nulla ex parte pertinere iudicabis. Ego cæteris in rebus meum officium, operam, diligentiam, observantiam ad te defero: tu, si placet, non eo minus, quod apud te non vivam, me tuum esse existimabis. Equidem, quæcunque tum sanctissimo religionis antistite, tum benignissimo literarum patrono digna erunt, semper de te et sentiam et prædicabo libenter. Vale. Venet. Prid. Calend. Nov. MDXXXI.

Ep. XXVI.

P. BUNELLUS JOSEPHO MAGETANO S.

Ita esse ut tu scribis, prorsus mihi persuadeo, suavissime Josephe, me de Cardinalis immutata voluntate temere suspicatum. Tibi sane maiorem in hac parte quam mihi fidem habere volo. Neque enim, nisi ita res haberet, tu, quem mei amantissimum esse cognovi, tam valde affirmares: et ego virum amantissimum ac inter suos facile principem, semper de studiis meis non male existimasse, mihi persuaderi cupio. Quibus tamen rebus, ut plane a me alienatum existimarem, adductus fuerim: quamquam in ea epistola, quam ad Cornelium scripsi, satis aperui, tibi tamen familiarius exponam. Audiveram Patavii esse, qui Julio Camillo obscure

inviderent, partim aperte eius existimationem oppugnare non desisterent: quorum institutum equidem laudare non poteram, quod homini, ut ego sentio, optimo ac eloquentissimo, qui nihil de eorum laude aut quæstu detrahere vellet, nulla præsertim ab eo iniuria lacessiti, nocere cogitarent. Nam ut largiar illis, quo maxime nituntur, artificium nunc primum ab eo excogitatum et inventum, omnem fidem excedere, favere tamen pulcherrimis conatibus, non obsistere debuerunt. Gallorum fortasse partes istæ fuerint, ei qui per fraudem, ut quidem isti putant, aliquid a rege auferre velit, aditus omnes præcludere: ab Italis quidem homo Italus in re tam honesta adiuvandus fuit. Sed de hoc ispsi viderint. Redeo ad id, quod cœperam. Intellexeram Julium Camillum flagrare invidia, cuius commendationem, ut apud Cornelium gratiosam, sic apud nonnullos invidiosam fore: ubi primum res agi cœpta est, prædixi. Hanc meam prædictionem nonnulla, quæ a Cornelio in eo congressu, unde nata est suspicio, dicta sunt, vehementer sane confirmarunt: vultus tristis, oratio severa: incerta quidem signa, signa tamen animi non satis benevoli. Quid illa? quum ego dicerem, me daturum operam, ut exspectationem, quam de me Julius Camillus excitasset, aliqua ex parte sustinere possem, respondit commoto, ut mihi visus est, animo, incredibile quiddam sibi videri. Quis has voces malevolorum esse non crederet, præsertim cui nota essent, quæ de me Julius Camillus scripsisset? Ad extremum adiecit, se genus scriptorum meorum, quale esset, ignorare: redirem quo die vellem; unam de meis epistolis afferrem: sibi quoniam aliquo proficiscendum esset, pluribus mecum agere non posse.

Respondi, me omnia, quæ vellet, esse facturum. Ita discessimus. Non longe aberam, quum ego, extrema ista cum superioribus contexens, rem totam attentius cœpi perpendere. Ne multa: hanc feci summam cogitationum mearum: qui Julium Camillum odissent, mihi quoque invidisse: vix præstare posse, ut is essem, quem Julius Camillus fore recepisset: eodem illa de meis epistolis pertinere. Quod tanti viri testi-

monium, quod ille multo amplius quam volebam, dederat, in dubium vocaretur, id quorundam inimicorum artibus, effectum esse: neque vero tam accurate me quicquam scripturum, quod animos istorum ipsa malevolentia ieiunos, satiare posset: mihi iam non cum Gornelio, sed cum Julii Camilli æmulis rem esse: cum illis, si Patavium irem, suscipiendam necessario dimicationem. Itaque deliberationem conclusi, e re mea nequaquam fore, si in has turbas coniicerer, a quibus et natura et vitæ meæ ratio abhorreret. Veni domum, non iam dubitans, quid mihi faciendum esset: valde tamen iratus iis, qui et talem patricium, et tuam et Bernardini consuetudinem eripuissent. Incensus dolore ea ad Cornelium scripsi, quibus, malevolos accusans, quid facere decrevissem, non aspere sed aperte sine ulla circuitione explicabam. Hic tu me rogas, in quo amicitiæ nostræ iniuriam facis, ut me totum vobis remittam, et placabilem præbeam: quæ bono animo dicta sunt, ne durius accipiam. Tu ergo alicui me iratum putas? Erras, mi Josephe, si hoc de me tibi persuades. An ignorare me credis, quam ridiculum fuerit, me, hominem Transalpinum, in Italia Italo vel ignobili irasci? Verum si præteritis nihil offensus es, amabo, mi Josephe; sustine te parumper, et ubi rem audiveris, consilio me iuva. Ego simulac me a vobis exclusum credidi, dixi oratori de Patavina illa conditione, quod sperabam, mihi non successisse. In quem sermonem quum ingressi essemus, multa mecum ille humanissime, ut solet, disseruit.

De discessu nihil certi se ante constituere posse, quam literas e Gallia accepisset: et quoniam a voluntate regis hæc penderent, fieri posse, ut hic quartus annus quintum adduceret: se in utramque partem æquo animo esse: optimum sibi videri, si non prius me commoverem, quam de voluntate regia certior fieret. Sive enim manendum, nihil esse quod laborarem: sive decedendum, tunc quoque satis maturum, ut meis rationibus prospicerem, fore. Dixi mihi vehementer consilium probari, et in utramque partem esse tu-

tissimum; itaque me eo usurum: in quo sine maxima levitatis suspicione non perseverare non possum.

Hoc loco non urgeo, ut mihi consilium des, et sententiam de his rebus exponas tuam: mihi certum est, quidvis potius perpeti, quam constantiam non retinere. Duo modo abs te peto: unum, ne me iracundia aut arrogantia, sed iustissimis de causis, quo minus ad vos hoc tempore veniam, prohiberi: alterum antististi Cornelio ut istud idem persuadeas. Cui quidem propter eam voluntatem, quam erga me declaravit, tantum debere me existimo, quantum, si me omni beneficiorum genere cumulasset. Venetiis Idib. Novemb. MDXXXI.

Ep. XXVII.

P. BUNELLUS JACOBO SADOLETO S.

Quod veritus sum antea, Sadolete doctissime, si ego adolescens, neque bonis artibus excultus, neque in recta dicendi ratione satis exercitatus, ad te provecta ætate virum, ab omni doctrinæ genere instructissimum, Romanæ eloquentiæ hac nostra ætate cum paucis facile principem, literas darem: ne meum istud factum cum temeritate coniunctum videretur; id totum penitus sublatum est, meumque hunc sive pudorem sive metum vicit beneficii erga me tui magnitudo. Nam iuveni quidem plusculum etiam audere quam par sit, ab omnibus fere concedi solet: non habere gratiam, quibus debeas, omni ætati sane turpissimum est. Itaque vetus illa dubitatio in præsentia nihil me movet, neque tam venit in mentem vereri reprehensionem, quod scribam, quam quod serius id faciam. Equidem meum silentium in tuis illis ad Bonamicum doctissime scriptis literis mihi subaccusare visus es, in quibus locum de Melphitana conditione ita concludis „*qui sive profectus est, sive non, meum tamen officium in illum constitit.*“ Hoc ego sic accepi, quasi diceres, quum meum in re sua studium perspexerit, etiamsi

hanc spem aut sequi noluerit, aut quum vellet, non potuerit, est tamen, cur mihi gratias agat. Hoc tu sive ita sensisti, sive quum aliud significares, ego ita interpretatus sum, iure tamen tuo a me, quem iam tibi obligaras, exspectare potuisti: et ego, nisi nimis magnam modestiæ rationem habere voluissem, maturius fecisse debui. Cuius enim humanitatis illud est, eum, quem ne de facie quidem noveris, ob unius, aut ad summum alterius, epistolæ lectionem tam amanter complecti liberalitate tua? tam sollicite, tam sæpe de illius negotio scribere? facit quidem superioris vitæ tuæ consuetudo, ut minus hæc mirabilia videantur. Quod quum in aliis multis, tum vero in Longolio ornando te eundem præstitisti. Sed in ipso Longolio incredibiles erant ingenii dotes, quæ te ad eum amandum raperent, ac tum sibi studium deberi quasi contenderent: ego vero, quo a summis illis virtutibus absum longius, eo plus me tibi debere sentio: propterea quod, quum nihil in me sit, quod quidem tuam benevolentiam colligere possit, sponte tua tamen ad me sublevandum omnem operam et studium contulisti. Ergo tua ista voluntate, quam in negotio Melphitano apertissime declarasti, ita me tibi devinctum esse scito, ut a multis beneficia ipsa grata mihi multo minus acciderint. Neque enim per te stetit, quominus ampla conditione, magna spe, apud optimum principem viverem. Quid autem in causa fuerit, ne, quo me vocabas, profectus sim, paucis accipe. Ut primum mandato tuo Lazarus Bonamicus mecum egit, dixi, quibus conditionibus nobilissimos adolescentes docere vellem. Illud imprimis petii, certam sedem et quietam constitui studiis nostris: circumcursationes illas, quibus nobilissimi quique in Gallia sursum ac deorsum perpetuo iactarentur, et istam vitæ rationem ostendi mihi vehementer displicere. Bonamicus, quod de omnibus his, quæ esset Melphitani principis voluntas, se certum nescire, diceret, ad te omnia diligenter perscripturum respondit: fecisse puto. Dum exspectamus tuam et principis de rebus istis sententiam, ecce tibi Vaurensis antistes Lazaro Bavfio successurus Venetias venit, hortatus ut

secum maneam. Ego qui in Galliam antea cogitabam, simulatque eum præsentem vidi, de cuius sanctissimis moribus, eruditione, humanitate a multis plurima prædicari audiveram, non solum, ut discedere liceret, non pugnavi, verumetiam, quo me apud se esse pateretur, obsecrare non destiti. Cuius mei consilii, quid ego tibi scribam, me fructum maximum capere? Nusquam sanctius, ita me Deus amet, nusquam suavius. In quo homine quum cætera ad meam naturam apta sunt, tum illud percommode cadit, quod te, quem observare necesse habeo, amat facitque plurimi. Complexus fere omnia, superest ut illam ipsam gratiarum actionem, quæ me ad scribendum impulit, in epistolam includam. Sed stultissimum fuerit, velle me iuvenem infantissimum tibi verbis satisfacere, quum tu homo eloquentissimus re ipsa rationibus meis consulere conatus sis. Observantia summa et beneficii accepti memoria opus est: quas quidem nisi in me esse perspexeris, indignum omnino, in quem conferatur aliquid beneficii, iudicato Bene vale.

Ep. XXVIII.

P. BUNELLUS BENEDICTO RAMBERTO, PATRICIO VENETO S.

Noli queri, Ramberte suavissime, si serius, quam fortasse exspectabas, ad te scribo: ne ego, quod contra quam mihi isthinc discedenti receperas, adhuc Patavium non veneris, tecum expostulem. Quodsi occupationes in causa fuisse dices, cur mihi in hac urbe hospiti, cui bibliotheca explicanda et nova quædam studiorum ratio primis hisce diebus constituenda fuit, non liceat istud ipsum reponere? Adde etiam, quod nihil magnopere dignum scriptione habebam: et ne nunc quidem aliquid in mentem venit, nisi te multis de causis plurimi fieri. Quid autem de te sentiam, Manutius noster optime testis est: quæ ideo in præsentia omitto, ne ego impudenter ad te scripsisse videar, quæ sine summo pudore, qua es modestia, legere non possis. Unum abs te peto, ex quo

etiam me tui cupidissimum facile cognosces, ut, si tibi ingenium moresque probavi meos, si earum artium, quas tu iam inde a pueritia constantissime coluisti, non nullum studium in me esse vides: si et in posterum non solum amari, sed etiam observari intelliges: peto, inquam, abs te, ut Bunellum in aliquo amicorum tuorum numero esse patiare. Hoc si mihi das, ut nullum præterea quæstum bonarum artium faciam, numquam me in Italia et Venetiis vixisse pœnitebit. Bene vale.

Ep. XXIX.

P. BUNELLUS PETRO FABRO,

SUPPLICUM LIBELLORUM MAGISTRO S.

Etsi ei, qui malevolorum et improborum iniuriis oppressus iaceat, a quovis sublevari gratissimum est: tamen nescio, quo pacto iucundior est salus, quæ ab eo proficiscitur, cui te carissimum semper fuisse iudicaris. Nam quum res ipsa per se magnam lætitiam affert, tum opinio illa non frustra in hoc uno viro spem posuisse, non in errore versatum esse mirifice delectat. Quod ego propterea ad te scribo, ut scias, me duplici voluptate affectum esse, simulatque intellexi, te meæ causæ patrocinium apud regem suscipere decrevisse.

Quamquam enim suspicione criminis in me falso collati liberatum restitui, cuiuscumque tandem gratia et auctoritate id fiat, non poterit non accidere gratissimum: a nemine tamen facilius quam a te ipso me hoc genere beneficii patiar obligari. Alius fortasse ab uno omnia exspectanda neget: ego contra, quum plurimum tibi debeam, cupio immensa illa merita erga me tua maximi huius muneris accessione cumulari. Tibi autem pro me laboranti ob eam rem facillima erunt omnia, quod meam-causam potuisti melius nosse, quam ego, qui prius me condemnatum quam meum nomen delatum, me prius exulem quam reum esse, cognovi. Quodsi de me aliquid dicendum erit, poteris, non quæ ab aliis acceperis, sed quæ tu aut in omni vitæ meæ actione videris

aut in collocutionibus audiveris, sine ulla dubitatione confirmare. Ego iis, quibuscum vixi, ut literarum sacrarum lectione animum alerent, recte pieque viverent, semper auctor fui. Qui ita vitam instituerunt: si a plebe indocta seditiosorum nominibus inquinantur, nihil me movet rei tam sanctæ sacrilega appellatio. Ego sane huius ordinis vel princeps haberi volo. Sed omittamus hæc, quæ in præsentia subtilius disputare nihil attinet: illud potius agamus, obsecro, ut quam voluntatem mei tuendi ostendis, eam conserves aut etiam, si potes, augeas. Quodsi de constantia tua dubitarem, licet in Gallia tuto mihi esse non liceat, prasens, ut in sententia permaneres, humiliter et demisse peterem. Sed quum mihi sponte tua dederis maximam spem innocentiæque meæ præsidium in te positum esse volueris, a te ipso deficere i m tibi integrum non est. Ego longissime absum: res me absente minore periculo transigetur. Præsens enim quid aliud in memoriam redigere possem? At hoc ipsum per alium commodius administrari poterit. Itaque tutissimum in omnem partem illud consilium visum est, non prius Italia excedere, quam Vaurensis antistes, patronus meus, ex hac legatione in Galliam revocetur. Erit mihi omnino ad omnes res aptius et ad morum commendationem honestius in viri amplissimi et optimi comitatu redire. Cave enim putes probitate, eruditione, rerum administratione, prudentia, comitate, humanitate, cave, inquam, putes ullum esse hac nostra ætate, quem omni virtutum laude huic præferre queas. Addo etiam, quod tamen sine illius contumelia dictum velim, qui cum eo iure conferri possint, esse perpaucos, id quod tu ipse aliquando verum esse experiundo cognosces. Quare, ut paulo ante exposui, magnum adiumentum afferet rebus nostris talis viri, qualem tibi depinxi, me comitem esse. Ergo una cum eo in Galliam. Interea studiorum meorum, quibus mihi nihil carius est, cursum tenebo, conaborque ad aliquem gradum eruditionis pervenire, ne tu obscurum plane, et nullius pretii civem patriæ reddidisse videare. Venetiis.

Ep. XXX.

P. BUNELLUS JACOBO FABRO S. D.

Ex tuis ad fratres literis facile perspexi, me magna in offensa apud te esse, quod post tuum discessum ne literam quidem: tu vero me supplicium pro arbitrio tuo sumito: dum tamen duo hæc tibi persuadeas, primum pigritia, cuius crimen effugere vix possum, istud accidisse: deinde me re ipsa et omni officiorum genere facilius quam inanibus epistolis tibi posse satisfacere, Quam enim sententiam literis complecterer? gratiarum actionem? At quum istud ad me libenter studioseque fieret, totum præcidisti, affirmans te potius accipere quam dare beneficium. Quoties occurret aliquid, quod te scire aut tua aut mea intersit, equidem non prætermittam, ut in præsentia evenit. Gratulor igitur tibi: Ferrerium singulari integritate, prudentia, eruditione virum, regis quidem liberalitate, Card. Turnonii summa auctoritate Cæmantii præclaro verissimoque testimonio, tua tamen opera, fide, industria, diligentia hisce temporibus in senatorium ordinem cooptatum esse. Quantum cuique debeat, ipse viderit: sed ego virtuti eius omnia accepta fero: neque tam propter dignitatis accessionem, quam propter exemplum mirifice lætor. Hoc quum a me dicitur, omnes, qui huic negotio vel interfuerunt vel præfuerunt, vehementer et verissime laudari puto. Sed hactenus de Ferrerio.

Reliquum est ut tuis literis ordine respondeam: et primo loco tibi, sicuti debeo, gratias agam, quod negotium illud, quod propinquum mei efflagitatione compulsus, tibi subtimide commendaram, confici curaris.

Quod quum per se magnum est, tum vero multo maius, quod auctoritatem et operam tuam ad meos meorumque casus sublevandos, prolixe polliceris. Quæ tua voluntas eo carius a me æstimatur, quod nullis officiis provocatus, me tuendum susceperis, quo mihi ne impudenter aliquid abs te

postulem, diligentius est providendum. Marliaci beneficio tibi ad Castellani Mantisconensis antistitis amicitiam aditum patefactum esse, non mediocriter gaudeo. Nam et in omni genere literarum ita excellet, ut eius consuetudine viri principes delectentur: cuius eximiam humanitatem vel ex hoc liquido cognoscere potes, quod, quum tantum gratia apud regem valeat, ut fortunis quotidie et honore augeatur, Bunelli meminerit. Huic si placet, ex me salutem. Est etiam quod Marliaco gratias agam, quod fratrem meum, quemadmodum Ferrerius confirmavit, superiore æstate, tum propter æquitatem causæ, tum meo etiam nomine libenter adiuverit. Hoc tu illi, nisi modestum est, meis verbis significabis. Quid præterea? nihil nisi ut incolumis ad nos primo quoque tempore revertare. Bene vale.

Ep. XXXI.

E I D E M.

Apud homines gratos merita nova beneficiorum veterum memoriam non expellunt: fructus tamen, quem ex liberalitate tua hoc tempore percipio, tantus est, ut innumerabilia benefacta, quæ ab amplissimis viris in me profecta sunt, longe minora esse videantur. Neque vero propterea hoc accidit, quod aliorum præterierint, tua munera sint præsentia: a me sane utraque non perturbatione aliqua animi, sed maiore quadam ratione ponderantur. Nam ut cæteri voluntatis erga me propensione et rerum magnitudine tibi non concedant, hoc certe in tua benignitate præcipuum est, quod me in summa tranquillitate constituit, dies noctesque sine ulla interpellatione in studiis literarum versari patitur; non me diutius invitum certo in loco retinet; non eo, quo minime vellem, proficisci iubet; non avocat a libris: quam querelam habuit superiorum beneficentia. Hæc quæ per se magna sunt, alio insuper cumulo augentur: fratrum tuorum summa erga me benevolentia, quæ mihi omnibus in rebus

ad me meosque pertinentibus adeo prompta et parata est, ut non familiæ vestræ cliens, sed pæne quartus Faber et frater existimari queam. Omnia enim mihi vobiscum quodammodo sunt communia, præter reipublicæ gerendæ molestias, quas tantum abest ut vobis invideam, ut hoc nomine felicior propemodum mihi videar, quam vos ipsi meæ felicitatis auctòres. Quod ita esse tu facillime iudicabis, si vere ineunte negotiis exsolutus ad nos revertere. Duo interea mihi diligenter providenda sunt: unum, ne ego minus gratus et memor sim in habenda gratia, quam tu in largiendo fueris liberalis: alterum, ne hoc liberum et vacuum tempus sine fructu effluat, ne ego præ otio iners fuisse iudicer, tu vero tua bona profudisse et perdidisse videare. Bene vale.

Ep. XXXII.

EIDEM.

Quod ego præclare a veteribus scriptum diligenter memoriæ mandaram, verumque esse mihi persuaseram, difficilem esse diuturnam virtutis simulationem, id paucis ante diebus, quam hæc scriberem, experiendo didici. In eo qui homines bene de se sperare diutius noluit, et quum, repugnante natura, omnibus admirantibus, plerisque diffidentibus, filii disciplinam divitiis antiquiorem sibi esse aliquot mensibus simulasset, rediit ad ingenium, meque singulari perfidia prodidit. Sed minime mirum est, in hoc eum negotio sui similem fuisse. Neque vero tam dolendum est, quod hoc suo facto mercedem illam annuam, quæ erat mihi propter angustias rei familiaris necessaria, detraxit, quam quod adolescentem, qui iam tum nepotum tuorum exemplo, tum Gulielmi, viri probi et docti, labore, meisque præceptis, ad probitatem et literas bona cum spe formari incipiebat, valde repugnantem scelerate perdidit. Poterit enim meum illud damnum aliunde resarciri. Juvenis ille, cuius vitiosa natura diligentia nostra et bonorum consuetudine, hac tenera ætate

corrigi fortasse potuisset, iis remediis amissis, vix umquam ad bonam frugem perveniet. Ita is, quem tu bonum civem olim et patriæ utilem fore dicebas, patris culpa, vitia paterna imitabitur.

Equidem optarem aliter evenire, falsumque esse hoc meum augurium: sed quis scit an longe æquius sit rem malis artibus quæsitam, ab hærede conviviis et alea dissipari? Ita patris improbitatem liberorum corruptissimi mores ulciscentur. Scripsi hæc verbosius contra meam consuetudinem, commotus indignitate rei; quo brevior in reliquis ero.

Quum has literas dabam, quæ ad nostram in Italiam profectionem pertinebant, ita parata erant omnia, ut nihil impedire aut etiam diutius remorari discessum nostrum posse videretur. Nepotes tui sanctissime iurant mihique persuadent, se hanc peregrinationem eo animo suspicere, ut prudentiores, doctiores, meliores domum revertantur: ad quam rem ego illis studium meum, operam, diligentiam, fidem sine ulla exceptione polliceor. Quid quæris? Magnam spem habeo, fore, ut volumus, ita tamen, ut a corruptione illa provincia, et ab adolescentiori ætate nonnihil pertimescam. Sed hæc omnia Deus optime moderabitur, ad cuius nutum et voluntatem omnes actiones et cogitationes meas referre constitui. Si quid aliter, atque ego cupio et spero, acciderit, quum vacem culpa, ita rem cecidisse, ut optime potuerit, interpretabor. Bene vale et me absentem non minus quam præsentem ama.

Ep. XXXIII.

P. BUNELLUS PETRO ET JACOBO FABRIS S.

Si diuturna consuetudo lites alienas cognoscendi et componendi facit, ut in vestra causa litigandi acerbitates minus sentiatis, genus hoc vitæ laboriosum vobis hoc tempore fructum ferre gaudeo: sin utrique vestrum idem usu venit, quod medicis, qui in aliorum morbis curandis exercitati, si quando ipsi ægrotare cœperunt, maxime omnium perturbantur:

ita vos, si controversiis aliorum dirimendis assueti non tamen sine magno sensu doloris iudicio conflictamini, de vestra sollicitudine, ut debes, vehementer angor. Atque eo magis, quod haud ita pridem istiusmodi turbulentissimis tempestatibus afflictus aliorum pericula et casus commisereri didici. Neque vero quemadmodum tunc vestra auctoritate sublevatus sum, ita ego nunc nulla re, nisi propensione voluntatis vobis opitulari possum: et istud ipsum, quod a me iure suscipitur, de vestris molestiis nihil omnino detrahere potest. Sed quid refert? ego tamen tantisper gratus et memor esse mihi videor, dum pro vobis omnia adversa timeo, dum vobis omnia secunda opto, qui ne inopiam, gravem studiorum meorum adversariam metuerem, neve quid maius, quam quantum a vobis habeo, optare deberem, vestra liberalitate effecistis. Valete et re feliciter transacta, huc quam primum revertimini. Tholosæ.

Ep. XXXIV.

P. BUNELLUS ANTONIO A PAULO,

SENATORI THOLOSANO.

Miraris, mi Paule, una cum amantissimo fratre meo nihil me ad vestras literas rescribere. Ego antea quidem utrique vestrum succensebam, quod de meis rebus a vobis certior non fierem. Nunc vero literis tuis perlectis, nuntiorum aut negligentiam aut improbitatem accusare cœpi, quorum perfidia literæ vestræ aut perierunt aut interceptæ sunt, priusquam in manus meas pervenirent. Quas ad me non esse perlatas propterea mihi gravius ferendum est, quod non solum iucunda scitu sed etiam pernecessaria complectebantur. Nunc et ego in summa rerum omnium ignoratione versor, et quid ad illa, quæ in literis erant, vobis respondeam, prorsus nihil habeo. De me ipso si aliquid scire vis, ego a tuo discessu optima valetudine, Dei Opt. Max. beneficio semper usus sum: studiorum rationem, quam, quum tu

hic eras, institueram, eandem sequor: literis Græcis et Latinis, quantam possum operam do: non quidem, ut ad honores mihi viam muniam, verum ut aliquando in solitudine aliqua, procul ab hominum improbitate, cum meis litteris quasi colloquar, et eam vitæ tranquillitatem, quam semper adamavi, tandem aliquando mihi parare, et partam tueri possim: quæ a magna parte hominum hac nostra ætate fiunt, quum mihi vehementer improbentur, emendare non valeam, reprehendere non sit tutum, eripere me ex hac sceleratorum colluvie, et cum paucis bonis viris aliquo secedere decrevi. Ad eam rem, quam paro, et literis et libris opus est, in quibus, ut in hominibus, et si nonnulli mali sunt, libros tamen malos legere nemo coget: ab improborum autem hominum fæce, nisi me subtraxero, multa ab eis dici, quæ nolim, audiam: multa quotidie invitus fieri videbo. Sed hæc melius tum constituentur, quum in Galliam una cum antistite me recepero: quod quidem, quando futurum sit, confirmare tibi non possum: hoc certo scio, redeat quum volet, numquam tam cito, quam ego vellem, id futurum est. Huius cæli et soli tædium, quamquam ad hanc molestiam levandam plurimum valet, quod apud eum vivo, cuius mores, ut sanctissimi, ita suavissimi sunt: in cuius vita, quum nulla ne tenuis quidem suspicio turpitudinis hæreat, nulla etiam in dictis aut factis asperitas; omitto rerum gerendarum prudentiam, quæ maxima in hoc viro est, supraque ætatem ac omnium fidem, literæ Græcæ in eo plurimæ, orationis facultas summa. Quid quæris? hunc finxisse Deus Opt. Max. hoc consilio videtur, quo haberent nostri antistites, quem imitarentur, cuius similes esse vellent. Videbor tibi fortasse et aliis nonnullis in huius viri laudatione nimium profusus, ego mihi nimium parcus. Sed redeo ad id, quod cœperam. Levant hæc ægritudinem, simul et Danesii, viri optimi et doctissimi, iucunda consuetudo: nulla tamen remedia tam magna sunt, ut mihi Galliæ nostræ desiderium penitus adimere queant. Quod ut paulo facilius feram, interdum per literas me de rerum mearum et vestrarum statu

facite certiorem: neque id rarius, propterea quod non sæpius ad vos meæ literæ afferuntur. Vos enim, quæ me scire magnopere mea intersit, scribere potestis: ego quod vobis iucundum cognitu sit, prorsus nihil habeo: impediunt præterea variæ occupationes, quibus distineor, ne bellam aliquam epistolam, quemadmodum vellem, ad amicos perpolire possim. Negligenter scribere minime decet me, nisi tibi fortasse, cum quo propter amicitiæ vetustatem vitia mea communicare non dubitem. Itaque vides, quam dissoluta hæc sint, quæ tu potius cum fratre meo loquutum esse quam literis consignasse iudicabis, et valebis, Venetiis.

Ep. XXXV.

P. BUNELLUS REYNOLDO CHANDONIO S.

Contentus eram a te, mi Reynolde, iis beneficiis, quæ tu, in Italia dum esses, in me plurima et maxima contulisti: nihil amplius exspectabam, nisi ut, quem præsentem tantopere adamasses, eius quoque absentis meminisses; cætera studiorum meorum præsidia tum a me tum ab aliis amicis in posterum petenda videbantur. Tu tamen, quasi hoc unum in vita, ut me tuearis, tibi propositum sit, quem semel benevolentia amplexus es, omni officiorum genere cumulare numquam desistis. A me nihil umquam in te ne mediocre quidem profectum est, ut mihi accepti beneficii gratiam nunc velle rependere videare. Quid autem speres in posterum, plane, non video: is sum, qui amicorum potius auxilium desiderem, quam ipse aliis opitulari possim. Accedit illud, quod, si rempublicam recta ratione geri viderem et ad summos honores acquirendos mihi facillima essent omnia, ascendere tamen altius non magnopere laborarem. Nunc vero, quum insignia ista dignitatum non virtuti industriæque, sed improbitati inertiæque tribui videam, neque huiuscemodi præmia, si mei similis esse volo, optare debeo, neque, quum ab iis artibus, quibus hæc parantur, pessime instructus sim, sperare possum. Quam ego instituti

mei rationem eo libentius ad te perscribo, tum quo scias, me nihil eorum magnopere admirari, ad quæ tu me amantissimis tuis literis vocas: tum, si de me cogitandi finem nullum facere decrevisti, quid ego de posthac sequi velim, intelligas. Ego animi tranquillitatem mihi proposui, ad quam meas actiones et cogitationes omnes referri volo: quicquid ab hac abducit, aversor et abominor. Quo magis tibi cavendum est, nisi idem exspectabis, dum meis rationibus maxime consultum vis, me et studia mea funditus evertas. Ego ne maximas ambitionis et invidiæ procellas subire cogerer, in portum hunc literarum me abdidi: tu me egredi et turbulentissima tempestate vela facere iubes: magnum est id quidem, quod me consecuturum speras, sed non satis ad id, quod volo, accommodatum. Perexiguum est, mi Reynolde, quod mihi deest, quoniam in rebus humanis tantum cuique opus est, quantum quisque cupit: cui cupiditati angustos cancellos circundedi, eisdem terminis inopiam, quibus desiderium rerum definio. Hanc sententiam si quis non laudat, aut si etiam meum hoc consilium contemnit, nihil me movet, modo ne mihi molestus sit: ruat quo cæcæ cupiditates eum constrictum trahunt; me in hac philosophia Christiana liberum acquiescere patiatur. Volo igitur tibi sollicitudinem minuere, non penitus adimere. Non magnum est, quod studia mea postulant, quod ut aliquando consequar, ne semper ex aliorum voluntate pendeam, tibi, qui me tuendum suscepisti, omni ratione providendum est. Lazarus quidem Bayfius, cuius incredibilis eruditio cum summa iucunditate coniuncta, numquam satis laudari potest, nuper Lugduno literas ad me dedit, perbreves quidem illas, sed amoris valde significantes: in quibus quum alia plura, tum illud imprimis liberale erat, se in emolumentorum meorum procuratione ne tibi quidem concessurum. Sed ego, mi Reynolde, a viro ornatissimo nimis multa habeo, quorum initium a te quoque profectum est: magnitudine officiorum obrui nolo, tantumque abest ut aliquid amplius flagitem, ut partem etiam acceptorum, si fieri possit, cupiam reponere.

Est enim quemadmodum in re nummaria sic in officiorum genere, ne minimum alicui debeas, diligenter providendum. Quam libenter, quam suaviter apud eum Venetiis tres annos vixerim, præclare memini: quanta facilitate me penitus literarum Græcarum rudem tulerit atque etiam pæne docuerit, oblivisci non possum. Ad ista, quæ maxima sunt, si aliquid accesserit, næ ego mihi nullam libertatis partem prorsus relictum putabo. Tu igitur elabora et contende, ne plus cuiquam quam tibi uni obstrictus sim: cui propterea libentius omnia mea accepta refero, quod, in Italia quum ex magna rerum omnium difficultate laborarem, tu princeps sponte tua ad me amandum et tuendum omnes conatus tuos et impetus contulisti: a te igitur extrema cum primis contexi cupio. Sed non valde urgeo, quum existimem ad annum unum, et item alterum hic res meas liberalitate Vaurensis antistitis satis belle constitutas: de cuius moribus quid ego existimem, ex meis ad Michaelem literis facile perspicies. Interim aut tu virtute tua altius evolaris, aut ego Dei Opt. Max. voluntate ex hac vita decessero. Utrumvis horum satis est ad me omni molestia penitus liberandum.

Ep. XXXVI.

P. BUNELLUS REYNOLDO CHANDONIO S.

Mirabar hoc meo tristissimo tempore, quum scires, me discruciari misere, ne literam quidem levandi doloris causa scripsisse. Quid in causa esset, tandem suspicione assequutus sum. Quoniam regi ea placent, quæ scribis, nos plebei et ignobiles a te contemnimur. Antea quum linguæ Græcæ, Latinæ, addo etiam, Italicæ studiosus eras, nihil te cogitari aut fingi potuit humanius: simulatque vero Gallici sermonis peritia accessit, repente exorta est arrogantia. An quia de fortuna Romanorum vernacula lingua conscripsisti, fortunatus adeo tibi videris, plusque fortunæ tribuis quam virtuti? sed extra iocum. Probari maxime principi, quæ adhuc a te profecta sunt, vehementer lætor, novumque aliquid

te quotidie moliri non modeste fero: modo Phorcrisium et Bunellum ames, teque ab utroque non mediocriter amari existimes. Bene vale.

Ep. XXXVII.

P. BUNELLUS CLAUDIO PHORCRISIO S.

Lectis tuis literis cœpi nonnihil de tua erga me benevolentia dubitare. Neque enim, si mihi amicus esses, negotium patroni tui, Trabellorum antistitis, tam multis verbis, tam anxie, tam demisse mihi commendasses, et non potius, quid me ea in re facere velles, nutu significares. Quodsi cælum Britannicum te ita nobis immutavit, ut non solum Senatus populique Romani, verumetiam nostræ necessitudinis oblivio te ceperit, equidem doleo te tam diu in illa provincia fuisse. Sin te aula adeo expolivit, ut, cui omnia onera iure familiaritatis imponere possis, ad eum supplex venire non recuses, minus commoveor. Sed ego, qui in hoc vestro ludo minime sum edoctus, si quando tua industria ad rem aliquam mihi opus fuerit, illud tuum exemplum non imitabor. Extra iocum. In re patroni tui curanda nullum Vaurensis antistes diligentiæ meæ locum reliquit: neque vero, ut in memoriam redigerem, umquam necesse fuit. Si quando mentionem facerem, præclare meminerat: suam rem agi dicebat: addebat quamplurima de patroni tui virtutibus; quæ ego etsi ante annos aliquot de multis cœpisse audiveram, et ex eo tempore illum colere cœperam, gaudebam tamen meam de eo opinionem viri optimi testimonio confirmari. Itaque, Vaurensis antistes quid effecerit, quid non, perscribet: me vero operi manus ne admovisse quidem tibi confirmo, quare integram operam meam ad alia, si quæ restant hic agenda, tibi servo. Hactenus de negotio patroni tui: iam de nobis aliquid. Tu in Italiam redire cogitas: ego, ita me Deus amet, Galliæ desiderio contabesco. Tu in Brittannia, quemadmodum facete magis quam vere scribis, Romane loqui didicisti: ego quum antea non illibenter Latine

scribere, Romæ eam exercitationem intermisi. Domo egressus nihil audio, nihil video quod me delectet, præter saxa et vetusta quædam numismata. Sed ego cum hominibus non cum saxis vitam agere decrevi. Meo, dices, hæc omnia accidere, non loci vitio; sit ita: sed hic error, in quo versor, nisi mutatione loci mihi eripi non potest. Quum in Galliam rediero, si umquam in Italiam, nisi coactus, tum demum omnia in me probra coniicito, Bunellumque omnium, quos unquam videris, inconstantissimum iudicato. Interea, dum hoc errore totus mihi displiceo, liceat mihi per amicos pigro et negligenti esse. Quod scribo propter eos, qui in me duriores sunt, si quando in literis scribundis cessare me viderint. Equidem vim animo meo afferre non possum: alacritate quadam mentis, si scribere velis, opus est, quam prorsus amisi. Hæc ego ad te paulo apertius scribo, ut causam nostram apud Bayfium tueare, cuius innumerabilia beneficia, quoad literarum studia mihi placebunt, oblivisci qui possum? quoties aliquid aut lego, aut scribo, toties de summa illius erga me liberalitate cogito. Neutrum enim, nisi me Venetiis domi suæ vir humanissimus aluisset, vix umquam cum aliquo fructu facere potuissem. Nolim igitur eum sic colligere: tacet, nullas literas iamdiu ad me dedit: ergo ingratus est. Illud potius, ergo piger et negligens, in Latinæ eloquentiæ curriculum vixdum ingressus, quum summa animi contentione progredi deberet: stat in eodem vestigio, aut etiam regreditur, libet enim verum fateri. Hæc etiam causa, præter superiores, fecit ut epistolam mittere ad eum distulerim, quod nihil doctissimi viri palato iucundum hoc tempore ab eo fonte manare certo perspicerem, qui mea negligentia prorsus exaruisset. Ille me in veteri exercitatione permansisse existimat, et aliquid magnum exspectat: at ego vix singulis annis singulas epistolas compono, quod ita vel me tacente facile cognosces, quum hæc dissoluta et dissipata leges, nullisque articulis inter se cohærentia. Sed inter nos peccare licet: Bayfii iudicium, qui mihi Longolium præponere solebat, magis pertimesco: superio-

ribus tamen diebus ad eum scripsi, sed valde breviter, propterea quod festinaret tabellarius. Spero futurum ut epistolam uberiorem brevi a me accipiat. Irterim tu me illi diligentissime excusabis. Vale. Romæ.

Ep. XXXVIII.

P. BUNELLUS PAULO MANUTIO S.

Fuit tempus, quum ego Paulum Manutium ob suavissimos mores et præclaram ad summa omnia indolem plurimi facerem, neque solum ad literarum studia, sed ad probitatis paternæ imitationem currentem quidem cohortarer, tuque me ut Gallum hominem et hospitem, non omnino contemnere viderere. Cuius temporis si non prorsus oblitus es, opportune Phorcrisius hasce literas tibi reddet, quæ senescentem quidem, non tamen penitus exstinctum Bunelli memoriam in animo tuo renovabunt: atque is quæ mea sit erga te voluntas, quod meum de te iudicium, quam frequens, quam honorificus sermo, tibi multo liberius exponet, quam si istud ipsum verecundius, quemadmodum mea fert natura, literis comprehenderem. De eius fide nihil est quod dubites: est enim in eo minime fucata probitas, et non mediocris in omni genere literarum eruditio; una multos annos coniunctissime viximus. Si quid igitur de vitæ meæ ratione scire voles, ab illo omnia. Ego pro eo unum abs te peto, ut Claudium Phorcrisium non solum ut bene doctum hominem, verumetiam ut mihi amicissimum tuaque amicitia dignum, quo poteris officii et humanitatis genere, complectare. Bene vale. Saluta meis verbis Rambertum, quem olim de commodis meis cogitasse, præclare memini.

Ep. XXXIX.

P. BUNELLUS FRANCISCO SELVÆ S.

Amicitia quidem nostra tam alte radices egit, et ad eam magnitudinem crevit, ut literarum confirmatione minime egeat. Fuit mihi tamen periucundum ea legere, quæ tu in eam sententiam copiosissime et elegantissime scripsisti. Ego ut sanctas amicitias, qualis mihi tecum intercedit, facile omnibus rebus humanis antepono: ita, ne aut falsa aliqua suspicione, aut malevolorum artibus labefactentur, maxime laborare soleo: quæ omnia adversum te nullam vim habuisse lætor. Epistolas ad fratrem tuum et Danesium perturbato animo, magis mei purgandi quam eloquentiæ ostentandæ gratia scripseram: quas tibi et eruditis non omnino displicuisse, quoniam cupio, facile quoque mihi persuaderi patior. Quod hortationes meas magnum pondus apud te semper habituras dicis, sic existimes velim, te viros multo prudentiores, quorum consilio et monitis actiones tuæ nitantur, quamplurimos, amiciorem, et qui tibi magis ex animo bene cupiat, inventurum esse neminem. Quæ a me non leviter et, ut mos est dicendi, ita scribuntur: quum neminem dico, vere et præcise accipi nolo: ut multos habeas tui amantissimos, me illorum concedere nemini: uberiores fructus aliorum amicitia tibi feret, ego cum illis benevolentia contendam, quæ me etiam cogit interdum vereri, in hoc genere vitæ, quod delegisti, ne ita res humanas complectare, ut divinarum te capiat oblivio. Difficile est non moveri iis, quæ in oculos continenter incurrunt: ea vero, quæ numquam cernas, numquam audias, animo inclusa tenere. Potest quidem utrumque fieri, sed mihi crede arduum est. Christi præsidiis munitum eum esse oportet, qui tot tantasque difficultates superare volet. Ad eum igitur quam sæpissime revocanda mens est: qui nobis ita loquitur, ut nemo exaudiat: et ea nobis persuadet, quæ multis incredibilia videntur. Hæc paucis in præsentia ad te scripsi: alias pluribus, quum plus otii nactus ero. Iterum valebis et me amabis.

Ep. XL.

EIDEM.

Nisi bene tibi notus essem, excusarem me de negligentia literarum, causamque aliquam aut veram, aut verisimilem afferrem, quare humanissimis tuis literis provocatus nihil ante hunc diem responderim. Verum apud te nihil opus est: accusa me pigritiæ, quantum voles; statui hoc crimen ne nutu quidem refellere. Sed cave ne propterea quicquam de mea erga te benevolentia detractum susspicere: hoc enim mihi gravius accidere nihil potest. Nam quum in omnium amicitiis tuendis constantissimus videri volo: tum vero tui memoriam animo affixam esse meo, tibi penitus persuasum esse cupio. Equidem multæ causæ, te ut primum complecterer, impulerunt: sed illa fuit gravissima, quod summa ad virtutem indolem in te esse facile cognovi. Ad hanc indolem quum disciplina Christiana ac studium summum accesserit, tu, uti spero, hoc tuum sanctissimum institutum semper conservaibs, et ego, quoad vivam, in hac mea erga te voluntate permanebo. Sed de his satis. Venio ad res meas, quæ tibi, quum una vivebamus, non minori curæ erant, quam mihi. Negotium illud meum adhuc me sollicitum habet: agitur quidem Tholosæ per procuratores meos diligenter, et illi prosperos exitus pollicentur: sed ego non usque prius adversa timebo, dum omnia ex animi sententia confecta videro. Istis molestiis, quæ me tot annos acerbissime torquent, semel liberatus, ad veteres quidem, sed diu intermissas, scribendi exercitationes me referam, maioremque mihi tranquillitatem afferre, amicis omni genere officiorum facilius satisfacere potero: quæ nunc exspectatione rerum mearum anxius præstare nequeo. Ut autem hæc incommoda minus sentiam, fratri tuo Lazaro, quum venatum proficiscitur, me sæpissime comitem adiungo. Nos enim, si nescis, post primos illos dies, quibus in aula fuimus, in agrum hunc Villorianum, amœnissimum sane, libentissime secessimus, et veluti ex turbulentissima tempestate in tranquillissimum portum consedimus:

hic exspectamus, quid tandem constituetur de fratris tui in Germaniam profectioue: de cuius onere, etsi nihil hæc res ad me pertinet, mirifice torqueor, neque qui doptare debeam, satis scio. Vobis quidem honestissimam legationem, et reipublicæ Christianæ utilissimam videri scio: sed ego non tam initia rerum quam eventum mihi ante oculos propono: quæ quamquam dubia sunt, tamen in alteram partem facilius casura mihi videntur. Cum ingeniis Germanorum confligendum erit, qui, ut in bello quum quem semel occuparunt locum, tutantur, sic, quam semel arripuerunt sententiam, quæcumque ea sit, mordicus et pertinacissime defendunt. Huc accedit, quod ii, qui hæc opinionum venena in vulgus sparserunt, quorum auctoritatem cæteri sequuntur, ut se impie sensisse intelligant, fateri tamen aliis, quibus imposuerunt, errorem sine vitæ periculo non possunt. Qui ex templorum spoliis patrimonia sua auxerunt, an sibi tam opimam prædam e faucibus eripi, imovero e visceribus evelli sine dimicatione patientur? Sed tu hæc omnia facile diluis, scribisque Deum non passurum ut cuiusquam privata cupiditas communis utilitatis cursum impediat. Verum audi quod ego pro hoc tibi referam: non patietur Deus hunc morbum periculosum et inveteratum sanari, quamdiu vera non adhibebuntur remedia. Siccandus est fons aut obruendus, si velis exhaurire hæc, quæ totum fere orbem inundant, sectarum flumina. Quod si quis est, qui adhuc se scire dissimulet, unde tantum malorum in nos redundarit, ego digitum ad fontes intendam. Nostri corruptissimi mores, summaque negligentia hunc pestem nobis invexerunt. Mutemus ergo in melius, quæ depravata sunt: mores nostros ad veteris disciplinæ regulam dirigamus. Hæc ubi facta erunt, id est, præcisa morbi causa, non multo post hæc opinionum commenta exarescent. Hæc autem ut fiant, non a Germanis petendum est, sed a nobis ipsis impetrandum. Hoc in potestate sua magna ex parte duo principes habent, et solo propemodum nutu conficere possunt. Res minime dubia est, et disputatione non eget: exstant sanctissimæ leges et veterum patrum decreta minime

dubia aut obscura: sit sacrosancta illorum inter nos auctoritas, quod non verbis et simulatione, sed factis et sincera vivendi ratione assequemur. Hæc vera, hæc certissima, hæc a veteribus illis usurpata sanandæ reipublicæ Christianæ ratio, qua omissa propterea quod acrior nonnullis esse videbatur, ad remedia quædam leviora confugimus, quæ non secabunt, non urent, dolorem denique mitiorem, facient; sed certe audeo hoc affirmare, vulnus non sanabunt: cicatricem fortasse obducent, quæ leviter tacta, paulo post acerbius recrudescet. Habes meam de hisce rebus sententiam, quam ego propterea pluribus ad te scripsi, ut intelligeres, me, qui res privatas expedire non possum, dé repub. sollicitum esse, et simul, quoniam in tractatione rerum humanarum totus es, volui te habere, in quo acumen illud ingenii tui exerceres: ac, si non probares, quæ a me scripta essent, ut firmioribus argumentis ea refelleres. Bene vale.

Ep. XLI.

P. BUNELLUS JOANNI FRANCISCO SELVÆ S.

Vehementer lætor, te malevolorum de me sermonibus non modo non cessisse, verum etiam constantissime restitisse. Ita enim ad me scripsit Ferrerius noster, quum a nonnullis oppugnarer, te mei nominis propugnatorem fuisse acerrimum. Equidem pluris facio testimonium tuum quam reliquorum calumnias. Itaque valeant, qui inter nos dissidium quærunt: amicitia nostra, quoniam hac tempestate turbulentissima eversa non est, nullo umquam rerum humanarum motu labefactabitur. Te mihi carissimum fuisse tu ipse testis es: quam sim constans in amicitiis tuendis non ignoras: de tua erga me voluntate et fide posthac dubitare qui possum? Illud igitur curemus, ut ex nostra amicorum coniunctione honestissimus aliquis fructus efflorescat. Quod nulla certiore ratione assequemur, quam si tu literis tuis me ad patris olim mei, ego

te meis vicissim ad fratris demortui imitationem cohorter et excitem. Bene vale.

Ep. XLII.

P. BUNELLUS ODETO SELVÆ S.

De memoria fratris tui ab oblivione hominum vindicanda quæ scripsisti, eadem quoque mihi in mentem venerant: et certe recenti adhuc vulnere ad nonnihil simile aggressus essem, nisi quædam pestes hominum, dum mortem viri optimi mihique carissimi deplorare conor, me ipsum meæ vitæ potius timere coegissent. Postquam vero die ipsa dolore mitigato una quoque ille veluti scribendi calor aliquantum refrixit, cœpi rem omnem mecum attentius perpendere: cogitavi fieri posse, ut multi consilium illud meum pessime interpretarentur, meique nominis illustrandi potius quam memoriæ patroni celebrandæ quæsitam occasionem dicerent. Alii, quibus operis argumentum non ita displiceret, genus scriptorum meorum valde contemnerent, atque ut vir ille propter eximias virtutes pingi fingique dignus fuerit, me tamen neque Apellem, neque Lysippum esse iure contenderent: quorum alterum suppresso auctoris nomine vitari facile posset, alterum, si vestro iussu, quorum rem quamdiutissime manere maxime interest, id totum susciperetur. Quodsi ea facultate, quam in me existimatis esse, vos contenti estis, quid attinet in hac re meam voluntatem exquirere, quæ tibi præsertim neque dubia neque obscura esse potest? Et quidem in præsentia ea mihi studiorum ratio instituta est, ut veterum scripta legenti nova non admodum scribere vacet aut libeat. Sed neque in istiusmodi rebus magnopere festinandum censeo, et quum animum meum diuturna lectione explevero, tum demum, uti spero, omnes meos impetus ad scriptionem convertam. Hoc interim spatio valde cuperem ea, quæ ille partim de Græco in nostrum sermonem iussu principis converterat, partim sua sponte ad religionem Christianam pertinentia scribere instituerat, a vobis diligenter asservari. Etsi enim perpolita non sunt, ea tamen, si vestro beneficio aliquando in

manus hominum pervenient, Georgium Selvam non solum vixisse, sed optimum sapientissimumque antistitem fuisse, posteris testabuntur. Hac ratione facillime poterunt refelli malevolorum calumniæ, quæ ut prorsus manes sunt, ita omnino indignæ, quibus aliquid respondeatur. Fratrem tuum nemo bonus et prudens novit umquam familiariter, qui non illius similis esse optaverit. Horum ingenia et mores qui bene perspexerit, nisi stultissimus aut improbus, imitari cupiet nemo. Bene vale. Tholosæ prid. Calend. Januar. MDXLI.

Joannem Franciscum fratrem tuum literis meis provocatum nihil rescripsisse demiror, cui, si placet, ex me salutem.

Ep. XLIII.

EIDEM.

Paucis diebus antequam literæ tuæ humanissimæ mihi redderentur, scripseram ad Ferrerium epistolam, cuius exemplum quoniam ad te missum existimo, non repetam hic, quæ ne semel quidem a me sine summo dolore scribi, neque fortasse a te sine aliqua molestia legi potuerunt. Illud potius dicam, nihil gratius, nihil suavius, nihil iucundius literis tuis: metum enim omnem, in quo eram, et quo, ne antea ad te scripserim, prohibitus sum, mihi ademerunt. Bene habet, quod tuum de mea erga te voluntate iudicium retines, paremque ac mutuam propensionem animi polliceris. In qua parte meritorum quidem magnitudine longe superior esse potes, amore et benevolentia me vincere numquam potes: quam ego tibi cæterisque omnibus quocunque potero officiorum genere declarabo. Nam quod primo loco ponebas, te adductum, quod scires me fratri tuo fuisse carissimum: virum illum, quoad vixit, propter eximias eius virtutes tanti ego feci, quanti mortalium prorsus neminem: meque ab eo diligi, nullo tamen merito meo credidi, neque in hoc me deceptum puto. Eius mortem gravius tuli, diutius luxi quam patris aut maris, omniumque, qui mihi umquam fuere carissimi: illius memoria mihi in visceribus hæret, quam ego quotidie renovo, non

solum ut de amore nihil detrahatur, sed ut illius exemplo ad virtutum quidem omnium, sed imprimis Christianæ religionis studium magis incendar. Quod quidem, Deo adiuvante, si assequar, tum id, quod de virtutibus meis amice in literis tuis addebas, vere aliqua ex parte poterit scribi. Interea non solum laudem aliquam mihi tribui non postulo, verumetiam summam vituperationem valde pertimesco. Si enim, quum ducem habebam, per curriculum pietatis tam lente procedebam: nunc quum neminem video qui præeat, qui vocet, qui excitet, tam multi revocent, deterreant, detrahant, quid futurum sit, id est, in quam partem animus meus se patietur impelli, non satis scio. Neque enim divino solum præsidio, quod nobis volentibus et petentibus præsto semper est, sed summa etiam constantia incredibilique animi robore opus est, ut tot tantasque difficultates, veluti moles oppositas, fortiter perfringamus et obteramus. Verum hæc in præsentia nimis multa: posthac autem sæpius ad te et diligentius, si intellexero, meam in hoc genere diligentiam tibi non displicere. Bene vale. Tholosæ Idib. August. MDXLI.

Ep. XLIV.

EIDEM.

De libris fratris tui ita satisfactum est iustissimo desiderio tuo, ut nemo tamen queri possit, quicquam hæredibus ademptum esse. Prudenter, mea quidem sententia, et quemadmodum oportuit, administrata sunt omnia, nisi forte in eo lapsi sumus, quod arcæ tuæ nimium pepercimus. Nam et tuo nomine deterritis, factum est fortasse, ut omnia aliquanto minoris venierint. Quodsi ita esse rationibus subductis comperies, facillime hoc damnum tua liberalitate sarcies. Illud quidem animadvertisse mihi videor, bonarum artium studiosos omnes eo libentius tuæ voluntati morem gessisse, quod quum de cæteris tuis virtutibus, tum de animi candore multa a nobis prædicari audiverint. Confirmavi enim illis te

hunc thesaurum librorum non magis tibi quam bonis omnibus emere, libenterque divitias istas ob sublevandam literatorum inopiam profusurum. Sed de his hactenus. Quod attinet ad negotium illud, cuius tu in posterioribus literis meministi, ego Mezentio rem omnem exposui, qui longe melius coram quam ipse literis complecti possem. Ab eo igitur omnia. De fratre tuo, quoniam ita tu iubes, ad quem res maxime pertinet, et Salomonium, cuius ego iudicium plurimi facio, hoc non solum exspectare, verumetiam flagitare dicis, conabor aliquid conscribere: atque utinam voluntati animoque meo facultas respondeat. Sed amabo priusquam ad istud opus aggrediar, sine, ut legendis veterum monimentis quasi sitim expleam. Interea dabo operam, quemadmodum sapienter mones, ne acumen stili ita retundatur, ut exacui quum res postulabit, facile nequeat. Bene vale. Datæ Tholosæ VII. Calend. Maii. MDXXXI.

Ep. XLV.

EIDEM.

Nuper, dum Patavii una essemus, quum alia multa mihi ex amicorum consuetudine iucundissima acciderunt, tum ex Marii viri sane optimi pietate fructum cepi vel maximum. Quem quum Pauli epistolas enarrantem libenter audirem, illud me in eo sene imprimis delectabat, quod institutum eorum vehementer reprehenderet, qui philosophiæ studiis plusquam necesse Christianis esset, dediti, literas sacras aut numquam aut sero admodum attingerent. Et quum mihi, quæ in hanc partem afferebat, valde probabat, tum etiam nonnullos harum rerum prorsus insolentes sua oratione permovere visus est. Gaudebam sane, et bonos omnes non mediocrem facere quæstum arbitrabar, si doctrina summa et præstanti ingenio præditi viri, ad optimum istud et plane divinum philosophandi genus, a quo antea abhorrebant, se totos converterent. Memoria tenes, quum ego tibi de fratris

tui patronique mei Vaurensis antistitis sanctitate, de Poli etiam suavitate et minime fucata probitate multa dixissem, a quibus hæc studia summa animi contentione coli sciebam, quid etiam de Sadoleto addiderim: cuius testimonium eo plus habere ponderis videbatur, quod, quum nullum scientiæ genus prorsus ignoraret, in ipsa autem philosophia etiam excelleret, sibi tamen Platonem et Aristotelem præ Paulo frigere asseverabat. Quod ego non ut maiorem auctoritatem apud te res haberet, dictum ab eo fingebam, sed istud ipsum et de Polo, qui a Sadoleto sibi dictum confirmaret, prædicari non semel audiveram, et ex eius scriptis, quæ brevi tempore non pauca in hoc genere ediderat, ita esse mihi facile persuadebam. Hanc meam de Sadoleto persuasionem et prædicationem refellere videtur eleganter sane ab eo scripta epistola, cuius auctoritate et eloquentia quoniam nonnullos ita commoveri audio, ut in eo, quod facere statuerant, non perseverent: magis autem repudiata theologia, quam paulo ante, veluti castissimam coniugem, sibi desponderant, ad veterem pellicem, quam a se dimittere cogitabant, et eius blandissimas illecebras revolvantur: placet in præsentia tecum singula rationum momenta expendere, prolixiusque de omnibus istis agere quam epistolæ brevitas patiatur. Petierat Polus, ut est religionis amplificandæ cupidissimus, a Sadoleto per epistolam, ut Lazarum Bonamicum, suum contubernalem, ad studia literarum sacrarum impelleret: velle id antistitem non dubitabat: valere plurimum apud Bonamicum auctoritatem eius sciebat. Quodsi id fieri posse desperaret, saltem ab eloquentiæ studiis ad graviora illa philosophiæ moralis præcepta traduceret: se sperare, ut, quum eo pervenisset, non consistendum sibi in ea disciplina putaret, quæ altius evehere hominem certe non potest, quam ut tandem fateatur, se hoc unum scire, quod nihil sciat: maiore quadam luce opus esse ad tam crassas ignorantiæ tenebras discutiendas. Hæc erant fere, sed fusissime dilatata, et oratoriis coloribus depicta, in ea Poli epistola. Cui respondet Sadoletus, se aliquantum ægre ferre, quod videre videatur, hæc orna-

menta ab eo contemni, quæ tanta sunt, ut sine his illa, quæ omnibus præfert, constare non possint. Atqui non magis philosophiam contemnit Polus quam Socrates, qui eam suo loco, non supremo tamen, collocat. Qui ab ea nos ascendere ad altiora iubet, is eam non spernit, sed inferiorem aliis esse demonstrat. Illud vero quis ferat, theologiam sine philosophia ius suum tueri non posse? id est divina sine humanis non valere consistere? At Sadoletus se intelligere de theologia, quatenus in scientiæ genere et ratione ponitur, paulo post indicat. Quis umquam vere pius illam rixandi et litigandi magistram laudavit? Polusne mansuetissima natura Lazarum Bonamicum a fragrantissimis eloquentiæ flosculis, amœnissimis philosophorum hortulis, ad saxa prærupta et aspera, spinis vepribusque obsita, a Sadoleto, cuius elegans iudicium in omni genere perspectum habet, vocari vellet? Ad veram, ad solidam, ad germanam theologiam, qua nihil dulcius est, hominem sibi amicissimum allici cupiebat: cuius sane vis non tam verbis exprimi, quam sensu quodam mentis intimo percipi potest. Quæ neque a dialecticis disserendi rationem neque a philosophis recte vivendi præcepta, aut naturæ cognitionem petit: ipsa non aliunde pendet, neque aliarum artium externis eget præsidiis: se ipsa contenta est, quam in ædificio Paulus, si quis eum architectum adhibere volet, non tecti aut fastigii, sed fundamenti loco ponet. Ac, ne nos ab ædificandi similitudine discedamus: nisi fundamenta firmissima ieceris, quicquid exædificaveris, aut aquarum inundatione, aut ventorum procella impulsum ruet. Quid autem imbecillius philosophia, sive de bene vivendo, sive de rerum natura loquatur? Quid? tu ergo disciplinas a veteribus inventas vituperas? Imovero summopere laudo, si intra domicilium proprium manebunt, et non in alienum irruere conabuntur. Sed de hoc alias pluribus. Jam quod ait, a bonarum artium studiosis laudem præcipue non expeti, speciose sane ista dicuntur: et Sadoletus, quod facile appareat, alios ex ingenio metitur suo. Ego vero aviditatem hanc gloriolæ in maxima quæque ingenia facile irrepere, a

nullisque nisi Christianis, et ne iis quidem vulgaribus, ex animo contemni posse, omni asseveratione confirmo. Simile est illud, Omnem virtutis actionem, si ad perfectionem sui quæque generis perducatur, sibi præmium amplissimum esse. Quis putaret quicquam posse dici melius? et tamen Christianus non tam in actionibus suis, aut ullo virtutum genere, quæ, quoad vivimus, ad summum pervenire non possunt, quam in perspecta erga se Christi benevolentia acquiescit. Hæc autem a me non propterea reprehenduntur, quod multum displiceant, quibus in philosophia, mea quidem sententia, dici nihil potest divinius: sed ut intelligant philosophi, si nobiscum signis collatis congredi volent, quam debiles sint futuri. De iis autem loquor, qui nostris sacris initiati sunt. Quodsi quis unum aliquem ex Epicureorum genere producat, hoc argumentorum genere, satis scio, nihil proficiam. Sequuntur similitudines quædam, perbellæ illæ quidem a moribus, a cultu et conformatione totius corporis petitæ, sed quæ minime cogant nos id fateri, Christiano, qualem in suis epistolis finxit Polus, et nos animo concipimus, hæc omnia artium adiumenta esse ita necessaria. Nam ut demus, Basilium, Chrysostomum, Augustinum, reliquosque illos præstantes viros, ab omnibus disciplinis instructos fuisse, eas tamen artes, quæ liberales a nobis appellantur, tamquam ancillas, theologiæ, veluti reginæ gravissimæ, servire voluerunt. Nemo etiam eorum, quod sciam, inventus est, cui degustata semel literarum sacrarum suavitate, philosophorum decreta non insipida aut etiam amara visa sint. Et quoniam Sadoletus intelligere se negat, quid sit illud, quod Polus dicit, tantum operæ in rerum divinarum cognitione se ponere, ut ad cæteras artes ne aspiciendas quidem spatii quicquam relinquatur: præsertim quum instituti nostri ratio paucissimis libris, iisque non ita obscuris contineatur: libenter ex eo scire cuperem, num Gregorium, Basilium, Augustinum, tot annos, quot in hoc genere contriverunt, perdidisse putet. Quicquid mihi de sanctissimis illis viris respondebit, idem ego de Polo ei reponam. Nemini, ut ego sentio, mirum videri debet,

eum, qui meliora a se adeptum sentiat, ad deteriora non relabi: quin, si quis agro feracissimo, quem habebat, relicto, ad sterilem terram colendam se converterit, is vel soli prioris fertilitatem non cognovisse, vel plane stultus et nullius iudicii existimari debet. Ego vero Poli consilium satis laudare non possum, qui omnia humana Christo postponat: quumque philosophandi scientia et dicendi facultate excellat, eos tamen imitari non velit, qui parum Ciceroniani, si Christum nomine appellent, parum philosophi, si de religione bene sentiant, sibi videntur. Hi si Sadoletum ipsum sibi proponerent, non, quid ille in una aliqua epistola scripserit, sed quid in tota vita egerit, spectarent. Cur igitur in hanc sententiam scripsit? Si dicerem, animi causa quicquid in mentem venisset, amico rescripsisse, oportebat eum, qui omnia candide interpretari didicisset, hoc contentum esse. Addamus tamen aliud, quod mihi verisimile fit interdum. Sadoletus, quo tempore philosophiæ defensionem in Hortensio illo suo, quem brevi exspectamus, accurate conscribit, incurrit casu in Poli epistolam, veluti in salebram, in qua quoniam non iis laudibus, quibus ornandam susceperat, philosophiam efferri vidit, unum de vituperatoribus, contra quos quotidie commentabatur, sibi oblatum credidit. Commotus est, leviter tamen: quod visum est, respondit: philosophiæ plusculum, quam ego vellem, tribuit: non propterea tamen eius de theologia mihi dubia esse potest sententia, qui in civitatem nostram princeps veterem eloquentiam importavit: neque solum odas aliquot divini illius poetæ, verumetiam Pauli ad Romanos scriptam epistolam piis Latinisque commentariis illustravit. Quodsi semel in manus hominum venerint, eos non solum uni epistolæ, sed omnibus etiam Hortensii libris facillime opponemus. Ad hunc igitur sacrarum literarum portum veluti ex tempestate quadam confugit Sadoletus: quod aperte eius libri declarant: ut dubitandum non sit, quid sentiat, quum appareat quid fecerit. Conarenus, in omni disciplinarum genere facile princeps, ut non possit videri, ea, quæ non didicerit, parvi ducere, hanc

quam iamdudum laudamus, theologiam Christianam in deliciis habet, neque ab eius amplexu se divelli patitur. Quodsi viri gravissimi iudicio minuti isti philosophi stare volent, petam ab eo, mitissimum istud ingenium et mores castissimos unde habeat: respondebit, nihil horum reprehensionem veritus, se Christi, non Platonis, aut Aristotelis beneficio hæc omnia consecutum. Polus in hoc studio totus est, quo doctiorem, suaviorem, probiorem cognovi neminem. Frater tuus, Vaurensis antistes, etsi studiis philosophiæ et eloquentiæ perpoliri vult, quo tres illos, quorum mentio facta est, penitus exprimat: hæc esse tamen externa fatetur, ad animum componendum aspirare posse negat. Et sane ita res habet, veteres illi philosophi et iurisconsulti pulcherrimis præceptis, æquissimis legibus libros suos referserunt, in mentibus hominum non potuerunt insculpere. Maiore quodam afflatu opus est: quod qui nesciunt, ii qua de causa Christus in terras se demiserit, rursumque in cælum receperit, ignorare, aut prorsus ista esse facta mihi non credere videntur. Cogor hic finem facere, non rerum inopia, veniunt enim in mentem quamplurima, sed quia quodam animi calore longius quam constitueram, processisse me video. Reliqua in argumentum alterius epistolæ reservemus. Bene vale. Salutem ex me fratri tuo Francisco, Ferrerio, Jacobo, plurimam. Venetiis XIV Calend. Febr. MDXXXIV.

Ep. XLVI.

P. BUNELLUS GEORGIO COGNETIO S. P.

Etsi, quum Claudius Phorcrisius, utriusque nostrum amantissimus, ad te proficisceretur, intelligebam, nihil opus esse meis literis, placuit tamen hac brevi epistola, pro iure veteris nostræ benevolentiæ abs te petere, ut tandem aliquando constituta re familiari, animum tuum a sordidis istis et docto homine indignis occupationibus, ad ingenuas ex omni genere disciplinarum delectationes traducas. Non reprehendo præ-

terita, quoniam mutari corrigique non possunt: et ego quibus argumentis factum tuum defendas, præclare memini, quæ, ut nescio quid e vulgi ignorantia ductum habeant, philosopho tamen numquam probarentur, theologo quidem certe Christiano multo minus. Verum sinamus hæc, quæ integra non sunt in præsentia: quoniam multorum industria aliquanto locupletior factus es, repulsa ea, quam tantopere metuebas, inopia, studia literarum diutius quam oportuit intermissa revoca, et excellens ingenium tuum, quoad vives, in maxima rerum cognitione consume: ita enim ea, quæ incurrunt in reprehensionem necessitate magis quam iudicio te fecisse existimabimus, si, ubi primum potueris, ad ea, quæ magis te digna erant, rediisse animadvertemus. Bene vale.

Ep. XLVII.

P. BUNELLUS ÆMARIO RANCONETO S.

Simulatque tuas literas aspexi, existimavi tibi homini acutissimo et gravissimo consuetudinem illam ad amicos Latine scribendi, quam non tam necessitas ulla, quam linguæ peregrinæ peperit ostentatio, penitus displicere. Nam quid aliud suspicarer, quum te viderem Romanæ linguæ studiosissimum, et eius summa facultate præditum, Gallice scribere? Itaque ego, qui antea pigritia sensim in hanc sententiam dilabebar, gaudebam quod possem meam negligentiam auctoritate iudicii tui defendere, tibique eodem genere sermonis rescribere cogitabam: vixdum perlecto epistolæ tuæ principio, animadverti te facti tui causam per iocum nescio quem adscribere, ac ne exemplo tuo mihi idem licere putarem, diligentissime cavere. Jam vero vos in iure iudicisque versati, homines simplices, et minime cautos circumscribitis. Quid illa? nonne ingenii tui acumen redolent? te ex inopia Latini sermonis laborare, cuius ego immensas divitias domi haberem, si tamen Latina posthac a te mallem, voluntatis meæ potius quam facultatis tuæ rationem habiturum. Nempe idcirco, ut quum

eloquentia me facile multumque superasses, invitus, et quasi me cogente in certamen descendisse viderere. Oblitusne es igitur illius formulæ, *Inter bonos bene agier?* Ego vero Latine scribendi necessitatem tantum abest ut tibi imponam, ut contra, ne id facias, vehementer abs te postulem, disertus enim mihi videor tantisper: dum meas epistolas cum tuis conferam. Videorne satis callide occurrisse consiliis tuis? Sed extra iocum, te gravioribus studiis et honestissimis actionibus ab isto genere scriptionis avocari facile patior: et ego ipse, quem multa negotia publica impediunt, mentem scriptis veterum intelligendis, quam stilum meis cogitationibus conscribendis, multo libentius exerceo. Itaque nisi necessario, numquam ad amicos literas do, easque similes istarum, id est negligentissime scriptas, ut facile appareat, me potius officio satisfacere, quam laudem ullam ex istiusmodi exercitatione velle quærere. Verum hæc hactenus. De Porphyrii dialogo multum tibi debeo. Xenophontis liber ad ea, quæ de Græco in Gallicum sermonem convertisti, perpolienda, utinam adiumentum aliquod afferat. Mihi quidem certe hosthac isto nomine erit carior. Res enim meæ ita demum mihi iucundæ sunt, si abs tui similibus in usum aliquem expetuntur. Eum igitur librum ad te mitto, ut sit apud te, quamdiu voles: ego enim mea omnia iampridem ad te detuli, quod ipsum a me sæpius diligentiusque fieret, nisi plane ridiculum esset, eum, qui pecunias non habeat, venditare sese locupletissimis hominibus, eisque ultro suas opes et copias impudentissime polliceri. Bene vale. Hospitalem senatorem æquissimum, de cuius singulari virtute summa omnia ad nos perferuntur, meis verbis salutabis: Chandonium item iustissimis de causis mihi carissimum.

Ep. XLVIII.

E I D E M.

Et tu a me petieras, et ego tibi spoponderam, fore, simulatque Vauri consedissem, ut sæpius ad te literas darem: sed, quæ sunt consecuta, vides. Itaque superioris temporis excusationem nullam affero, quod fuit eiusmodi, ut ab amicis consolationem potius exspectare, quam ad eos epistolas scribere potuerim. Sed neque in præsentia quicquam literis dignum occurrit: in rebus meis nihil est novi: studiorum nullam certam rationem inire possum, mihique idem usu venit, quod iis, qui turbulentissima tempestate diutius iactati, postquam terram attigerunt, adhuc tamen in mari esse, et procellis agitari se falso putant. Sic ego acerbissima morte patroni mei aliisque malis adeo superioribus mensibus afflictus sum, ut quamvis iam evaserim, et ea, quibus premebar, conquieverunt, simulacra tamen in animo meo tantæ calamitatis resideant quæ me plane respirare non sinunt: sed eæ quoque ægritudinis reliquiæ die ipsa consenescunt, brevique, uti spero, penitus exstinguentur. Recuperata animi tranquillitate mihi in animo est in desertissimam solitudinem secedere, ibique cum libris meis, et uno fortasse studiorum socio annos aliquot soluto et vacuo animo Neptunum procul a terra spectare furentem. Quod meum consilium rei familiaris angustiæ impedire posse viderentur, nisi Fabri huic malo liberalitate sua mederi se velle confirmarent. Quodsi res ex sententia succedent, equidem neque regibus potentiam et voluptates, neque ducibus victorias et triumphos, neque fœneratoribus divitias, neque tibi et Montauro nostro reipub. gerendæ laudem invidebo Bene vale.

Ep. XLIX.

P. BUNELLUS VICECOMITI MONTIS CLARI S.

Gratissima mihi fuit liberalitas tua: eloquentia, cuius specimen brevi epistola dedisti, visa est mihi mirabilis. Ita-

que de canibus ultro ad me missis magnam habeo gratiam. Quod vero literis tuis polite subtiliterque scriptis non minus quidem tuum, sed me potius ipsum ornare volueris, infinitum quiddam tibi debeo. Etsi enim eas laudes complexus es, quas ego, nisi amens plane sim, agnoscere non debeo, et nisi impudentissimus, non nisi cum pudore legere possum: tamen tanto sententiarum acumine et verborum delectu eas perstrinxisti, ut, licet rem, quæ ad me non pertinebat, non probarem, genère tamen scriptorum tuorum mirabiliter incenderer: quæ omnia eo maiora visa sunt, quo magis præter opinionem evenerunt. Familiæ tuæ dignitatem cognoram, summum in te homine nobilissimo esse omnium bonarum artium studium audiveram: in hac Latine scribendi ratione, quæ magni laboris est, hominem id ætatis domesticis et aliis curis gravioribus districtum, tantum operæ ponere non putabam. In qua parte me deceptum mirifice lætor, tibique ex animo gratulor, quod vestri generis splendorem tam multis literarum insignibus illustriorem facias. Quodsi, ut par erat, qui eodem loco nati sunt, in Gallia nostra similiter efficere conarentur, non solum viribus corporis et animi in periculis subeundis invicti magnitudine, sed varia rerum divinarum et humanarum cognitione, ex qua prudentia, animi moderatio cæteræque virtutes mitiores oriuntur, plurimum reliquis præstarent. Quod a veteribus illis sapienter fictis fabulis significatum est, dum eandem Minervam armorum, et sapientiæ præsidem esse voluerunt. Sed reliqui quid eos deceat, viderint. Tu felix et beatus, qui nobilitatem a maioribus tibi traditam propriis tuis et verissimis laudibus nobilitas, et antiquitatem familiæ senescentem, non solum procreandis liberis renovas, sed multo magis omnibus liberalibus disciplinis perdiscendis ab interitu et oblivione hominum vindicas. Quas excellentes animi tui dotes quum ego suspiciam, consequens est, ut me in tua potestate esse confidas. Sicut igitur canes duos non solum ob incredibilem celeritatem, quam in leporibus assequendis adhibent, sed magis, quia essent tui erga me amoris testes, a me accipi voluisti: ita tu, quem-

admodum spero, meam hanc epistolam non ob ullam Romani sermonis elegantiam et venustatem, a qua plurimum abest, sed tamquam meæ erga te observantiæ obsidem inter schedas tuas aliquo modo facere patiare. Vale. Idibus Januariis.

Ep. L.

P. BUNELLUS TARBELLORUM ANTISTITI, REGIS GALLIARUM APUD CÆSAREM LEGATO S.

Qui literas inanes ad viros gravissimos, idque quo tempore maximis occupationibus destinentur, mittere solent, reverendissime antistes, ii similiter sane facere mihi videntur ut pueri, qui in rebus ludicris totum diem consumentes, si quem forte in re seria occupatum viderint, eum velut ex insidiis interpellant aut aperte, agmine æqualium facto, adoriuntur. Quam reprehensionem ego veritus, ex quo tempore a rege legatus ad Cæsarem missus es, semel quidem ad te, gratis agens, scripsi, quod id sine nefario scelere prætermittere posse non videbar: in eo autem quod scribo, invitatu aut iussu potius tuo id facio. Pupugerunt enim me ea, quæ in tuis ad Vaurensem antistitem literis de meo instituto addidisti. Si quid igitur hic pecco, te auctore pecco. Si quid erit in epistola, quod tu minus lubenter leges, aut si nulla prorsus sententia verbis inanibus subiecta, tua erit certe culpa, qui te, quicquid a Bunello proficisceretur, in optimam partem accepturum significasti. Et quidem mihi hoc loco quærenti quid potissimum hisce literis complecterer, illud statim occurrit, me pro tuo celeri reditu vota Deo Opt. Max. sæpissime fecisse, et in dies facere. Et quoniam hoc commodis tuis nonnihil adversari videri possit, rationem consilii mei tibi pluribus exponere decrevi. Si quis est, qui te honestissimum et ornatissimum esse velit, is ego sum: et si quamplurimos habes amicissimos, qui tuæ dignitati maxime faveant, ego in hac parte illorum concedo nemini, sed fortasse, qui tibi bene cupiunt: non eisdem rebus omnes, quibus ego, com-

moda, laudem, dignitatemque metiuntur. Splendidissimum enim existimant, consiliis et colloquiis principum interesse: legatione honorificentissima fungi, maximam esse hominum auctoritatem apud omnes, et eximia sui laboris solere consequi præmia. Hoc non solum imperitis, verumetiam doctis et prudentibus ita ad veritatem persuasum est, ut difficillimum sit hanc opinionem, quæ penitus insedit, ex animis hominum revellere. Verum ego in hac controversia diiudicanda hoc mihi ante oculos propono, humanis divina quid præstent, cælestia terrenis, æterna caducis. Sit magnum, quando ita multis videtur, consilia regum nosse: perspecta habere Dei Opt. Max. consilia quanto est magnificentius? Sit præclarum a rege de rebus maximis ad Cæsarem mitti: a Christo non ad unum aliquem, verum ad omnes homines de re longe maxima, et in qua salus omnium inclusa est, legari, quanto splendidius? Sit suave locupletari et honoribus augeri; divinitate donari et vita perpetua frui, quanto est iucundius? Vehementer errant, meo iudicio, qui tuam dignitatem, propterea quod ad rerum humanarum administrationem adhibearis, augeri putant. Si quis ab excelso loco in humilem et declivem, atque adeò a cælo in terras delapsus, se ascendisse mihi persuaserit, ego quoque gloriam tuam crescere, dum de ea plurimum decedit, confitebor. An non laudabilius esset, te eorum, quorum tibi salus a Christo commissa est, curam gerere? de emendandis hominum moribus, de instauranda religione, de placando summo illo numine, dies noctesque cogitare? Præpostere enim faciunt, qui inter summos principes concordiam stabilire conantur, priusquam Deum Opt. Max. principibus et cæteris hominibus propitium reddiderint. Nihil succedet: utinam sim falsus vates. Sed ego rerum humanarum prorsus imperitus hoc audeo affirmare, nihil succedet, aut certe diuturnum non erit, quod neglecta religione, contempta morum disciplina, spreto Deo, de hominum utilitate transigetur. Quare si Tarbellis tuis et exemplo et oratione, qualiter eos vivere par est, præires, mea sententia longe firmiora pacis fundamenta iaceres, magisque

operam tuam reipub. navares, quam quum apud Cæsarem mandata regis exponis: et patronus meus quum Vauri officium suum bonis omnibus approbantibus faciebat, plus operæ in communem hominum utilitatem conferebat, quam si iussu regis proficiscitur in Germaniam. Esset quidem optabile, et quod ad omnes Christianos pertineret, revocare Germanos ad sanitatem: verum multa sunt, quæ me non solum dubitare, sed etiam plane desperare cogunt: eundum tamen erit, si rex iusserit, tibique in Hispania manendum, quamdiu is volet: sed ego opto, ut nos Vauri vivere quietos velit, et te ad nos quamprimum redire patiatur: te enim id non nolle mihi persuasi. Sin aliter res habet, facies me, si placet, certiorem, ne ego voluntati tuæ diutius adverser, et benevolentia adductus in odium tuum incurram. Bene vale. Vauri apud Aquitanos. Idib. Mart.

Ep. LI.

P. BUNELLUS PETRO CASTELLANO ANTISTITI MATISCONENSI S.

Facit humanitas illa tua prope singularis, qua me præsentem sæpissime comiter amplexus es, quæ etiam in te una cum auctoritate et fortunarum accessione mihi crevisse videtur, ut absens ad te virum excellenti eruditione summaque apud regem gratia, hoc nescio quid literarum exarare minime verear. Ut enim nihil aliud adferat epistola, meæ tamen erga te observantiæ testis erit. Quamquam, ne prorsus inanis sit, decrevi unum abs te petere, quod tu non solum nullo postulante, verumetiam multis reclamantibus, magna cum laude facis: illud scilicet, ne in iuvanda repub. literaria defatigere. Nactus es liberalissimum principem, nobis divinitus datum, qui omnes bonas artes superiorum temporum iniuria in Gallia pæne sepultas in lucem revocaret: cuius benignitate incredibili et si tantum effectum est, quantum optare perpaucis, sperare certe nemini in mentem venerat, tamen ea, quæ

restant, sunt eiusmodi, ut sine illis hæc, quæ præclare instituta sunt, diutius stare non possint. Munienda est arx ista literarum, non solum contra vim præsentem impetumque barbarorum, quos repellere superstite Francisco rege non erit difficile. Illud etiam providendum, si amisso duce ab hostibus in oppidum compulsi fossa et vallo cingemur, ut longe obsidionis incommoda sustinere possimus. Qui ante nostram hanc ætatem in Gallia regnum obtinuerunt: varias appellationes nacti diversis quoque laudibus floruerunt. Francisci nomen antea inter reges inauditum ad ingenuas disciplinas instaurandas fatale mihi videtur: ac ne una cum Francisco rege patroni quoque literarum concidant, non mediocriter pertimesco: nemo enim illi hoc nomine succedet. Illud meum augurium non satis firma observatione niti fortasse videatur: sed ego timeo, ne nimis verum sit. Itaque esset optimo principi gloriosum, curare ut ea laus, qua præcipue excellit, diuturna permaneret: tibi honestum, non solum rei præclarissimæ patrocinium suscipere, verumetiam perficiendæ omnes occasiones urgere. Multum est positum in temporibus: sed novi ego prudentiam tuam. Neque vero propterea hæc scribo, quod te mihi aut cuiquam mortalium, qui magis hæc cupiat, concedere existimem. Sed quemadmodum in curriculo, qui spectant eos, quibus maxime favent, etiamsi summa incitatione ferantur, plausu tamen et acclamationibus adiuvant: ita ego te, quem rerum pulcherrimarum cupiditate ardere certo scio, quum nihil melius agere possim, abundantia quadam amoris ad ea, quæ persequeris, adipiscenda, magis ac magis inflammo. Bene vale.

Ep. LII.

P. BUNELLUS VIDONI BRÆLEO S.

Jacobus Faber tui studiosissimus et studiorum meorum hoc tempore patronus impulit me vel potius coegit, ut nonnihil ad te literarum darem. Qua facti mei defensione prop-

terea epistolam prætexui, quod verebar, ne, simulatque Bunelli cognomen aspexisses, temeritatis et ineptiarum me condemnares. Is igitur Faber quamplurima de excellentissimis virtutibus tuis, de singulari in rebus administrandis prudentia, uberrima omnium bonarum artium scientia, et in earum studiosos summa propensione, quum mihi semper narret, ad te, licet absentem, observandum et colendum mirabiliter incendebat. Ut vero scripto aliquo tuam benevolentiam elicerem, sic enim loquebatur, ut autem ego interpretor, ornatissimo viro, maximis et honestissimis occupationibus districto molestus essem, nihil omnino causæ subesse existimabam, vitæ meæ institutum tibi neque omnino improbari dicebat, ego totum hoc partim humanitati tuæ adscribebam. Quum ille nihilominus cogeret et interdum apertius urgeret, quid me, inquam, scribere iubes? Literas inanes, nulla subiecta sententia. Hic ille, istud ipsum literis consignato, me epistolam, ut exarares, vehementer a te contendisse: te, quum aliquamdiu repugnasses, tandem voluntati meæ cessisse. Ut iussit, ita facio. Tu vero, doctissime Brælee, qui summæ iurisdictioni præsides, peccati culpam in auctorem coniicito: me autem inter eos, qui egregias animi tui dotes admirantur, et in omni actu, quam bene de te existiment, oratione testificantur, si placet, adscribito. Bene vale.

Ep. LIII.

P. BUNELLUS PETRO DANESIO S.

Nuper quum Ferrerius communis amicus in aulam proficisceretur, cupiebam quidem ei nonnihil literarum ad te dare, quo de mea erga te voluntate ac potius observantia nihil aut immutatum aut imminutum temporis spatio esse cognosceres: sed ita recentibus molestiis undique urgebar, ita magnitudine doloris, quem ex morte Georgii Selvæ patroni nostri incredibilem ceperam, animus meus æstuabat, ut neque ad scribendum neque vero ad cogitandum posset ullo pacto

consistere. Angebar, mi Danesi, ereptum nobis eum antistitem esse, in quo veterum patrum sanctitatem illam minime fucatam facile posses recognoscere: et eo tempore ereptum, quo respub. Christiana maxime laborat ex talium virorum inopia. Deplorabam non meam solum, sed Christianorum omnium calamitatem: veniebat in mentem, quam multos vir ille, si diutius in vita mansisset, exemplo suo ad religionis Christianæ labentis et inclinatæ ruinas fulciendas allicere potuisset. Exstinctum integerrima ætate, vixdum bene iactis fundamentis ædificii, quod plane divinum in animis hominum excitare cogitabat. Quid quæris? Valde sub ipsum obitum perturbatus eram, contabuissemque angoribus, nisi mentem meam sensim a rebus tristissimis abducens consolationes, quibus hanc ægritudinem mihi adimerem aut certe minuerem, undique collegissem. Equidem quum de meo erga illum officio quærerem, reperiebam, omnia, quæ a mei ordinis homine proficisci potuerunt, officia me ei constanter et optima fide præstitisse. Amavi illum ardentissime, colui diligentissime nulla præmiorum spe proposita. Quum enim viderem, eum nihil sua sponte sed Christianorum causa agere, non iam, quid mea interesset, sed quid ille vellet, in omnibus spectabam. Nihil tam humile, nihil tam abiectum, nihil tam studiis meis contrarium, quod ego non eo petente libenter susceperim, simulatque eum ad res divinas acerrime contemplandas evolare, neque solum divitias et honores contemnere, sed parum etiam valetudini parcere animadverti. Quid prætermisi, quo eum a nimia illa animi contentione revocarem? Quoties illud usurpavi, curandum esse, ut, quæ libenter, ea etiam diutius faceret? Egi interdum liberius, et eam, quam nunc video, rerum commutationem et pæne genus ipsum mortis prædixi. Quum enim corpus, meo iudicio, neque satis ali, neque exerceri, animum autem ad cælestium rerum cogitationem continenter revocari animadverterem, non fuit difficile colligere, hoc diuturnum esse non posse. Qui alio morbi et mortis causam conferunt, eumque, quod res nonnullæ ad voluntatem

non fluerent, mæstiorem fuisse, atque ea re morbum adauctum prædicant, ii vel ex sua natura virum, omnium quos umquam viderim, prudentissimum et ad humana omnia ferenda constantissimum fingunt, vel ab imperitis et levissimis, ne quid gravius dicam, hominibus decepti, quibus minime oportuit, vehementius irascuntur. Scio, doctissime Danesi, brevitate et subtilitate epistolarum te magnopere delectari: sed quoniam alio cursum meum dirigentem nescio quis æstus animi in hunc sermonem me abripuit, da mihi hoc, ut bene longam et prorsus inelegantem epistolam perlegas: spero enim, quum meam causam tibi probavero, fore ut multi, quos adeo aversos a me esse non vellem, auctoritate et oratione tua commoti mitigentur. Nam alios, qui propterea hæc in me conferunt, quod eorum intemperantiam repressi, nihil moror. Qui quam stulti sint vel ex hoc ipso intelligi potest, quod, dum me imprudentiæ insimulant, ad quam omnium criminum, quæ ab eis confinguntur, summa referatur necesse est, se ipsos perdite flagitioseque vixisse confitentur. Sed ego imprudenter in hac parte nihil egi: illi certe improbi fuerunt. Quibus diebus Vaurensis antistes febrem non habebat, ego ad eum, quoniam ita iusserat, sæpius accedebam. Ille statim de rebus divinis, de bene beateque vivendo aliquid. Querebatur interdum, quod morbo impeditus omnibus, quæ gerebantur, interesse non posset: scire, se ob eam causam et domi et apud alios geri maiore licentia quamplurima, ad quæ meam et aliorum operam deposceret. Hic ego, quum eum res serias et quæ atram bilem augere possent, in præsentia ut omitteret, peterem supplex: ille in hanc sententiam libentissime disserebat, numquam se iucundius, quam quum suum officium faceret, vivere: id sibi antiquissimum esse. Neque vero se perturbari aut angi, si eos, quibus præesset, tardius ingredi in rectam vivendi rationem intelligeret: numquam id suscepisse, ut animis hominum vim adferret: suam culpam non alienam præstare velle. Ne de superiore loco hortaretur ad pietatem suos, se quidem morbo impediri; ne ea, quæ ad sanan-

dos eorum animos pertinerent, procuraret, ne morte quidem proposita revocari debere aut posse. Quare velle ab aliis exquirere, quæ per se nosse non posset, non quo esset in quemquam durior, verum ut omnia remediorum genera experiretur: huiusmodi cogitationibus, quod essent suavissimæ, non augeri bilem atram sed minui. Hæc oratio delicatis hominibus, qui libenter nihil agunt, nihil curant, vix probabitur: tibi, qui in gravioribus studiis magnam partem ætatis consumpsisti, non usquequaque displicebit. Rem enim, nisi fallor, probabis, modum adhibitum esse cuperes: in qua sententia, ita me Deus amet, semper fui. Verum age perpendamus istud, mi Danesi, neminem mortalium ad eum gradum sapientiæ pervenisse, ut in omnibus actionibus mediocritatem, tamquam lineam, numquam transsiliat. Alii in honoribus petendis nimis ambitiosi sunt: alii avaritia inflammati ad parandas quavis ratione divitias præcipites feruntur: alii voluptatibus undique conquirendis nimium student. Sed omittamus hæc, quæ libero homine vix sunt digna. Tu, ut per optimas disciplinas longius progrederere, numquam diutius quam valetudo aut etiam rei familiaris ratio postulabat, affixus libris fuisti. Quodsi ita est ingenium hominum, ut in alteram partem semper propendeat, Georgio Selvæ, dum omni virtutum genere animum exornare conatur, si corporis interdum oblitus est, non ignoscemus? Utinam quamplurimi in hanc partem peccent: non quod negem mediocritatem in omnibus optimam, sed ut sunt tempora, utinam quamplurimi in hanc partem peccent: neque enim istiusmodi homines ad ipsum modum revocare esset difficile. Nunc multi in contrariam potius partem ruent, hanc excusationem prætexentes, quod audierint, hunc virum, dum se non respicit, in ipso ætatis flore concidisse. Verum neque illi voluptatibus consectandis mortem effugient, neque fortasse ad extremam senectutem pervenient: pacatiorem quidem certe, et maiore animo nequaquam morientur. Sed redeo ad id, quod cœperam, dicere. Præbuit mihi solatium, quod culpa vacarem: verum et illud ante oculos mihi pro-

posui, hunc pontificem innocentissime vixisse, ad Deum Opt. Max. omne otium, negotium, actiones, cogitationes denique retulisse: itaque illum Deo curæ fuisse, qui ne passerculos quidem temere interire sinit, nedum antistitem in res sanctas toto pectore incumbentem: quod nos homunculi accidisse fortuito quereremur, divino gestum esse consilio. Observasse etiam illud mihi videor, eos, qui quam celerrime maturitatem assecuti sunt, raro ad summam vivere senectutem. Quid enim homini provecta ætas adferre queat præter moderationem, prudentiam, rerum maximarum usum et scientiam, quæ in hoc viro tanta fuerunt, ut primum senatus Venetus, deinde Rom. pontifex, ad extremum Cæsar, ad quos omnes eum rex de rebus maximis legaverat, eius excellentem virtutem, maximum rerum humanarum usum summamque in eis administrandis prudentiam sint admirati? Complecterer hoc loco eius laudes, nisi tibi notæ essent et magna ex parte a te fluxissent, qui moribus optimis et liberalibus disciplinis eum a puero ita instituisti, ut, quæ restabant, facilia illi reliqueris. Sed certe, quum animus mortalium infinitas res capere non possit, fit mihi verisimile interdum, eum, qui tam multa supra ætatem adeptus esset, maiora aut plura sustinere non potuisse. Usus sum præterea illo verissimo et certissimo genere consolationis, præclare cum illis agi, qui, quo tempore rerum divinarum desiderio maximo tanguntur, illico iubentur e vita discedere: interesse nostra fortasse, ut diutius in terris morarentur: sed nos, qui illorum mores imitari, quum possemus, noluimus, indignos talium virorum consuetudine ita plecti, ut probitatem, quam præsentem et oblatam contempsimus, eandem absentem et sublatam ex oculis requiramus. Unum restabat, quod explicare non poteram, eum iuvenem interiisse, quum resp. Christiana maxime illius auxilium et consilium implorare videretur: verum hanc quæstionem maiore alia disputatione dilui. Quis enim non iure miretur Christum nostræ salutis auctorem, quum messem exspectare posset, vixdum semente facta religionis Christianæ, contume-

liose in crucem actum esse? Istis rationibus adductus paulum quidem respiravi, intellexique scelerate impieque nos facere, qui, propterea quod rerum causas non intelligamus, acta Dei Opt. Max. quodammodo rescindere velimus eiusque decretis æquissimis summa temeritate resistamus. Posthac igitur tanti viri mortem, qua nihil mihi in vita contigit acerbius, feram fortiter animumque ab angoribus ad literarum studia traducam: quæ, dum alienæ potius quam meæ voluntatis rationem habeo, maiore, quam par erat, spatio intermissa esse, nunc demum magno meo malo sentio, et tu ex huius epistolæ lectione, vel me tacente, facile iudicabis. Equidem initio, quod scirem, quam tibi placeret brevitas et quam deceret epistolam, paucis tecum agere decreveram: sed inter scribendum complexus sum plura: primum, quod te bene de me existimare volo: deinde, quum rem omnem cognovisses, fieri posse speravi, ut eos, qui in me duriores sunt, pro tua in me benevolentia flecteres et lenires: quibus enim ex animo semper favi, quorum familiam verissimis laudibus illustrari volui, eos iratos minime habere vellem. Quodsi pergent recte factis magnam pœnam constituere, feram ut potero, consolabiturque me hoc unum, quod Georgio Selvæ Vaurensi antistiti, patrono meo, ad supremum usque vitæ diem satisfecerim, quo ii, quibus institutum meum tantopere improbatur, neque prudentiores sunt, neque viri certe meliores. Bene vale et me, si placet, ama. Tholosæ 14. Calend. Sextil. MDXLI.

Ep. LIV.

P. BUNELLUS JOANNI BERTRANDO
ÆQUISSIMO PRÆSIDI S.

Scripsit ad me nuper Claudius Phorcrisius, id quod antea de nonnullis acceperam, se domi tuæ non solum in literis vivere, verum etiam singulari tua humanitate et hilaritate foveri. Magnum sane hoc ego duco, quod placuit

tibi, qui turpi secernis honestum. Lectis igitur illius literis, cogitavi statim, quibus verbis tibi gratias agerem: nam quum tamquam me alterum amem, beneficia, quæ in illum conferuntur, in me quodammodo redundare necesse est. Neque vero hoc fortuitum, sed plane divinum, ut quum arctissima sit inter te et Fabros amoris necessitudo, eodem tempore, quo illi me tamquam quartum fratrem omnibus studiis et beneficiis complectuntur, tu Phorcrisium omnibus amicitiæ vinculis mihi astrictum diligere et tueri cœperis. Agam igitur gratias non fortunæ, sed Deo Opt. Max., qui te in hanc mentem impulit; tibi quoque, qui vetera tua erga me merita, quæ quidem ego oblivisci non possum, hac recenti accessione cumulare volueris. Adscriberem hic nonnulla de eruditione Phorcrisii, de modestia, de rerum humanarum usu, sed tu hæc omnia ex aliquot mensium consuetudine aliqua ex parte facile perspicere potuisti, et ego de hominis mihi amicissimi virtutibus loquens vereor, ne summam benevolentiam potius declarare, quam religiose testimonium dicere videar. Non dubitans tamen hoc tibi confirmo, te non solum in literis sed in omni vitæ ratione uberiores in dies ex eo fructus esse percepturum. Bene vale.

Ep. LV.

P. BUNELLUS ARNOLDO FERRERIO S.

Scripsi ad Danesium hortatu atque adeo periculo tuo non epistolam sed volumen: si qua erunt, quæ eius limato iudicio minus satisfacient, ut necesse est esse quamplurima, tu culpam temeritatis meæ magna ex parte sustinebis. Equidem non laboravi, ut disertus essem, quod, quum antea semper, tum hoc tempore intermissis iamdiu scribendi exercitationibus esset longe difficillimum: illud potius spectavi, ut falsas nonnullorum criminationes refellerem, quæ quoniam multorum vocibus et literis ad me perferuntur, quid est quod taceam aut dissimulem? Duo sunt hominum genera

quos mihi succensere minime miror et non ita moleste fero: unum est eorum, qui Vaurensem antistitem Vaurum secedere moleste ferebant: quod perinde est, atque si ducem exercitus in castra venire, in acie versari, cum hoste, si res ferat, confligere numquam patiare. Verum ii, quoniam rerum humanarum splendore capti serpunt humi neque in cœlum suspicere queunt, ferendi sunt: et si incursabit aliquando in nos eorum dolor, non sunt asperius repellendi. Oppressi sunt opinionibus; magnos sequuntur duces, ut iam quod exemplo multorum faciant iure quodammodo facere videantur. Sed interim quid mihi vitio vertant, satis intelligere non possum. Georgius Selva Vaurensis antistes religionem Christianam suis et suorum commodis, divina humanis, æterna caducis prætulit. Quid ad me? si hoc mihi tribuunt, rerum pulcherrimarum auctorem me laudant: quod ego neque agnosco, neque sane mihi tribui postulo. Si vero ita sentientes aliud tamen obiiciunt, quo me in invidiam abducant, non satis candide mecum agunt: neque tam sponte sua quam aliorum impulsu id eos facere existimo. Sunt enim nonnulli, a quibus ista manant, qui ad secundum distributionis meæ genus pertinent, quorum ego rationibus quum una vivebamus, optime quidem consultum semper volui: sed quia iussu patroni illorum cupiditatibus adversabar, odisse me pessime numquam destiterunt: horum ego testimonium, quoniam nullius ponderis est, refellere non constitui, neque scelera et flagitia acerbius insectari. Ergo et illos priores minime miror, et istos facile contemno. Restant duo fratres, a quibus me amari semper et volui et credidi, quos propter levissimos rumores adeo immutatos esse molesto fero. Nihil actum, nihil a me cogitatum, cuius ambo non fuerint conscii: qui fratris institutum etiam cum rei familiaris iactura coniunctum laudare et admirari semper mihi visi sunt. Erant nonnulla severiora, sed ea ne mihi quidem probantur, quæ a me initium non duxisse, sed ab alio, cuius ego mores et eruditionem magis quam iudicium laudabam, præclare sciunt. Ab eodem fonte manavit

contemplandi ratio, ad quam me non ascendisse fateor. Ea ut mentem viri optimi rerum divinarum desiderio inflammavit, ita corpori valde nocuit, quod postea facile intellectum est ex genere mortis. Si mihi fidem non habent, percontentur a viris probis et doctis, qui sine ulla animi perturbatione de rebus incorrupte iudicant, quemadmodum ego in omnibus me gesserim. Hæc ego propterea apertius scribo, mi Ferreri, ut cum utroque, si fieri potest, agas et hanc epistolam, quæ pro me loquitur, eis legas. Quamquam enim conscientia fretus facile possum huiusmodi calumnias contemnere, tamen eos, quos certo iudicio complexus sum, et, ut ab eis diligerer, omni ratione providi, sine causa abalienari a me non vellem. Valde sunt in me, quod facile intellexerim, quorundam artibus et mendaciis incitati: quo factum est, ut ad eos nihil literarum dare ausus sim, sed Danesium et te potius allegarim, per quos facilius negotium omne administrari eosque ad æquitatem revocari facile posse credidi. Sed de his hactenus. Consilium meum hic manendi tibi probari lætor, ex quo ego maiorem in dies voluptatem capio. Quamquam enim postulare videbatur fortunarum mearum tenuitas, ut longe mihi in posterum prospicerem, tamen, ut verum fatear, ego mei dissimilis esse non possum. Post Deum, in studiis literarum mihi sunt omnia, quæ etiam dabo operam, ut ad eum ipsum referantur. Dices, hominem egestate oppressum præclari nihil efficere posse. Verum id quidem est: sed ego, quum parvo contentus sim, numquam existimavi, id mihi deesse posse, quæ spes adhuc me non fefellit. Post patroni mei obitum, quum in maximas angustias coniectus viderer, ecce tibi accurrunt tres Fabri, qui architectos se fortunæ meæ pollicentur fore. Utar igitur, quoniam illis ita placet, in præsentia hoc perfugio: postea, ne eorum liberalitate abuti videamur, aliquid excogitabimus. Vale. Tholosæ.

Ep. LVI.

P. BUNELLUS FRANCISCO OLIVARIO, GALLIARUM CANCELLARIO S.

Restiti multum diuque, vir amplissime, quum Jacobus Faber tui observantissimus magnopere mihi auctor esset, ut nonnihil literarum ad te darem: ego contra ineptiarum ac potius stultitiæ crimen defugerem, ille instabat, ego repugnabam: nonnulla afferebat, quæ ego nullo negotio refellebam; pervicit tamen ad extremum non tam æquitate causæ mea sententia, quam auctoritate superior. Quam enim causam aut veram aut verisimilem comminisci queam, cur hoc tantopere tibi, viro gravissimo, et maximis occupationibus districto, meis scriptis molestiam exhibeam? Nihil abs te in præsentia petere volo: et, si res cogeret, alios, qui pro me id facerent, ad te allegarem. Quid ergo Faber? Dixit quamplurima de tuis virtutibus, quibus ille commemorandis et celebrandis expleri non potest. Quæ omnia, sicut ego arbitrabar, summam vim ad deterrendum habebant: quo enim tu excellentior es, eo præstantissimarum actionum tuarum cursum impediri minus decet. Confirmavit præterea, te lectis quibusdam epistolis meis genus earum non improbasse. Amens plane mihi videar, si tibi, viro omnibus ingenuis artibus perpolito et subtili sinceroque iudicio, literas meas placuisse credam. Tibi tamen immortales gratias, sicuti debeo, ago, quod nugas meas dignas esse, quæ a te legerentur atque etiam laudarentur, Jacobo Fabro studiorum meorum patrono persuaseris. Nam quum ille in omni genere doctrinæ tibi merito tantum tribuat, quantum nemini, nec, quem abs te commendari audivit, suis beneficiis indignum iudicet: huius eximiæ humanitatis tuæ memoria ex animo profecto numquam discessisset: meo scripto tamen id ipsum, quia necesse non putabam, minime declarassem, nisi me is, cui roganti negare non potui, propemodum coegisset. Cuius periculo, quoniam in præsentia pecco, progrediar longius, tibique, si

pateris, hac postrema epistolæ parte liberius gratulabor. Facile enim intellectum est ex eo, quod nuper te consilario et impulsore rex bonis omnibus plaudentibus edixit, de sanandis vulneribus, quæ superiorum temporum iniquitate Galliæ nostræ imposita fuerunt, te divina quædam animo cogitare et quæcumque apud veteres philosophos de moribus et legibus scripta divinitus legisti, quæque longo rerum communium tractandarum usu cognovisti, constituisse hoc tempore expromere. O te beatum, qui non solum velis sed etiam possis prodesse quamplurimis. Quid enim non potest is, quem rex maximus summo magistratui præfecit, cuius consilium in legibus ferendis et abrogandis imprimis sequitur? Sed quoniam ea, quæ rectissima sunt, paucis admodum probantur, pro tua singulari sapientia pedetentim ad causam ingrederis multaque occultas et in aliud tempus differs, ut tardius quidem quam optares, felicius tamen, quam plerique existimarent, rem ad exitum perducas. Quæ igitur a nobis adhuc intelligi non vis, ea curiosius non exquiremus: quæ vero ad immoderatam quorundam hominum ambitionem frangendam et lites restinguendas in lucem protulisti, cur non summa cum laude tua commemoremus? Nulla ratione, meo iudicio, Galliæ melius prospicere potes, quam si controversiarum seminarium, quoniam radicitus evelli non potest, magna ex parte circumcidas et amputes. Nulla enim est capitalior pestis hac rixandi consuetudine, qua non solum omnium fortunæ absumuntur, verumetiam præclara ingenia ad liberales artes percipiendas et res maximas gerendas idonea fœdissimo genere morbi exeduntur et extabescunt. Audebo affirmare ego rerum humanarum plane imperitus et qui libenter reipub. gerendæ laudem aliis concedo: non dubito tamen pace hoc asseverare tua, tum demum beatas fore civitates, quum milites a bello, medici a morbis, iudices a litibus abhorrebunt. Nam si nemo ex alterius damno quæstum facere studeret, si nemo ex alterius incommodis suum pararet commodum, omnes advenientibus malis, quoad fieri posset, occurrerent: rei militaris periti,

bellorum causas præciderent, numquam nisi necessario et externorum hostium iniuriis compulsi arma caperent: medici, ne quis ægrotaret, diligenter caverent: magistratus multo propensius nascentibus concertationibus obviam irent, quam in eis diiudicandis ætatem contererent, Quid? tu ergo hasce honestissimorum hominum nationes fame necare vis? Imo vero in pace et otio militibus stipendium persolvi: medicos ab iis, qui optime valetudine utuntur, mercedem exigere causidicos et iudices ab iis, qui non litigant, honorarium accipere iuberem. Non dubium, quin hæc tibi otio abundanti homini optata esse videantur: præclara quidem illa, sed quæ in tam perditam hominum colluviem induci non possint. Quid refert? tamen in istis cogitationibus summa cum voluptate mens mea versatur: et, si non istud ipsum, quod dico, aliud simile tamen, et quod eandem fere vim habeat, excogitari posse, acutissime vidisti: ac rem tanta prudentia temperasti, ut nullum ordinem aut omnino hominem læseris. Tam bene positis initiis, quæ consequentur, quemadmodum speramus, illustriora erunt. Verum ad res magnas efficiendas, multis præsertim adversantibus, temporis longinquitate opus est. Te Deus Opt. Max. quoniam in rempub. tuendam et ornandam omnem curam et industriam insumere decrevisti, quamdiutissime salvum custodiat. Bene vale.

PAULI MANUTII

EPISTOLÆ SELECTÆ

EX EIUS LIBRIS EPISTOLARUM EXCERPTÆ.

Ep. I.

PAULUS MANUTIUS

VIDO FABRO S.

Nescio, utrum fortunæ succenseam, cuius culpa factum sit, ut ego tuas literas duobus fere mensibus post eum diem, quo tu scripseras, acceperim: an eidem gratias habeam, quod mihi arculam quandam scriptorum evolventi planeque aliud agenti de improviso illas obtulerit. Gratias habebo potius, quod eodem tempore simul cum iniuria beneficium accepi: et iniuriæ beneficium præferri æquum est. Sed quoniam vereor, ne tarditatem in scribendo meam durius acceperis, hunc tu mihi scrupulum, Vide, si ex animo evelleres, faceres humane: nec tamen inique, quum hoc ipsum, quod commissum a me est, primum ex aliena culpa pendeat, deinde nunc quidem etiam corrigatur. Venio ad tuas literas, quibus mihi gratius nihil potuit accidere; dicerem iucundius, nisi clausula illa de Bunello meo plane omnem iucunditatem eriperet. Nam sic fac existimes, ex illius viri interitu tantum me cepisse dolorem, quantum exhaurire nulla dies poterit. Vixerat mecum Venetiis per quadriennium, quum ego in illo probitatem morum virtutemque diligerem: ille in me propensionem, credo, quandam ad literas

non improbaret. Intercessere etiam inter nos officia quædam, sed a me levia nec satis digna, quæ memoria tenerentur: quæ tamen ille, ut erat gratus, non meminisse solum, sed prædicare etiam solebat. Ego ab illo maximum habebam beneficium, quod me cum Politianis et Erasmis * nescio quibus misere errantem in hanc recte scribendi viam primus induxerat. Videbatur quibusdam natura severior, sed erat lenissimus erga sui similes, hoc est, erga bonos viros: ubi vitium nosset, censor acerrimus. Distinguere homines non fortuna sed moribus solebat. Loqui ad voluntatem neque ipse poterat, neque ferre, qui ad istam artem eruditus esset: totus erat apertus et simplex. Satis scio fuisse, qui illum depravatæ religionis nomine in crimen vocaverint: quorum vitam si cum Bunelli vita comparares, Socratem diceres iniquorum conspiratione circumventum. Coluit omnes virtutes et philosopho dignas et homine Christiano: sed continentiam præter cæteras. Hac ille triumphavit maxime et trium phavit adolescens, quum cæteros voluptas capit. Quo mirandum est minus, si tantus postea vir ex tanto adolescente factus est. Nam extremam vitæ partem, quam, ut in fabula actum, decet esse perfectissimam, heroicam scribis fuisse et plane divinam. Quare incumbamus, o Vide, et hanc operam Bunello nostro navemus, ut illius nomen immortalitate dignissimum exstingui mortali cum corpore non sinamus. Quod equidem enitar et hominis mihi amicissimi, summi viri, memoriam, si modo is ego sum, qui tantum præstare possim, profecto ab interitu vindicabo. Video te in tuis literis idem velle, nec dubito, quin possis. Nam et Bunellum amas mortuum et vales plurimum ingenio, quod etiam pietas excitabit. Cuius officii societas eo gratior utrique nostrum esse debet, quod quum apud alios laudabilis maxime erit, illustri exemplo gratiæ referendæ, tum ad animos nostros amore coniungendos æternaque necessitudine conglutinandos, plus valere nihil potest.

Reliqua erant in epistola tua magnifica quædam et eleganter scripta de laudibus parentis mei, quæ verissima fa-

teor: quædam etiam de me ipso, quæ non agnosco. Nam, etsi tibi, nobilissimo adolescenti, multis non solum fortunæ, sed etiam naturæ doctrinæque bonis ornato, et, quod caput est, virtutis amanti, placere maxime velim: tamen, quia nemo hactenus a me hoc impetravit, ut ea mihi asciscerem, quæ mea non essent, patere, obsecro te, de me ipso mihi potius credere, quam tibi. Quodsi, cupidum esse laudis, laudem esse vis: isto me licet nomine non contemnas: quod ea, quæ habent ii, qui laudabiles ducuntur, ego ut haberem, semper laboravi. Sed scis, velle et perficere non idem esse: alterum contingit multis, alterum duntaxat iis, quos dii diligere putantur. Quorum ego te in numero, optime Vide, præstanti natura præditum, Bunelli præceptis informatum, confido facile futurum. Vale. IV. Cal. Decemb. Venetiis. (Epp. I, 6.)

Ep. II.

P. MANUTIUS STEPHANO SAULIO,

DECENTIANO, GENUAM REDEUNTI.

Etsi multarum rerum curis atque oneribus ita premor, optime Sauli, ut respirare vix possim: tamen, ut literis tuis amantissime scriptis aliquid responderem, abieci omnia, et officium, quod tibi a me debetur, habui antiquissimum. Video te miro quodam veteris eloquentiæ amore ac studio teneri. Significant hoc studia tua: declarant scripta: sermones ubique non obscure testantur. Næ tu rem pulcherrimam diligis: cuius me quoque forma cepit adolescentem: et de voluntate illa, vel cupiditate potius, tantum abest ut dies aliquid detraxerit, ut cum ætate simul amor creverit. Quare, quum tibi ego tam multis in rebus concedam, patere, obsecro te, in hac me una rivalem esse tuum, nec tibi vel tantillum omnino velle concedere. Sentimus enim idem, quod tu, nihil esse speciosius eloquentia, nihil præstantius: quam, ut ipse nosti, amarunt ætate nostra atque appetiere quamplurimi: potiri autem, ut mihi quidem videtur, adhuc nemo potuit. Quis enim Latinæ orationis laudem non magnopere

diligendam dixit? quis porro rationem et quasi viam, qua pervenire ad eam liceat, nobis indicavit? nam, qui se ita exercent ut ex veterum scriptis et membra et integrum quandoque comprehensionis corpus sua in scripta transferant, non equidem eos reprehendo: siquidem perfecti similitudinem quandam sequuntur: sed quia perfectum ipsum non attingunt, in magna laude non posuerim. Obsecro te, Sauli, qui iudicio excellis, quid tibi de Christophoro Longolio videtur? equidem, si quando, quid de scriptis illius existimem, interrogor, ita soleo respondere, exilem esse in sententiis, non luculentum in verbis: ut tamen de eo, si vitæ contigisset usura diuturnior, bene censeam sperandum fuisse. Sed, ut nunc est, mea quidem sententia, nullus est. Quid enim affert exquisitum, quid singulare, non vulgatum, non ex quotidiana consuetudine usuque sumptum? At scribit interdum et de rebus familiaribus, et ad familiares. Quid tum? quasi non vel in obscuro argumento possit ingenii lumen elucere. Nam quod in eo verborum circuitus sæpe a Cicerone totus est: si consulto fecit, quod inde laudem speraret, iudicium requiro. Etenim, aliena quæ sunt, ad nos translata stulte iactamus: ut neminem laudare solemus, quia pulcher, quod accipitur a natura; at quia temperatus, quia iustus, quæ posita sunt in nobis ipsis. Sin, quod potius existimo, inops a Latina lingua explicare animi sensa aliter non potuit: necessitatem excuso. Nec tamen, quod faciebat, diutius eum puto facturum fuisse. Qui enim in illo otio Patavino nihil ageret aliud, quam ut se tum eloquentiæ copiis, quæ philosophiam ornant, tum earum artium instrumento, sine quibus muta silet eloquentia, locupletaret; utriusque studio facultatis consecutus esset, ut, suis quasi opibus abundans, de alieno quotidie parcius assumeret. Cuius autem generis ea, quæ moriens reliquit, scripta sunt, abesse eum iudico ab ea specie, quæ est in scribendo optima, longissime. Qua de re quum aliquot abhinc annis in conventu amicorum sermo esset ortus, memini dissentire a me amicum hominem et eruditum: qui Ciceronis in libris diu multumque voluta-

tus, tamen Longolium suspicit. Aurea videlicet quum assidue tractet, ærea non internoscit. Itaque paucis post illum sermonem diebus interiectis, quum epistolam ad me misisset, in qua ita scripsit. Nihil sibi tam accidisse mirandum, quam quod a me audisset, quum dicerem, mihi Longoliana scripta non admodum probari: nihil rescripsi, quod homini quinquagenario insitam opinionem non speravi me posse evellere. Et sunt omnino quædam res, quas ubi sensu et iudicio ipsi non percipimus atque assequimur, nulla satis oratio probabit: ut cum Anaxagora, nivem atram iudicante, frustra de albedine disputares. Improbas igitur, inquies, si ab antiquitate scribentes mutuemur? Ego vero, si apte fiat, etiam summe probo; sed hoc ipsum. Apte, quam difficile sit, ex eo licet cogitare, quod Latinam linguam continet universam: universa enim sub imitationem cadit; imitandi autem ratio, quia et multiplex est, et admodum recondita: primum, de ea præcipere sigillatim, infinitæ doctrinæ est: deinde, quæ præcipiantur, cognoscere et perfecte exsequi, non mediocris ingenii. Quumque id, quod enitet in oratione, aut in re videatur esse, aut in verbis: ego olim rem significatam simul cum verbis significantibus sumebam, eamque meis scriptis quum inseruissem, tum optimum illud, quod quæritur imitando, plane arbitrabar me esse consecutum. Postea cœpit mihi meum consilium displicere: cogitavi, quoniam id esset memoriæ magis quam ingenii, quod ego efficerem, præstare multos posse: quod autem multi possent, egregium non esse. Tum inivi rationem haud paulo difficiliorem, quam cum paucissimis mihi esse communem intelligebam. Exquisitas sententias de Cicerone excerptas, aut de Terentio, tacitus in animo versabam, eas ornabam verbis quam poteram lectissimis, ut quasi vestitu orationis mutato, quum eædem essent, aliæ tamen viderentur. Erat non dissimilis in verborum figuris commentatio. Si quas notaveram illustriores, ad alias sententias ita traducebam, ut interdum eandem locutionem in res prope innumerabiles accommodans,

quasi ex una cera plures imagines, nec tamen eiusdem generis, effingerem. In hac exercitatione quantum esset, utinam aut mature cognovissem, aut sero cognitum avideque arreptum vis occupationum non extorsisset. Equidem, si quis me neget in scribendo quidquam esse, non pugnabo: sed, si quid sum, ab hac una esse contendam. Tibi gratulor, Sauli, qui et vis, quod sentis esse præclarum, et quod vis, nihil impedit, quo minus præstare possis. Otii enim tantum habes, quantum stili exercitatio postulat. Abundas, ut animi, sic fortunæ bonis: in quibus ipsis, Zenonis pace dixerim, non minima ad virtutem vis est. Ingenio vero ita flores, ut tuam maxime consuetudinem propterea expetierint ii, qui ipsi ingenii gloria præter cæteros excellere putabantur. Atque utinam ea, quæ literis mandasti de homine Christiano, aliquando emittas, ut opinionem ac sermones de te meos res ipsa confirmet. Quod brevi futurum facile spero; recipis enim te nunc in villulas tuas, hoc est, in summum otium: ubi quum nullam tibi horam a studiis vacuam abire patiaris, sic enim et a multis antea cognoveram, et postea Coccius noster confirmavit, expolitionem intra paucos menses exspectamus operum tuorum; qua de re ut interdum me Decii nostri literis certiorem fieri velis, etiam atque etiam te rogo. Pontificis legatus, Ludovicus Beccatellius, homo antiquæ probitatis, humanitate ac doctrina præstans, post obitum Cardinalis Maffei ita me complexus est, ut omnem in meis commodis atque ornamentis curam et cogitationem fixisse videatur. Cui non tam a me gratiæ sunt habendæ, quod agit ipse quantum potest, ac plus etiam quam potest: quam quod alios etiam, magnos et principes viros, ad me augendum atque honestandum suo exemplo atque auctoritate vehementer excitat. Qui quum multi sint, tua tamen inter omnes elucet liberalitas, qui, re vix audita, amore in me tuo, studio erga literas incitatus, tantum tua sponte ad hanc provinciam conferre velle pollicitus es, quantum ex animo meo nulla umquam delebit oblivio. Vale tuamque valetudinem

cum tua, tum nostra etiam, qui a te pendemus, causa, diligenter cura. Venetiis 1553. (Epp. 1, 4.)

Ep. III.

EIDEM.

GENUAM.

Magnum mihi solatium attulit epistola tua: iucunditatem dicere non possum, quam tempora eripiunt, sic, ut me tristitiæ pæne totum tradiderim. Ac primum, obiisse audio fratrem meum Bononiæ, quum valeret optime, repentino morbo oppressum. Fratrem quum dico, me alterum iure naturæ dico: verum addo illud: obierit, si vera narrantur, fraterris, qui bonitate præstabat, valebat ingenio, excellebat industria, factus ad omnia maxime omnium videbatur. Itaque obruor dolore: nec, puto, emergam, nisi aut illi melius esse cognovero, aut, si naturæ satisfecit, opem tulerit ipsa dies: quæ valet ad omnia plurimum. Animi vero morbis plus etiam interdum, quam ratio, medetur. Ad hanc ægritudinem accedunt domestica meaque propria. Uxor, cuius præcipue studio res familiaris ac domus tota nititur, quæ me multis molestiis multarumque rerum et curarum onere levabat, quæ meam valetudinem præsenti semper officio tuebatur, ipsa nunc iacet, periculi non expers, affectis diuturno morbo viribus. Ego vexor acerbissime anniversariis oculorum doloribus: quos sanare, quum iam pæne tentata sint omnia, humanæ artis esse non puto. Remedia sunt ab uno illo, qui malis cunctis medetur, cælesti medico, expetenda: is mihi optimam, ut spero, valetudinem aliquando restituet: si hoc minus, muniet me saltem ea virtute, qua res adversæ facile perferuntur. Ita salus ex morbo nascetur, non hæc, qua corpus viget, quam ego adhuc omni remediorum genere frustra quæsivi, quæ cum ipso corpore paucorum annorum spatio terminabitur, sed illa multo præstantior, qua nostræ mentes, quum sese ab hac terrestri labe seiunxerint, et cum

purissimo illo cœlestium animorum cœtu consociaverint, perpetuo fruentur. Interim, tot in me concurrentibus malis, ægre impetum sustineo, planeque, quoniam homo sum, debilitor adversis. Hic tu me vocas ad scribendum, et hortaris, ut ea tradam literis, quæ assiduo Latinæ linguæ usu et diuturna tibi videor exercitatione consequutus. Vis me scilicet, optime Sauli, eam viam, quæ ad eloquentiam ducit, aperire: spissum opus ac difficile, multi otii, tranquillæ mentis, non nostræ fortunæ, cuius tibi imaginem ostendi: neque nostrorum nervorum, quos tu putas esse satis firmos; ego quam sint imbecilli, experior sæpe ac sentio. At erunt præclari conatus, etiamsi non succedat. Si ita est, hac laude nemo excluditur, potest aggredi, qui vult: velle autem quis non debet? si quidem egregia cupientem aliqua vel ex hoc ipso gloria consequetur. Te, si quemquam, Sauli doctissime, te, inquam, ipsum decet maxime omnium id suscipere, quod mihi imponis. Quæ enim sunt ad hoc munus necessaria, quorum aliis alia desunt, ea in te uno abundant omnia: ingenium, usus diuturnus, doctrina, iudicium. Quid? opes et fortuna numquid huc pertinent? illæ vero, mea sententia, vel maxime. Cursum enim ingeniorum retardat, vires debilitat ac frangit inopia. An tu putas, Aristotelem et Platonem, illa Græciæ lumina, an Ciceronem nostrum, an Plinium tam multa potuisse literis mandare, nisi summum illis otium rerum omnium affluentia peperisset? domi alebant servos eruditos: contubernales habebant, eximiis præmiis accersitos ex ultimis terris, rhetores, historicos, præstantis ingenii, singularis doctrinæ philosophos; cum his se quotidie exercebant, commentabantur, disputabant: horum omnium opera, quatenus liberet, utebantur. At ego sumptum unius pueri, minima mercede conducti, quo in scribendo utor, ægre sustineo. Et in his angustiis, in hac mea tam tenui valetudine, tam adversa fortuna, quia rudes homines, veteris eloquentiæ cupidos, meis scriptis non erudio, nec in rectam Latine scribendi viam induco, appellas me, quasi malum debitorem, atque etiam accusas, verbis tu quidem humanissimis, et alieno,

ut videris, nomine, re tamen ipsa graviter, et, ut ego interpretor, tuo iudicio: quod vereor in primis, facioque, sicuti debeo, plurimi, veruntamen videre te puto, quam facultatem res desideret. Quid autem præstari a me possit, nemo omnium, qui vivunt, me ipso melius intelligit. Quare noli mihi languorem aut desidiam obiicere: quæ abesse procul a me, qui anteactæ meæ vitæ cursum inspiciet atque examinabit, facile cognoscet. Satis habeas, si nemo istam culpam in te conferat, qui quum ingenio præstes, ætatem omnem in Latina lingua contriveris, ex quo factum est, ut eam perfecte calleas: id quod tuorum scriptorum subtilitas et elegantia declarat: quum valetudinem non desideres, otio pæne diffluas: addo etiam illud, quum optime tibi cum fortuna conveniat: quæ tibi de suis bonis tantum elargita est, ut erogare quantamvis pecuniam in homines doctos, eorumque studia, nullo tuo incommodo possis: hæc quum ita sint omnia, eaque, ut ego arbitror, summa, non minima quidem certe: abstines tamen ab hoc munere, et hortaris alios, nulla tibi re, præterquam voluntate et studio, conferendos. Quis non miretur sitire fontes? sitiunt enim certe, quum tu petis a me, tamquam ex arido solo, quod in te ipso uberrimum esse constat: et quum ad nostram potius inopiam confugere, quam tuis copiis uti vis. Hoc loco mihi venit in mentem, tuam quoque causam, non modo meam, meditanti, quod tu fortasse respondeas. Distingues illa superiora: negabis in te uno esse omnia, quæ dixi esse de Latina lingua scribentibus necessaria; de fortuna concedes: patet enim: etiam, opinor, de valetudine, de otio: ingenii laudem et doctrinæ, quæ tua modestia est, abs te reiicies: fortasse etiam, quæ tui est in me animi propensio, quæ humanitas, ad me transferes. Nolim equidem tecum, Sauli, ne in tua quidem laude, contendere: verum, quod tu mihi de te ipso non credes, credent alii: verumque fatebuntur, adducti in hanc sententiam, ac plane confirmati, non tam auctoritate mea, quam tamen in his præsertim elegantioribus literis, in quibus iam tot annos versor, non esse nullam intelligo, quam tuo ipsius te-

stimonio, quod habet ponderis apud bonos ac sapientes viros in omni re plurimum, te, inquam, ipso, teste locuplete, cui fides habenda videatur, probabo tuam virtutem. Oblitusne es, aut oblitum me putas illius temporis, quum tu librum tuum de homine Christiano mihi ostendisti? bone Deus, quam in illo multa præclara, cuius industriæ, cuius prudentiæ, quam a te graviter, quam copiose, quam splendide tractata. Neque vero ego unus illum librum: videre alii: vidit, qui vir et quantus, Reginaldus Polus Cardinalis, qui potest esse instar omnium: quem tu profecto iudicem in re tua numquam recusabis. Hunc ego audivi, audivere alii, de tuo interdum libro loquentem; ornabat laudibus: et est homo, ut scis, natura simplex, rectus, cuius ab intimo sensu numquam ne minimum quidem aut vultus, aut oratio discrepet. Quid plura? conferendum cum antiquitate iudicabat. Quamobrem redeo illuc et concludo paucis. Magnifacis eloquentiam: cupis eam cognosci, cupis amari et coli. Egregia cupiditas, et nobili sane viro digna: verum ut tibi satisfacias, et invenias exitum studii tui, elige de duobus utrum vis: aut ipse, qui potes, ostende nobis Latinæ linguæ pulchritudinem ac præstantiam; doce nos, doce posteros, quæ sit eius adipiscendæ et perfruendæ ratio ineunda: aut, si quos existimas hoc præstare posse, excita eos liberalitate, fove tuis copiis: noli pati animum eorum hac et illa cura distrahi: sit intentus et fixus hoc uno in studio, neque abducat eum ab opere pulcherrimo ac nobilissimo humillimæ interdum rei turpis et sordida procuratio. Ita consequeris facile quod vis, optimisque studiis et posteritati magna tua cum laude consules. Illa, quæ scribis de leguleiis quibusdam in meum librum de Romanis legibus, detrahendi studio, incurrentibus, legi nullo cum stomacho: nec sum miratus, a barbaris hominibus, sordido quodam literarum genere assuetis, elegantioris doctrinæ scientiam, et quasi lautitiam quandam studiorum contemni. Non placet istis meus liber: magnis videlicet viris, quorum fama ædium illarum, in quibus ipsi habitant, limina nondum est egressa: at placet Vincentio

Portulacæ, cuius est in urbe Brixia insignis auctoritas, illustre per Italiam nomen: placet Antonio Augustino, Marco Antonio Nattæ, Lælio Taurello, Vido Pancirolo, iuris utriusque scientia claris, quorum nomina scriptis egregiis testata virtus, atque expressa, cum æternitate coniunget. Hos ego meorum laborum et vigiliarum laudatores quum audio, viros graves, et certos, omniumque nobilissimos, voculas raucæ plebeculæ contemno, quidque leves et obscuri homines de me sentiant, aut loquantur, non esse mihi valde laborandum existimo. Te quoque sperabam in meis præsidiis esse, et, si qui urgerent gravius, obsistere, impetumque invidiæ et malevolentiæ tua auctoritate ac testimonio frangi. Quod si facis, fructum fero meæ singularis in te observantiæ, et habeo tibi quam debeo gratiam: sin minus, hoc tamen nomine tibi debeo, quod meos obtrectatores flocci facis usque eo, ut indignos quibus respondeatur, existimes. Vale. Venetiis, 1558. (Epp. 1, 5.)

Ep. IV.

P. MANUTIUS GABRIELI CATIANO,

BRIXIAM.

Epistolas a te habeo duas, utramque scriptam elegantissime: sed illam pleniorem, quam XI. Cal. Septemb. dederas: nam hæc recentior, cui Nonarum Oct. dies erat adscripta, argumentum habuit fere nullum. Venio igitur ad priorem, in qua cætera iucundissima, illud permolestum, quod te minus commode significas valere: scribis enim, valde te ob adversam valetudinem vereri, ne non illud, quod instituisti, absolvere ac perpolire tibi liceat. Mi Catiane, excita prudentiam tuam, et occurre morbi principiis: ne ille, gravior deinde factus, et te et amicos tuos, qui, te ægrotante, valere non possunt, diutius vexet. Hoc loco mihi veniunt in mentem, quæ tu me olim, minus recte quum haberem, prudentissime et amantissime monuisti, illa. Illa ipse

tibi nunc in memoriam redige, et, quæ tuæ tunc partes erant, eas nunc fac esse meas. Tu mihi non ex Hippocrate aut Galeno, sed ex veterum philosophorum libris ea remedia, quibus ad salutem meam præstantius esse nihil potuit, attulisti: ego nunc idem in te facio, tuamque tibi medicinam restituo. Vis, quæ meum morbum, te medente, sanarunt, ea tuo ipse in morbo prætermittere? non vis, opinor. Non enim id te dignum est: qui ea sæpe legisti, unde homines aliis cavere quum discant, sibi eos non cavere turpe est. Quare adhibe eam, quam omnes ad res soles, ad te curandum diligentiam: et, quod oneris suscepisse te scribis, id, si gravius videtur, quam ut perferre possis, depone prius, quam opprimare. Magnum est quod moliris, et magni non solum ingenii, quo tu non eges, sed etiam otii: quo nisi abundas, quo modo te speras ea, quæ in iure civili dispersa sunt, quæ scis esse minime pauca, primum posse cogere, deinde coacta ita disponere, ut ex certis generibus totum ius civile cognoscatur? Atque ego tamen sic existimo: si quis est, qui hoc præstare possit, aut eum te esse, aut omnino neminem: sed; quoniam res et fortunæ tuæ, quemadmodum tu quidem affirmas, ita ferunt, ut in forum tibi necessario sit eundum: quæ ratio, si modo et tibi et populo placere velis, multi temporis exercitationem desiderat: hæc autem, quæ a te est iuris civilis instituta digestio, eiusmodi est, ut nihil operosius existimetur: vereor, ne duarum rerum difficillimarum tractatione distractus, utramque dum vis, neutram assequare. Quamobrem, quid suscipias, tui consilii est: ego monendi partes, quæ sunt prudentiæ, non assumo: neque enim plus ulla in re me existimo videre, quam tu vides: id quod est benevolentiæ meæ, faciam, ut magnopere te non solum horter, verum etiam rogem, valetudini tuæ minus quam gloriæ ne servias: quæ quidem nobis, qui te summe diligimus, tantæ curæ est, ut plurimas nostræ salutis partes in tua salute positas existimemus. De Alciati libro valde te amo: sed, eum, hoc quidem tempore, cur mittas, non est. Sunt quædam, quæ magis urgent. Quæ scis a nobis anno proximo

superiore instituta, iam pæne absolvimus. Domestica fere sunt ut volumus fratres valent optime: ego, sicut soleo: hoc est, etsi non optime, sic tamen ut studiis nostris frui liceat. Quod si perpetuo detur, equidem hac mea tenuitate contentus ero: illam firmitatem, illa athletarum latera non appeto: neque mihi umquam de natura queri veniet in mentem, quæ me corpusculo finxerit imbecillo: gratias agam potius, quod effecerit, ut omnibus pæne horis, adversæ valetudinis metu, spectanda mihi ratio sit, et continentiam, quæ virtus est, aut certe ad virtutem ducit, cogar amplecti. Amamur a multis: si modo ex vultu et verbis amor cognoscitur: colimur etiam a nonnullis, qui, falsa de nobis opinione adducti, nostram consuetudinem, quasi docti hominis, videntur expetere. Quibus ego si me patefecero, facile hunc errorem eripiam: et, puto, faciam, ne totos dies salutatoribus tribuam. Vale. Venetiis 1543. (Epp. 1, 9.)

Ep. V.

P. MANUTIUS FRANCISCO LUISINO,

PATAVIUM.

Si nescis, Luisine, quantum ego amori nostro tribuam, cognosce ex hoc, quod et superioribus mensibus licere mihi per eum putavi ad tuas literas, humanissime scriptas, nihil respondere: et nunc, eodem fretus, etiam male respondeo. Non est hoc, inquis, officium colere. Quasi iam probaveris, quia non coluerim, ideo me turpem esse. Non placet ita duris legibus amicitiam adstringi, ut numquam relaxentur. Summam diligentiam maximis in rebus si ab amico requiris, iure facis: sed si etiam in minimis, non æquus es. Est enim profecto quædam suavitas in negligentia: quam qui ex amicitia tollit, horridior est, quam ut urbani mores ferre possint. Quare, si amabilis esse vis, quamquam quis te uno amabilior est? verumtamen, si id tibi propositum est,

ut omnibus in rebus æque amabilis, æque iucundus sis: permitte mihi, ut liceat aliquando tecum esse negligenti. Nam, quod ad tuas litteras attinet, ita iudico, scriptas esse non solum eleganter, in quo tamen non minima laus est, sed etiam sapienter: quod quia solet ab ætate tua longius abesse, non solum laude, sed etiam admiratione dignum est. Vitium hoc in plerisque adolescentibus, atque etiam in robustioribus quibusdam fama celebratis animadverto, ut inania colligant, et eloquentiam non, ut veteres illi, in sententiis et verbis a communi consuetudine alienis, sed in quibusdam vulgaribus ac pæne puerilibus ineptiis constituant. Quocirca non ego te, Luisine, hortabor, ut ex ista imperite scribentium turba te eximas: sed gratulabor potius quod ita effecisti ut hortationi locum non reliqueris. Hoc quum adolescens adhuc et, pæne imberbis, nondum ea prudentia, quæ extrinsecus assumitur, propter ætatem copiose instructus, naturali quadam ingenii facultate, et assidua Ciceronis lectione sis consecutus: quum illa accesserint Aristotelica, in quibus nunc totus es, usumque rerum, qui in adolescentem non cadit, percallueris, qualem te virum futurum putemus? Non sum natura blandus, neque soleo cuiusquam auribus inservire: potius offendit quosdam libertas mea. Itaque, quod dicturus sum, gratiæ causa dictum ne putato. Si quando accidit, ut interroger de iis, qui antiquam illam perfecte scribendi laudem posse nobis videantur iam pæne amissam restituere, soleo te duobus præstantissimis adolescentibus, meis familiarissimis, Calino et Amaltheo, tertium inserere. Calinum, puto, non nosti, qui clarissimum iuvenem, Aloysium Cornelium, singularis viri, Joannis Cornelii, filium, in Cyprum insulam secutus, tertium iam annum abest. Sed mihi hoc velim credas affirmanti, ea bona, quæ magister tuus Aristoteles laudabilia esse dicit, omnia fere in illo adolescente aut esse iam, aut brevi, ut ego auguror, futura. De Amaltheo autem quid sentiam, non exspectas, opinor, ut significem: neque ut ego tibi eum quasi latentem indicem, quem in illustri quadam specula virtus constituit. Quare coniunge

te cum his, et eloquentiam tres optimi adolescentes, ætate fere pares, concordi studio, sicuti pulcherrimam virginem, diligite. Quodsi me etiam socium recipitis, et rivalem in hoc amore fertis: erit præclara consensio, et Latinæ linguæ formam, quam superioribus temporibus turpi barbarie vitiatam nunc agnoscere vix possumus, posthac, ut opinio mea fert, intactam illibatamque tuebimur. Vale. Venetiis 1547. (Epp. 1, 10.)

Ep. VI.

P. MANUTIUS PAULO CONTARENO

VENETIAS.

Quum Venetiis proxime discessi, ut in hanc solitudinem ex ista frequentia me conferrem, magna sane lætitia perfruebar: et quod ad ea, quæ homini carissima sunt in vita, uxorem ac liberos meos, redibam, et quod mihi otium ad studia, amœnitatem ad valetudinem quærenti, hunc esse præter cæteros locum expetendum atque adamandum intelligebam. Sed, ut in rebus humanis nihil est simplex, in summa voluptate molestiæ tamen hoc erat, quod ita fortuna tulisset, ut, quo tempore tibi per anniversarias Patavini gymnasii ferias Venetiis esse et commorari liceret, tum ego a te disiungerer, magnamque manendi cupiditatem maxima discedendi necessitas vinceret. Nec vero mihi dubium est, quin cum meo sensu tuus quoque sensus congruat, et, quæ me cura torquet, eadem te pungat. Vinci enim in officio, atque amore, quam sit turpe, si te non mea vox aliquando docuisset, ipsi te libri, unde hauris illa præclara, quibus ad laudem informamur, penitus erudirent. Quodsi, ut una simus, quod et tu, ut opinor, sperabas, et ego certe cupiebam, per intervalla locorum non licet: at, quod proximum est, ut una esse videamur, non video cur præstare literis et consequi non liceat. Nam si propterea simul esse iucundum est, quia mutuo sermone fruimur: in literis non ego

quidem tuam vocem audio, neque tu meam, sed, quæ voci subest res, eam nihilominus, quam una quum sumus, percipimus: hoc etiam maiore cum fructu, quod aliquanto scribimus accuratius quam loquimur. Quare velim ad scribendum te des: et, quum me tuæ consuetudinis usura, ob ingenii tui suavitatem, et sermonis elegantiam, mirifice capiat; hæc, quæ in te amo, quæ nunc abesse doleo, fac, si me diligis, ne omnino desiderem. Debes hoc mea causa non nolle, tua vero maxime cupere. Nam, quum te aliquot abhinc annis in rectam illam antiquæ eloquentiæ viam dederis, patris tui, viri optimi ac sapientissimi, vocibus consiliisque commotus: patrui vero, clarissimi ac præstantissimi civis, exemplo incitatus, turpe tibi est in mediocri laude consistere: et ad summam pervenire, sine stilo assiduaque exercitatione non licet. Quid enim ille noster, cuius tu libros numquam de manibus deponis, quid aiebat? timere se, nisi frequenter declamaret, ne, quod adeptus erat in arte oratoria facultatis, exaresceret. Attende, mi Paule, et tuam causam, a qua mea disiuncta non est, si placet, mecum considera. Ille sibi, homo Romanus, Latinæ orationis inopiam metuebat, quum tamen omnibus in hoc genere divitiis abundaret: nos, quibus Latina lingua peregrina est; qui in optima scribendi aut dicendi ratione rudes et infantes pæne sumus, de summa eloquentia sine summo studio cogitabimus? et unam omnium difficillimam rem, eandemque omnium gloriosissimam, ludibundi consequemur? Vides me ipsum, qui quid sim, ego quidem non statuo: sed sunt, quibus non esse nihil videar: nullum pæne diem intermittere, quin aliquid Latine scribam? quum tamen, ex quo lapidem hunc volvo, annus iam vigesimus abierit. Est adolescens in vestra nobilitate, tibi non ignotus, mihi admodum familiaris: quem excellenti præditum ingenio, gloriæ cupiditate flagrantem, nisi a Romanæ eloquentiæ laude ad huius maternæ linguæ studium falsa quædam opinio traduxisset, erat cur de illo sperarem ea, quæ summa sunt: tantam enim operam in scribendo po-

nit, quantam tu videlicet in legendo. Sed neque illi in summa industria iudicii satis est, qui de Latinæ linguæ dignitate non optime sentire videatur: neque tibi rectissime iudicanti, ad id ipsum, quod probas, obtinendum suppetit industria. Quare vellem ut et tu illum in diligentia, et ille te imitaretur in sententia. Quod utrumque si contingeret, næ ego vestræ utriusque laudi præclare consultum putarem. Sed ille de suo consilio viderit. Iccirco enim se non existimat errare, quia, quos sequatur, auctores habet eos viros, qui, quod optimum esse ducunt, in eo facile omnibus hominibus antecellunt. Tu vero, qui mecum in iisdem ædibus per triennium fere vixisti; qui, quidquid es, de meorum consiliorum præceptorumque fonte fluxisti, cuius a laude mea laus quodam modo pendet: te, inquam, mi Paule, quantum in me erit, errare non patiar: teque, coactus amore et officiis tuis, hortari numquam desinam, ut in veram ac sinceram eloquentiæ formam, cuius ego tibi excellentem pulchritudinem, duorum veterum oratorum exemplo, sæpe demonstravi, tuæ mentis oculos acriter intendas, eamque tibi a me veris, ut arbitror, lineis designatam, tu aliquando tuis scriptis, quasi coloribus, coneris exprimere. Grave, inquies, onus imponis, et difficilem mihi laborem mandas. Fateor ita esse: addo etiam illud, non esse nobis optandum ut aliter sit. Nam, quum omnium hominum in appetenda laude par prope voluntas similisque sensus sit: quod omnes appetunt, id si esset eiusmodi, ut consequi multi possent: quanti, obsecro, æstimares? opinor, minimi; copiam enim vilitas, et vilitatem sequitur contemptus. Quare non tibi est dolendum, quod de sudoribus manat gloria. Lætare potius, quod, quum eam omnes amabilem esse valdeque expetendam sentiant, plerosque tamen laboris magnitudo terret, æmulandi studium rei difficultas imminuit. Est autem tibi ad hanc laudem, quo te voco, aditus eo facilior atque apertior, quod, quæ duo sunt ad comparandam eloquentiam instrumenta maxime necessaria, ingenium, et memoria, utrumque sic tenes, ut in altero excellas, in altera iis, qui excel-

celere putantur, non admodum concedas. Hæc tu bona si languere sinis, gratiam naturæ non optimam refers: quæ non in te benigna fuit, ut suum beneficium negligeres, sed ut ad decus, ad dignitatem, ad immortalem æternamque laudem conferres. Neque vero is ego sum, qui te velim, eloquentiam a philosophia seiungere, totosque dies in hoc uno expoliendæ orationis studio consumere. Erras, si me ita sentire putas. Ego philosophiam divinum quiddam esse dico, indicem veritatis, magistram vitæ, omnium virtutum omniumque laudandarum artium parentem: sed idem ita statuo: si, qui optime sciat, non optime loquatur, plerumque fieri, ut id ipsum, quod sciat, nescire videatur: et ut in conviviis non parum interest, quæ epulæ ratione condiantur: sic in sermonihus aut scriptis magni refert, quibus animi cogitata verbis enuntientur. Quodsi cui ita stupidus aut ita depravatus est sensus, ut ornatæ et bene structæ orationis suavitatem et tamquam harmoniam auribus non percipiat: hunc tu, si sapis, neque consules in re tua: quia recte qui non intelligit, is ut recte iudicet, sperare non licet, neque ipsum monebis, quia quibus desunt principia naturæ, iis inutilem artem esse constat. Tu, si me audies, musarum vocem ab rusticano sono distingues, et ut inanem multorum loquacitatem oderis, sic elinguem quorundam sapientiam non amabis. Qua in sententia video fuisse, quos viros? Platonem et Xenophontem: quibus ego plus crederem solis nutu significantibus, quam omnibus, qui nunc ubique sunt, philosophis cum iure iurando confirmantibus. Nonne vides, magnum utrumque et excellentem in philosophia fuisse, utrumque tamen in hac, quam homines inepti reprehendunt, exornandæ orationis facultate ita præstitisse, ut eorum scripta quum legimus, nihil fieri posse purius, nihil elegantius, nihil illustrius, iudicemus? A qua laude plurimum abfuissent, nisi temporis industriæque multum in eloquentiæ studio collocassent. Neque vero eloquentiæ studuissent, nisi ex ea decoris ornamentique plurimum ad philosophiam accedere, tamquam ad formosam virginem a cor-

poris cultu, iudicassent. Hos igitur ego te imitari malo, quorum nomina adhuc vigent, quum ipsi duobus abhinc annorum millibus obierint, quam istos, si qui sunt, qui te infirmissimis rationibus a pulcherrimo consilio conantur abducere. Perge, ut facis, in disciplina philosophiæ, in qua Patavii artificem habes eximium M. Antonium Genuam: eloquentiam vero, cuius, ut opinor, in via me ducem non contemnis, ne dimitte; utrumque enim et debes, si tibi magna proposita sunt: et potes, si, quod me sæpe dixisse memini, diei horas apte et cum ratione distribues. Vale, et patrem tuum et patruum, quos ego plurimi sane facio, et communes amicos meo nomine saluta. Ex Plebe Sacii 1556 (Epp. 1, 11.)

Ep. VII.

P. MANUTIUS CHRISTOPHORO MADRUTIO,

CARDINALI, MEDIOLANUM.

Audio te de nobis et loqui et sentire perhonorifice. Præclarum hoc est, laudari a principe viro, et ab eo principe, qui cum fortuna virtutem ita coniunxerit, ut in utraque pariter emineat. Atque ego te semper antea, quum numquam essem allocutus, numquam vidissem, tamen vehementer colui. Movebar tuis præstantissimis actionibus, hominumque constanti sermone, omnia de te summa prædicantium. Neque vero, si quis in te laudaret opes, aut nobilitatem, aut dignitatem, admirabar, communia multorum hæc sunt, optabilia potius quam laudabilia, sed illa, quæ tua proprie sunt, quum audirem, unum esse Christophorum Madrutium, qui virtutem ipse coleret studio singulari, in aliis ornaret præmiis amplissimis, omnesque liberales disciplinas, fato quodam — temporum dicam, an hominum iniuriis? — exulantes exciperet, amplecteretur, foveret: qui denique solidam gloriam spectaret, inania, quæ multi sequuntur, contemneret. Hæc ego quum audirem, incitabar studio meæ

tibi singularis erga te observantiæ declarandæ: sed obstrepere litteris inanibus tali viro, præclaras Italiæ urbes, multorumque populorum fortunas non potestate magis quam iustitia tuenti, hominis esse vel inepti nimis, vel impudenter ambitiosi, existimabam. Nunc autem quum ad me sermones tui, mea cum laude habiti, referantur, occasionem cupide complector, quam mihi tua liberalitas offert, tibique gratias, quas possum quidem, ago: habeo autem certe maximas, atque immortales, tum quod ornes me testimonio iudicii tui, quod apud omnes valere plurimum intelligo: tum vero, quod isto officio, ista tam præstanti humanitate quasi fores mihi aperueris ad amicitiam tuam: qua quidem ego me, si minus alia re licebit, perpetuo certe, ac singulari erga te studio, assiduaque tuarum virtutum meis omnibus in sermonibus et scriptis prædicatione dignum præstabo. Quod quum antea fecerim, iudicio meo commotus, faciam tamen in posterum alacrius ac diligentius, tua humanitate incitatus: quam semper eandem in me futuram, non magis constantiæ ratio, quam naturæ tuæ benignitas mihi persuadet. Vale. Venetiis 1557. (Epp. 1, 12.)

Ep. VIII.

P. MANUTIUS ROMULO CERVINO,

PATAVIUM.

Quod tu persæpe queri solitus es, id mihi nunc accidit, ut epistolæ prorsus caream argumento: sed ego tamen non committam, quod tu soles, ut argumenti me inopia deterreat a scribendo. Quin vide quam diversa ratio sit; tu, quum sententiam non habes, valde tibi ais laboriosum esse epistolam texere: ego numquam facilius soleo scribere, quam quum nihil habeo quod scribam. At inanes huiusmodi literæ sint necesse est. Primum, hoc non semper, quandoque enim accidit, ut nihil dicentes aliquid tamen dicamus: et ut in fidibus est quædam manus aberratio sine arte, in

qua tamen ipsa ars sit: sic in epistolis argumentum quandoque est sine argumento. Itaque, non semper inanes huiusmodi literæ: si quidem in iis solet aliquid nonnumquam exsistere, quod pondus habeat. Sed fac inanes esse: quid refert? non hoc spectamus: id sequimur, ut exercitatione duce, eo perveniamus aliquando, ubi sita laus videatur eloquentiæ? quod si nobis tantum in hoc proficere non licet, ut veteribus illis, quorum est purissima oratio, similes esse possimus: at tentemus tamen, si possumus nostris, qui inquinate loquuntur, dissimiles esse; quod, ut opinor, et multum et sæpe scribendo consequemur. Ac noli putare, semper in eo nobis esse elaborandum, ut philosophemur in epistolis; graves sententiæ probantur: fateor: sed numquid hoc uno Latina lingua continetur? Me quidem Cicero paullo minus interdum delectat, de iocis quum agit, quam de turpi et honesto quum disputat. Utrobique enim sunt ornamenta, et utrumque sæpe necessarium est. Itaque ad utrumque me do: teque, ut idem facias, etiam atque etiam hortor. Quumque res non erit, de qua scribas, tum tu si me audis, vel levissima quæque ex omni parte, ex omni genere arripies, et iis pro argumento utere. Hoc autem quatenus agas, aut cum quibus agas, tibi non præscribo: cuius tanta prudentia est, quantam ætas ista, qua nunc es, capere vix potest. Summa sit, ut et cum argumento et sine argumento sæpissime scribas. Vale. Romæ. (Epp. 1, 13.)

Ep. IX.

P. MANUTIUS FRANCISCO GONZAGÆ,

PATAVIUM.

Odi pæne meos oculos: et si oculi sunt, id est omnium rerum curissimi: sed odi certe peius quam antea, hunc morbum, quo mihi nunc tuus adspectus, tuus complexus eripitur; advolarem enim ad te, si valerem: nihil me moraretur: nihil esset tanti. An quum tu, magni principis filius, fa-

milia natus Italicarum omnium nobilissima, nec iam a maioribus tantum, sed a te ipso clarus, Mantua me, humilis hominem loci, nondum de facie notum, literis humanissimis tua sponte salutandum putaveris: ego, quum Patavii, hoc est, prope in conspectu meo, sis, non accurram ad te? facerem: sed soluta voluntas non est: impeditur enim valetudine. Solatio tamen hoc, in magno dolore, sustentor, quod futurum brevi non despero ut convalescam; concurrunt simul, anni tempus, assidua medicorum cura, mea summa continentia; hæc si proficient, adibo ad te, nulla interposita mora. Opto enim, quæ inter nos mutuo literarum officio conglutinata amicitia est, eam paullo arctius mutuis sermonibus, mutua consuetudine adstringi. Sin hærebit morbus: obsecro te, largire hoc vel meæ in te observantiæ, vel humanitati tuæ, ut omnino tuis literis ne caream: quas ego meis quam potero creberrimis dabo operam ut eliciam. Mitto ad te librum meum de Romanis legibus, proxime rogatu multorum editum. Cupio, legas: cum hoc tamen, si vacat; nam avocari te a studiis gravioribus mea causa, nolo. Cupio etiam, quum legeris, probari tuo iudicio nostram industriam. Sed hoc me cupere, rogare ne puta; volo tibi esse liberam in utramque partem iudicandi facultatem. Nihil mihi tribue: rem ipsam pende suo merito, ac statue de tuo sensu; nec enim is ego sum, qui plus amicitiæ dari postulem quam veritati: nec tu is es, qui, si postulem, facile concedas. Pergam ad reliqua, hæc si tibi tuique similibus non improbari cognovero. Vale. Possevino salutem, rarissimo iuveni, cuius heri epistolæ respondi. Venetiis. (Epp. 1, 14.)

Ep. X.

P. MANUTIUS ANTONIO POSSEVINO,

FERRARIAM.

Gratus et iucundus admodum amor is, qui te in eam mentem impulit, ut officii gratia ad me scriberes; quid enim

aliud existimem? quum argumentum res quidem ipsa tibi nullam daret. Ingenium vero mirifice tuum amavi, amplexatusque, quantum licuit, animo sum, quod raptim, et ut ad hominem familiarem, familiariter quum scriberes, epistolam tamen confeceris elegantissimam, distinctam luminibus eloquentiæ: in qua non fucatus, sed verus ac tamquam naturalis Romanæ linguæ color eniteat. Macte Possevini, fratre iam maior, iuvene eximio: urge totus in studio litterarum; vides quæ te manent præmia. Gloriam habes proximam, eamque pæne manibus attingis: paullulum si te incitaveris, apprehendes. Non me hercule, quia nolis, dico: sed ut intelligas, quantum cupiam, propterea dicendum putavi. Faveo enim omnibus, qui recte sentiunt recteque faciunt: in te vero mea præcipua et est voluntas, et esse debet; scis, quintum abhinc annum Romæ quum te frater tuus adolescentulum adduxit ad me, quibus verbis commendaverit, amicitia iunxerit, et veluti in clientelam tradiderit. Ex eo tempore, quoties adiisti ad me, quos tecum habuerim sermones, quam studiose, quam amanter ad illa præclara, quæ frater tuus amabat, sim cohortatus, potes recordari. Dixi sæpe, non esse tibi de fortunæ bonis cogitandum, quæ vel improbi malis artibus quærerent, vel bonis viris recte quæsita facile casus eriperet. Ostendi, vere et esse et appellari divitem posse, qui liberalium doctrinarum scientiam possideret. Non neglexisti: contulisti cogitationes omnes tuas ad studium veræ laudis: et in eo nunc apud Franciscum Gonzagam, nobilissimum ac virtutis amore incensum adolescentem, ita versaris, ut propemodum videaris excellere. Quare gratulor equidem fratris tui manibus: quos lætari arbitror summopere, quia talis es, et quia fere tantus videris, quanta potest esse virtus, maximo ingenio, acerrima voluntate, summo studio comparata. Nec vero, quod epistola tua significat, mea tibi sunt aut ad ullam fortunæ accessionem, aut ad dignitatem studia exspectanda: ea a te ipso, mihi crede, omnia proficiscentur. Virtutem si habes, nihil desidera; ea pro te prensabit, ea tibi omnes ho-

nores, omnes, quas petieris, opes impetrabit. O præclarum vitæ ducem; te felicem, Possevini, qui cum hac vivis et vivendum statuis: me miserum, qui quum idem sentiam, cogor tamen eam a me disiungere, victus gravitate morbi, et iis curis quæ invitum alio traducunt. Quodsi me Deus aliquando respexerit, acquiescam in iis studiis, quæ sola sunt ad naturam meam, sola tranquillitatem animis afferunt, hominemque paulatim ab homine separant, et, quantum licet, cum Deo coniungunt. Vale. Venetiis. (Epp. 1, 15.)

Ep. XI.

P. MANUTIUS ANTONIO AUGUSTINO,

ROMAM.

Accepi tuum Varronem, missum ab Octavio nostro, delatum a Lævino. Quid quæris? te dignus est. Quodsi operam eandem posueris in Festo, plurimum tibi Romanæ literæ debebunt; aggredere. Quid enim tibi non succedet? qui, ut omittam illa, quæ pleno iam theatro spectata sunt, ingenium, iudicium, doctrinam, quantus quantus es, totus labor, totus industria es. Ac mehercule non solum communi nomine sed proprias etiam tibi ego agam atque habebo gratias; nam, quem in eo libro emendando laborem suscipere cogitaveram, — quem fortasse, et aliis pressus oneribus, et natura ac valetudine imbecillus, non ferrem, — eo me levabis. Vale. Venetiis. Egregio iurisconsulto, Pyrrho Tarro, veteri mihi necessitudine coniuncto, tui perstudioso, salutem plurimam. MDLIV. (Epp. II, 6.)

Ep. XII.

E I D E M.

ROMAM.

Ego vero et scripsi iam, nisi me fallit memoria, satis aperte: et nunc, quando tibi ita placet, iterabo eadem li-

bentissime. Lapides, aut nummos, si quos habes, in quibus mentio fiat legum Romanarum, eos si nobis impertieris, habebo gratias, tuumque etiam beneficium ipsa fortasse, me narrante, posteritas audiet. Tabulas videor mihi legisse Romæ nescio quas: sed neque tum descripsi, qui magni non facerem ea: quæ nunc quidem tanti puto, nihil ut potius mihi sit, neque vero quo in loco, aut apud quem eas legerim, satis nunc in memoriam revocare possum. Quare ad te confugio, universæ arcam antiquitatis, arcam tamen eiusmodi, quæ pateat amicis tuis, hoc est bonis viris; quo me in numero quia esse vis, triumpho. Alexander autem tuus facile nostrum artificio vincet; tu enim excellis: at nos quid sumus? aliquid fortasse: si cum aliis: nihil certe, si tecum Augustine comparemur. Plura nec possum, quod eram occupatus: — quamquam hoc quidem quotidianum est,— nec debeo, hac in re, quam tibi non solum amicitia nostra, verum etiam literæ ipsæ, quibus tibi scio nihil esse carius, etiam me tacente, magnopere commendant. Vale, et Silvestrum Aldobrandinum, virum excellentem, meum perveterem amicum, nisi grave est, saluta meis verbis plurimum. Venetiis. (Epp. II, 7.)

Ep. XIII.

EIDEM.

ROMAM.

Nisi quis casus meis consiliis occurrat, editionem cogitabam eius libri, quem de legibus Rom. quinquennio ante a me conscriptum, debere diutius multis flagitantibus non possum. Ad hunc librum quantum ex antiquis lapidibus accedere possit ornamenti, præclare intelligo. Porro, tu is es, qui hoc in usu atque hoc in genere scientiæ, tum quia Romæ vivis, tum quod in studiis totus hæres, pæne solus excellas. Quamquam hoc in tuis laudibus minimum est: alia sunt in te, quæ ego non desino prædicare, haud sane paullo

præstantiora: quæ non est hic commemorandi locus, ac ne significandi quidem: ne tu me nimium esse blandum, et, quasi tuæ diffidentem humanitati, ad hoc artificium confugisse existimes. Peto igitur a te, atque etiam rogo — quamquam hoc verbum amicitia nostra tuaque maxime bonitas respuere videtur — si quid habes, quod ad leges Romanas pertineat, e libris excerptum, et veterum lapidum aut etiam nummorum observatione collectum, id mihi ut impertias. Bene mereberis de litteris, vel potius bene de te meritis gratiam referes: — quandoquidem earum ope ac merito tantus es, — bene etiam de me ipso, cuius laudi, pro nostra necessitudine, meoque erga te studio singulari, debes velle consulere. Quamquam hoc certe non admodum specto: ambitionem enim pæne habeo in extremis: prima mihi est, omniumque rerum antiquissima, publica studiosorum hominum utilitas: quo mei labores intenduntur, mea, quæcumque est, dirigitur industria. Excute, si me amas, atque evolve funditus illa tua scrinia, in quibus conditi rerum antiquarum thesauri asservantur. Nemo enim, si possessio literarum divitiæ sunt, quod homines eleganti iudicio, sanaque præditi mente opinantur, nemo, inquam, optime Augustine, te ditior est. Nec vero de tuis copiis multum imminues, si, quod futurum speramus, inopiæ nostræ subveneris, qui si etiam nobiscum plurima communicares, multo id tamen, quod dares, minus esset, quam quantum tibi, libris assidue tractandis, quotidie quæritur. Verum modeste tecum agimus: petimus a te minima de maximis: itaque facile impetrabimus. Vale, Venetiis. (Epp. II, 8.)

Ep. XIV.

EIDEM.

LEGATO PONTIFICIO VIENNAM.

Quia mihi honore tuo nihil est antiquius, propterea non mediocrem cepi lætitiam: tibique sum absenti gratula-

tus, quo primum tempore de legatione tibi delata ad Romanorum regem, tum ex amicorum literis, tum ex multorum sermonibus cognovi. Illud, ut vere dicam, molestiæ nonnihil adspersit, quod veritus sum, ne nostræ litteræ, quibus, in urbe dum vivis, tua studia splendorem et utilitatem addunt, te discedente, et in Austriam usque, ad longe diversum vitæ genus translato, iacturæ plurimam facerent. Quodsi secus esse significaveris, — iam enim versaris in ipsa re, quæque tua futura sit in universo fere munere occupatio, usus te monere et erudire facile potest, — cumulabis mea gaudia, et habebo gratiam iis, quibus honestare tuam virtutem his honoris insignibus, nullo nostro, hoc est, artium doctrinarumque liberalium, detrimento, curæ fuit. Ac primum illud, pro meo incredibili erga antiquitatem studio, etiam atque etiam a te petam, vel potius, quando pollicitus iam es, a te exigam, ut Festum Pompeium tua emendatione perpolias atque illustres: aut, si habes ita emendatum, ut tibi, acerrimi ac severissimi iudicii viro, satisfaciat, edendum omnino cures: neque deberi nobis eam utilitatem diutius patiare, quam, quum in illo vere aureo libro dispersam videamus, colligere tamen vix possumus, vel plane nullo modo possumus, locorum, ut scis, pæne innumerabilium difficili scientia impediti. Bene collocabitur industria tua: et hunc sibi comitem adiungi, ne solus eat per ora virum, Varro tuus æquo animo patietur. Rogandus non es in tua laude, communi præsertim studiosorum commodo coniuncta: ut, si de illa non laboras, hoc saltem commovere te debeat. Quod utinam aut mihi cum hac mente pars aliqua doctrinæ tuæ, aut tibi mea mens, et plane incredibilis ad communicandam virtutem animi propensio, cum ista tam exquisita tamque multiplici omnium pæne litterarum scientia contigisset. Næ ego, quod ad me attinet, multa non sinerem ignorari, quæ scire præclarum est, quæque in tenebris, nisi tu eruas, perpetuo iacebunt. Nec tamen persuadere mihi possum, te velle nobis tam iniquum esse, ut tantam doctrinam, si quid tibi accidat humanitus, — ho-

mines enim sumus: nec ego mihi, nec tu tibi de vitæ diuturnitate præstare quicquam possumus exstingui — tecum velis. Quid? ea quæ chartis iam et voluminibus explicasti, cur diutius premis, optime Augustine? cur ex ingenii tui fontibus expleri nostram sitim non vis? Sed, opinor, aliquando facies: et faveo libenter meæ spei, paullo minus quam tuæ gloriæ, cui scio me optime consulere, quum hæc ad te scribo. De me si quæris, vexamur oculorum anniversario morbo: nec tamen labori parcimus: scribimus aliquid quotidie, aut legenti puero operam damus: aliquo fortasse valetudinis damno: sed nihil est tanti, ut a literarum suavissima consuetudine seiungar. Onuphrius Panvinius, ille antiquitatis heluo, spectatæ iuvenis industriæ, et ingenio, ut probitate, præstans, hic est eritque, ut video, in aliquot menses. Imprimit suos Fastos cum commentariis, et interim adornat alia. Sæpe litigat obscuris de rebus cum Sigonio nostro: sed utriusque bonitas, mutuus amor, excellens ad cognoscendam veritatem iudicium, facit ut inter eos facile conveniat. Sigonium de facie non nosti: eius tamen scripta non dubito quin legeris: ea doctrinam et ingenium declarant: humanitatis, et studii erga te, tuique similes, testis ego sum: quem debes ipsum suo merito, præterea tuæ præconem eruditionis, diligere. Vale, Venetiis. (Epp. II, 9.)

Ep. XV.

EIDEM.

ROMAM.

Ubi te ad urbem rediisse cognovi, vehementer sane, pro meo erga bonas literas perpetuo ac singulari studio sum lætatus. Te enim absente silere mihi prorsus Romanæ musæ videbantur. Scripseram ad te superioribus diebus, easque literas ad aulam novi imperatoris miseram: quas acceperis necne, cupio scire. Appellabam te, quod iam promiseras, de Festo cum tuis correctionibus divulgando: de quo nunc

eo magis urgeo, quia, nisi fallor, spatii plus habebis. Aggressusne sis, et quousque opus perduxeris, ac de perpolitione quid speres, si ad me scripseris, rem gratissimam facies: simul illud si quid, quod ad ius Latii pertineat, aut observasti scriptum a veteribus, aut ingenio tuo, quo vales plurimum, consecutus es. Nam Latinos reliquis omnibus sociis antecellere satis constat: quo autem iure, quibus honoribus, et commodis, adhuc quæro: et ut nonnulli ex Livio, alii ex iure civili, quæ rem aperire videantur, in medium afferant: nihil tamen intelligo esse ita firmum, ut in eo possit cogitatio consistere, quod tu fortasse præstabis. Vale. Venetiis. (Epp. II, 10.)

Ep. XVI.

P. MANUTIUS BENEDICTO RHAMBERTO,

RUSTICANTI.

Suadebam ut exires, quod ægrotans, quantum esset in cæli mutatione, cognovissem: nunc idem angor, te profecto: neque me congressus, neque sermo cuiusquam iuvat: solus, ut in litore, oberro, qui etiam, et si scio quam sis prudens et in omni re moderatus, tamen, ut est amor sollicitus, offensiones in te omnes timeo. Commune omnium est ut rure veluti quandam vivendi licentiam nacti, liberius agamus. Amabo te, mi Rhamberte, noli istam consuetudinem imitari: serva tuam veterem in urbe continentiam. Et quoniam mihi, ut sæpe tecum locutus sum, adversus non dissimilem destillationem præsens auxilium fuit exercitatio: te quoque ipsum, nisi fallor, hoc uno maxime senties allevari, si modo hoc tenebis ut meridianum in solem ne te committas, multo vero minus in ventum qui sit inclementior; nam etiam sunt auræ quædam leves, quarum spiritus non modo non hominum generi noxius, sed etiam vitalis: et ego has sæpe ultro secutus, sensi languentes in me vires earnm quasi flabris excitari. Sed, o Rhamberte, audi me hoc verissime

monentem: Nihil agis, nisi iucunde vivas. Si vis te tibi restituere, des te ad hilaritatem oportet, et ex animo tuo dispellas, si qua tristium cogitationum residet nubecula. Hanc esse præstantissimam medicinam, vel potius unam esse medicinam, me quidem superioribus temporibus eodem morbo laborantem docuit eventus. Quare te rogo, ut pro eo, quanti ipse tibi es, quantique etiam nos apud te sumus, quorum salus in tua salute posita est, des operam, ut veterem morbum nova ratione cures, et aliquando istam turbam medicorum malam in crucem iubeas abire, qui te pharmacis non solum diversis, sed etiam contrariis, iam annum lacerant, dum latentem in obscuro veritatem tuo periculo quærunt. Vale. Venetiis. MDXLIV, mense Sept. (Epp. II, 11.)

Ep. XVII.

P. MANUTIUS MARIO CORRADO,

BRUNDUSIUM.

Debeo tibi, mi Corrade, tot iam nominibus prorsus ut non videam, qui solvendo esse possim. Scripsisti ad me sæpe tantumnè? sunt alia: humanissime, elegantissime: laudes in me contulisti eas, quas si agnoscam, ipse me nimium videar amare. Tibi tamen habeo gratias de ista tam liberali tamque erga me prolixa voluntate: eamque, si gratus, id est, si vir bonus esse volo, ut certe volo, puto mihi esse inter summa beneficia collocandam. Itaque quum te numquam viderim, fero tamen in oculis: et, quamquam habeas, qui te talem diligant, quos necesse est esse quamplurimos, ego tamen primas in amore partes appeto, secundus non libenter acquiesco. Non soleo blandus esse, nec auribus dare, quod negari possit veritati: quare velim mihi credas affirmanti, neminem me tibi Latina in oratione anteponere, conferre admodum paucos. Hoc ego ita iudico, nec tu meum iudicium in dubium revocare debes, quum mihi iam in epistolis tuis tantum in hoc genere tribueris. Unum doleo,

tuam istam latere virtutem in extremo Italiæ angulo, neque in hac luce versari, ubi fructum caperes laudem eam, quæ tibi debetur iudicio ac testimonio præstantium virorum. Quod si te cohortando possem adducere, ut de migratione cogitares, aggrederer, et in hanc rationem totus incumberem: verum neque mihi de statu rerum tuarum constat, et, si cohortatione moveri potes, ipsa te res, nequaquam tibi, ut opinor, obscura, vel me tacente debet incitare. Quod scire vis de meis antiquitatibus, hæc sunt. Liber nunc imprimitur de Legibus: quem, quum erit absolutus, curabo ad te perferendum. Sequetur, de Civitate, aut, de Comitiis: tum reliqui libri, ut extrema cuique manus imponetur. Sunt enim omnes decem, nec mihi ordinem in edendo præscripsi. Edidi iam commentarium in orationem pro Sextio: et proximis diebus, in epistolas ad Brutum, et ad Quintum fratrem: quem tibi nunc utrumque mitto: munusculum videlicet, ut ait ille noster, levidense: sed rem voluntate metieris. Maiora vellem, et fortasse possem: verum infirmitas corporis facit, ut labore debiliter: lippitudo autem, ne legere diutius liceat, aut scribere. Magnam etiam mihi temporis partem eripiunt salutationes amicorum, magnam domestica negotia: sexcenta præterea, quæ me a studiis avellunt. Sed feramus: humana sunt, nec præcipue nostra, sed communia cum multis. Tu me, velim, ames, et si par pari referre vis, amore non vulgari. Vale. Venetiis. (II, 12.)

Ep. XVIII.

P. MANUTIUS FABIO STELLÆ,

BRIXIAM.

Quum tu ad me, Fabi, quem de facie nondum nosti, adductus humanitate epistolam miseris tam elegantem, distinctam notis non amoris minus quam ingenii, ferreus sim, nisi te patremque tuum sic amem, ut amare solemus ea, quæ nobis in vita prima sunt. Sed quid si me ipsum etiam

vestra causa plus amem? quid enim? quum ego me a parente tuo, magni nominis viro, summis virtutibus ornato, diligi videam, a te vero etiam laudari, excellentis ingenii adolescente, optime ad virtutem animato, non ipse mihi pluris sim? non gaudeam haberi a vobis, qualis esse semper volui, et ut essem laboravi, sed voluntati exitum respondisse numquam duxi? Equidem quum natura sum, tum valetudine et morbo, subtristis, nec ad hilaritatem facile traducor, tuæ tamen literæ patrisque tui, vix credas, quid animo meo iucunditatis instillarint, qua voluptate, qua lætitia perfuderint. Itaque officii vestri memoria sustentor, eaque sic fruor, ut beneficiis omnibus anteponam. Quod utinam adire ad vos, ac studio vestro satisfacere liceret: nihil esset optatius, et esset iter Pastorio comite iucundius, verum nescio, quo fato contigit, ut quo primum huc die perveni, cum tota pæne familia cœperim ægrotare: uxor quidem gravissime, nec dum valet: ego satis leviter, sic tamen ut iaceam: corpori enim imbecillo quævis incommoditas vix ferenda. Quamobrem, affectus morbo, a viribus infirmus, equo me non auderem committere, vel placidissime incedenti. Lecticam, inquis, mittemus. Hac equidem veherer commodius: sed, mi Fabi, hoc genere deliciarum mei ordinis homines uti non solent: ad fortunatos pertinet. Itaque differam per aliquot dies, quoad vires colligam: id est, quoad equo, aut etiam rheda liceat uti. Equos quidem hic, quales infirmitas nostri corporis requirit: id est, qui alterno gressu crura molliter explicent, quos gradarios antiquitas appellabat, facile possum invenire: sed insolentiam huius cæli non nihil metuo: rheda autem vereor ne succussu lædat, omnia tamen, ut video, moderabitur humanitas vestra. Vale: et patri tuo, præstanti viro, multam salutem meis verbis. Asulæ. (II, 13.)

Ep. XIX.

EIDEM.

BRIXIAM.

Agnosco tuis in litteris et patris tui, summi viri, singularem humanitatem, et Pastorii nostri, hominis integerrimi, nec eloquentia minus quam doctrina præstantis, egregiam disciplinam: et quum ego te propter illos diligam,— est enim, ut scis, uterque mei, et ego item utriusque amantissimus,— tum vero ad meam in illos benevolentiam, quæ summa est, nonnihil tamen tua causa videtur accedere. Patet atque elucet in epistola tua pudor ille ingenuo dignus adolescente, qui maxime commendat ætatem: patet etiam, quo fit pudor amabilior, plusque sibi gratiæ conciliat, ingenium. Quæ perspexeram equidem in te ac laudaveram, quo tempore diversatus Brixiæ sum in ædibus vestris, exceptusque, et cultus a parentibus tuis omni genere officii: sed nihil præstantius, nihil admirabilius, quam laudis in adolescente perpetuitas. Primum enim lubrica ipsa ætas est, nec reperitur facile, qui consistat: deinde tenduntur sæpe bonis, quibus capiantur, insidiæ: et multa sunt ad depravandum parata, improborum consilia, æqualium exempla, voluptatum illecebræ. Hæ sunt illæ Syrtes, quibus incerto cursu navigantes absorbentur: hæc illa saxa, quo salutis cum aperto discrimine impingitur. Nec vero poetas, quum et hæc et huius generis alia cecinerunt, simpliciter locutos velim existimes, utuntur similitudine rerum, quæ subiectæ sensibus sunt, ut animos erudiant, moribusque nostris ac famæ consulant. Itaque sapientem appellarunt eum, qui maris pericula, voragines, et scopulos, et dubiis agitata ventis loca vitavisset, atque illa perdendorum hominum avida monstra, virginum facie simulata, prædulcique cantu blandientia, contempsisset. Quæ sunt omnes, mihi crede, imagines humanæ vitæ: qua nullum est mare difficilius, et in qua, nisi rationis quasi gubernaculo regamur, quam facile fluctuemus, quamque multa, et quam gravia rei familiaris, existimationis, ac vitæ naufragia contingant, si te propter ætatem nondum usus docuit, disce a libris, vel disce a pa-

rente tuo, spectatæ sapientiæ viro, qui se ex hac tempestate tamquam in portum recepit sacrarum litterarum, quodque habet a foro, quod a publicis muneribus otii, totum id in theologia libentissime consumit: quem tu imitaris, ut audio, si minus in studio doctrinæ, at in voluntate, in moribus vitæque instituto. Contemnere te aiunt, quæ cæteris ab adolescentibus cum voluptate fiunt: abhorrere lusu, venatione, cursu, alea: levia ducere hæc, inania indecora, turpia: deditum esse litteris, vel quibus ad humanitatem informamur, vel quibus ad excellentem liberalium disciplinarum cognitionem aditus aperitur: maxime vero solitum ea meditari et curare diligenter, quibus æternæ vitæ salus comparatur. Divina sunt hæc munera, mi Fabi, non a nobis profecta, aut elaborata, nec omnibus imperita. Tibi contigit ut ita sentires, et ita velles: habe gratiam Deo, qui de tantis in tenebris atque erroribus, præcipuo quodam lumine illustraverit, aliis non idem contigit: mirari noli, neque causam quære: abdita sunt nec humanis comprehensibilia mentibus arcana cæli: stet illud modo, nihil usquam fieri, nihil evenire aut insciente aut nolente Deo: quæque ille vult, et quæ permittit, ea nequaquam revocare ad nostrum iudicium debemus, neque rectene fiant an secus, interpretari. Et omnino velim te, quum de divinis rebus cogitas, imminuere opinionem scientiæ, demittere animum ac mentem, unamque putare certissimam doctrinam, pietatem in Deum, aut benevolentiam et studium erga illos, qui nobis a Deo commendantur. Quæ non dubito quin sæpe ita cogites, ut credas: nec te ita puto credere, ut re ipsa non præstes: quum te omnes ita vivere confirment, ut a tuis moribus procul absit arrogantia. Verumtamen, si tibi laudo id quod amas et quod amandum existimas, non a te gratiam ineo? non hæc tibi, licet parum necessaria, iucunda tamen commemoratio est? Sequitur illud, ipse mihi satisfacio, nam quæ laudatio videtur, eadem, si attendis, cohortandi etiam vim habet: quo genere, pro mea in te benevolentia, magnopere delector. Atque etiam in huiusmodi sermones ego soleo libenter ingredi, quia si

nihil aliud, ipse mihi fructum fero, dum ea tracto, quibus amore summi boni studioque incendor. Te autem, quum hæc legis, lætari oportet vel tua causa, qui tuum intelligas iudicium nostra sententia comprobari, vel mea, quem sentire tecum videas, et iisdem gradibus parare adscensum ad ea, quæ quanta sint, ex eo coniicitur, quod ipsa tantum spes tranquillitatem parit animis nostris, eosque non a malis modo sed a malorum quoque metu vindicat. Macte igitur ista voluntate, et isto sensu: mature vidisti, quis esset rectus ad gloriam cursus. Sequere iudicium tuum: nec tamen contemne nos, si quando hortamur: et ipse nos vicissim, ubi languemus, hortare; sic erit mutua gratia: sic amabimus etiam magis inter nos, mutuo beneficio provocati. Vale. (II, 14.)

Ep. XX.

P. MANUTIUS JOANNI BAPTISTÆ,

PASTORIO, BRIXIAM.

Ego vero te, mi Pastori, tua causa dilexi semper: habes enim, quæ tibi amorem concilient, doctrinam et humanitatem. Munera, quæ mittis, me tibi obstringunt magis, benevolentiam in te meam augere non possunt. Quæ enim a virtute profecta sit, non his tamquam adminiculis nititur, sed consistit ipsa per se: eoque iam processit, ut ad summum pervenisse videatur. Præsta te mihi, obsecro, qualem hactenus cognovi, amantem mei et in amicitia constantem. Munus hoc erit omnium munerum præstantissimum: quod ego, qui sim mei erga te animi ipse mihi conscius, quasi debitum exspecto. Vale. Asulæ. (II, 15.)

Ep. XXI.

P. MANUTIUS VINCENTIO STELLÆ,

BRIXIAM.

Superioribus diebus, quo magis incitabar cupiditate ve-

niendi ad te, visendæque urbis, ut audio pulcherrimæ, qui essem litteris et tuis et filii tui, id est, utriusque tuis, amantissime invitatus, eo me revocabat magis pudor meus; neque tam quid tua permitteret humanitas, quam quatenus mihi per modestiam meam progredi liceret, cogitabam. Ac sæpe mecum sic: An tu ad hominem, quem numquam allocutus? quem ne vidisti quidem? adde, quem virum, quam nobilem, quam gravem, quam districtum magnis rebus! ego autem quis? infirmus natura semper, nunc etiam valetudine impeditus, exquisita quadam ratione et cura tuendus. Contendebam equidem cum animo meo: nec vici facile, sed vici tamen aliquando, et decrevi omnino ad nos primo quoque tempore me conferre. Vereor enim, dum valetudinis commodum exspecto, et id ago, ut, quas morbus ademit, vires colligam, in hiemem ne incidam, id est, in imbres et frigora: quorum altero viæ corrumpuntur; alterum scis esse *λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον*. Nam illud, in quo tibi fortasse, vel domesticis tuis incommodare mea mollities et paullo fastidiosior in victu consuetudo potest, id non specto. Aut enim exiguum quiddam erit, et feretur facile: aut, si magnum, illustrabit benignitatem tuam. Statutum igitur de re: nec est, cur sententiam mutem. Videndum de ratione itineris, quam tu ad meam voluntatem meumque consilium — quæ tua est humanitas — totam reiicis. Ego autem nihil puto commodius, nihil aptius ad virium infirmitatem sustentandam, quam lecticula gestari: sed habet species illa — quod ad Fabium tuum scripseram — quiddam nimis honorificum: nec ego is sum, qui, quod superat fortunam meam, eo libenter utar. Verum ignoscetur valetudini, quam satis infirmam atque imbecillam concussus et vexatio facile frangerent. Rheda quidem, qua mearum bene perita curationum ancilla cum filiola et puero vehatur, opus est. Hæc si habebo, vel potius quum habebo — vis enim me a tua liberalitate omnia exspectare — dabo me statim in viam: et ea quidem spe, ut aliquem e cæli mutatione fructum capiam,

maximum quidem ex tua humanitate, quam cantari ab omnibus audio. Vale. Asulæ. (II, 16.)

Ep. XXII.

E I D E M.

BRIXIAM.

Quod veritus sum, fieri video, ut imbribus madescat humus, et pulvis in lutum coacta vias impediat ac turpi fœdet adspectu: frigoris etiam acres morsus hoc triduo sentire cœpimus. Quæ quum sint iter habentibus incommoda, tum vero, maiora ut timeantur, hiemis propinquitas facit, ut mihi vel mature, nulla interposita mora, veniendum ad vos, vel totum consilium necessario abiiciendum intelligam. Febricula omnino tentamur quotidiana: sed, opinor, decedet, quum primum ex hoc me domestico mærore ereptum statuam in tuis ædibus, id est, in aliqua — ut spero — iucunditate atque lætitia: iniurias autem cæli, lectica circummuniti possumus contemnere. Quamobrem — quod tuo commodo fiat — dabis negotium tuis, ut Saturni die, aut qui sequetur, proximo, vehicula perducant. Lecticario mandetur, atque etiam aurigæ rhedam moderanti, ne quid approperent, nisi me iubente, et omnino rationem itineris ad meam voluntatem accommodent. Hoc tu. Scio, Stella, vel me non scribente, mandasses; nihil enim te præterit ob eximiam prudentiam: nihil porro non vis amicorum tuorum causa, ob humanitatem prudentiæ parem. Vale. Asulæ. (II, 17.)

Ep. XXIII.

P. MANUTIUS FRANCISCO OTHOMANO,

ARGENTORATUM.

Ego vero comprimi a te mea causa librum tuum, minime volo: quin, si ad me refers, ut edas quamprimum

suadeo: rogo etiam, pro eo, quantus est amor in me tuus — quem non esse mediocrem tuæ literæ significant — an ego ita sim bonis artibus infensus, ut industriæ Francisci Othomani impedimenta opponam, et excellentis ingenii fructus, quum bene maturi sint, condi potius, ac domesticos intra parietes asservari, quam in publicum efferri et communicari cum omnibus velim? Illa de tuis hortis et nostris fontibus, eleganter a te nec sine sale, prolata sunt. Verum agam tecum perliberaliter, atque hanc partem libenter dissimulabo tibique totam largiar: in reliquis etiam habebo rationem amicitiæ nostræ, nuper institutæ, maiorem tamen fortasse veritatis. Tua scripta, quæ Jordanus attulit, proxime edita, doctrinam habent et accuratam antiquitatis observationem. Itaque vigebunt omnibus et laudabuntur. Quod si quid est, quod desiderari possit, primum id leve est: deinde — ut scis — non imminuit, sed auget nævus in formoso corpore pulchritudinem. Vale. Venetiis. (II, 18.)

Ep. XXIV.

EIDEM.

ARGENTORATUM.

Noli, mi Othomane, officium literarum a me requirere: numquam scripsisti, quin rescripserim: quod si contra quam res est, videtur, alieno vitio fit; a me quidem prorsus abest culpa. De horologio quod iterum iam scribis, vincit pudorem meum humanitas tua: iam enim statueram oneris tibi nihil imponere, publica explanandi iuris cura occupato, quotidie aliquid scribenti, unde ad nos utilitas, ad te ipsum gloria permanet. Negotium dederam Petro Pernæ: et ille curaturum promiserat: nec tamen biennio fidem solvit. Quare accipio libenter, quod das, humanissime Othomane. Tu mihi — quod tuo commodo fiat — horologium Augustæ elaboratum: ego tibi, quantam scripseris, pecuniam statim curabo; quale velim, iam antea significavi: factum elegan-

ter, artificio non vulgari. Perna dixerat, quæ ducuntur egregia, minoris triginta scutatis emi non solere. Hoc quidem esset nimium nec rei familiaris ratio ferret: cui consulere, quia copiosa non est, videor debere. Porro genus hoc ornamentorum ita soleo cupere, ut non insaniam: cupio autem valetudinis non libidinis causa; quum enim me satis tristem natura finxerit, accersenda extrinsecus iucunditas est, quam a me ipso petere non possum: eoque magis, quod plurimus in cubiculo sum: affectus iam quadriennio per totam hiemem oculorum morbo, molesto tamen potius quam acerbo. Nolim igitur impensam esse supra decem scutatos aut omnino quindecim, eamque ita fieri, si horologium probetur oculis eruditis. Itaque vide, cui negotium mandes: nam neque omnes intelligunt et aliis alia probantur: ego formam et artificium, non materiam, cupio emere. De tuis Instit. egi diligenter: hortatus sum, lucri maximi spe proposita. Ubi ad pretium ventum est, audire se negarunt. Itaque tibi auctor sum cum Episcopio transigas, quem facilem iam habuisti, et in tuo merito satis, ut audio, liberalem. Sturmium saluta meis verbis, eumque communi literarum nomine excita ad scribendum. Utinam, quantum valet, tantum velit: optime consuleretur studiis nostris, optime etiam ipsius gloriæ: quam si vult esse amplissimam, habet, unde consequatur. Vale. Venetiis. (II, 19.)

Ep. XXV.

P. MANUTIUS JOANNI STURMIO,

ARGENTORATUM.

Volfangum Werter, quum aliquot abhinc annis Patavii adolescens daret operam Bonamico, dilexi multis nominibus plurimum. Nam, ut omittam, quod et in adspectu species quædam index nobilitatis, et in sermone atque in moribus probitas elucebat, incensus litterarum studio colebat me atque observabat diligentissime, sic ut in magna frequentia amicorum nemo tamen mihi esset illo carior, nemo iucun-

dior. Tueor illum amorem, et, quoad vivam, tuebor, eique absenti memoriam benevolentiamque, quam debeo, fratribus præsentibus officia, quæ potero, accurate præstabo. Hoc quum mea sponte facturus essem, quantum, optime Sturmi, mihi accessisse voluntatis existimas, quod eos tu, vir inter maximos summus et in exercenda virtute semper occupatus, commendandos mihi tuis litteris putasti? nam si quis est, qui de tuo ingenio, de doctrina, in primisque de eloquentia bene et sentiat et loquatur, is ego sum: planeque meos eo sensus libenter conferam, ut, qui tibi cari sunt, eosdem ego quoque diligam. Quare, si vis, da mihi ornandos atque amandos, qui ad nos veniunt, amicos tuos: officiis eos, si potero, sin minus, studio certe et humanitate complectar: ac ne dubita, futurum, ut, quo tu sis apud me pondere, quum intellexerint, gratias tibi, quod eos tua commendatione sis prosecutus, diligenter agant. Audio te quiddam pangere in Rhetoricos Aristotelis libros: quod quale exspecto, augurer futurum: præclarum scilicet ac te dignum. Urge igitur, ut et communi utilitati et tuæ gloriæ consulas. Vale. (II, 20.)

Ep. XXVI.

EIDEM.

ARGENTORATUM.

Nos hic, optime Sturmi, — ordiar a re tristi, quando lætæ non suppetunt — annum habemus pestilentem; et pulcherrimam civitatem quotidianus deformat adspectus mortuorum. Furere iam cœpit morbus, et insultat in omnes palam sine discrimine, qui antea repebat sensim et latenter, nec quemquam nisi obscuri loci infimæque sortis, attingebat. Quare divina sunt imploranda remedia: humana quam iaceant, sæpe docuit eventus. Vobis recte istic esse audio, perpetuoque sit opto, tum ab huiusmodi morbo, qui non modo privatas domos exhaurit, verum etiam urbes devastat, tum a

cunctis discordiis ac bellis, et intestinis et externis. Te vero florere omni laude, valere auctoritate, valere gratia, esse unum, ad quem omnes confluant, consilii auxiliique causa; nisi plurimum læter, male sentiam de virtute, unde tibi ista fluxerunt, male etiam de me ipso, quia tuam vitæ rationem probavi quidem semper; secutus autem sum quatenus licuit. Licuit enim certe multo minus, quam volebam. Unum si addis, ut ingenium tuum, quo nullum vidi præstantius, languere non sinas, et otii tui rationem constare velis, hoc est, ut aggrediaris ad scribendum illa præclara, quæ te audio tuis familiaribus esse pollicitum, aut, si iam habes instituta, perpolias, nobiscumque et cum posteritate communices: næ tu, Sturmi, omnium fortunam vincis, et solidam plane possides felicitatem. Equidem, quod ad me attinet, idem conor pro mea virili parte: et hæreo, quoad possum, in scribendo: sed mea ratio quam non sit eadem, quæ tua cognosce. Valetudine sum ea, quæ facile in morbos incurrat, imbecilla prorsus et incommoda. Itaque sæpe in cursu institutorum meorum, quum progredi maxime vellem, consistere sum coactus. Accedunt — quæ temporis haud exiguam partem auferunt — salutationes multæ multorum: in quibus videtur esse honor, et est omnino quædam species. Sed valeat ambitio: odi omnia quæ detrimentum studiis afferunt. Quid domestica? non enim tantum a me pendent ii qui meos intra parietes vivunt; uxor, liberi, familia: sed fratres quoque suas in me uno rationes habent sitas: uterque meis consiliis, alter etiam meis opibus, quantulæcunque sunt, nititur ac sustentatur. Vides rerum mearum imaginem ut in tabula depictam: nec tamen obrui me sino fluctibus molestiarum, sed enitor sæpe — et consequor interdum — ut ex omnibus curis atque occupationibus emergam, meque saltem per aliquot horas in portum recipiam litterarum. Quo si frui diutius liceret, in cælo essem: quia non licet, hortor te, cui otii satis est, ingenii vero scientiæ, iudicii multo plus quam mihi, ut hæc omnia studiosorum ad utilitatem conferas. Quod si facies, gloriosum tibi erit ex ipsa re, quem

video præstare posse maxima; cæteris non modo re, verum etiam exemplo fructuosum. Fortasse enim te præeunte alii quoquo modo poterunt, invitati laude, subsequentur. Ego meas antiquitates, etsi — ut ille ait — spissum opus est, aliquando tamen, ut spero, pertexam. Vale. Venetiis. (II, 21.)

Ep. XXVII.

EIDEM.

ARGENTORATUM.

Gratæ mihi tuæ litteræ, gratissimus vero, qui te ad scribendum animus impulit. Atque ego te antea diligebam, quod ingressum esse minime vulgarem in viam litterarum longeque per eam processisse intelligerem: sed auxit amorem in te meum hæc a me nunc minus exspectata, eoque iucundior, voluntatis erga me tuæ minime dubia significatio. Soleo enim amare in hominibus humanitatem haud paullo plus mehercule quam doctrinam. Ac doleo factum esse antea — casu dicam an voluntate tua? — ut oriatur inter nos quibusdam ex opinionibus dissensio, iis tamen de rebus, quæ, si dilucide pateant — quod accidere potest utroque nostrum disputante — studiosis fortasse nonnihil in eo consuletur: id quod est in meis consiliis et fuit semper antiquissimum. Nam quod mea quædam improbas, si recte sentis, habeo gratiam: — errare possum, et corrigi volo —; sin, ubi de meo sensu iudicas, tua te fallit opinio, ego tamen, quæ a studio veritatis culpa manat, libenter ad laudem converto. Itaque, quod ad hanc partem spectat, nemo audiet me querentem: excusabo te potius, atque etiam, quoad licebit, ornabo. Quod autem, quæ meis in scriptis non improbas, ea dissimulas et in tuos commentarios, meo nomine prætermisso, quasi nova transfers, miratus sum, et requisivi paulisper in eo modestiam tuam: agam enim tecum libere, sicuti natura mea postulat et inter bonos viros æquum est. Illa de iudiciis extraordinariis, quæ te scribis edidisse, si dederis operam, ut ad

me perferantur, etsi ea discrepare significas a sententia mea, gratissima tamen erunt: et gaudeo te tam esse diligentem in meis scriptis pervolutandis et occasionem mei admonendi et corrigendi tam libenter quærere. Sic enim intelligam, ubi corrigendi finem feceris, nimirum, quæ supererunt, a te omnia probari. Unum peto: sit conditio par: des mihi, ut idem liceat per te, quod licere tibi per me volo. Si quid ego de tuis itidem non probavero, noli gravius commoveri: iudicemus pariter, ego de te, tu de me, utram in partem libet: amemus tamen inter nos, ut boni viri solent: et, si quid fortasse de iudicio, nihil tamen de benevolentia detrahatur. Libros, quos petis, habeo nullos, Cicerone excepto: nec eius generis nunc quidem tibi quidquam polliceor. Quæ vero ipse composuerim, paucis mensibus habebis, si valebo: commentarium in epistolas ad Quinctum fratrem et librum de legibus Romanis, qui est antiquitatum mearum sextus. De Sextiana oratione, si scriptam contuleris cum impressa, quæque loca varia sunt, miseris, amabo te: idque ut facias rogo. Venetiis. (II, 22.)

Ep. XXVIII.

P. MANUTIUS HIERONYMO FURNARINO,

RAVENNAM.

Vides me tibi satisfacere et quod olim petieras, id nunc tuæ memorem voluntatis re præstare? Non enim, ut solebam, plebeio sermone tecum ago, sed eo, quem in quadam epistola patricium appellasti: qui quam tibi sit in deliciis quantumque in eo studii posueris et industriæ, facile ex ea ipsa epistola potui coniicere. Verum, quod ad me attinet, non ego meas litteras eius esse generis intelligo, ut ab homine patricio scriptæ videantur esse. Quid enim habent, ut ita dicam, nobilitatis, quid splendoris aut in sententiis aut in verbis? Conor equidem, et huius me cupiditas laudis multos iam annos incitat: sed moratur rei difficultas, occupatio

domestica, valetudinis infirmitas. Scribo tamen assidue, quantum licet et quoquo modo licet: animos videlicet mihi facit, quod inter nos dictum sit, multorum inscitia, cum quibus interdum me confero non sine voluptate: sicuti contra, quum in antiquitatem ipsam intueor, contemno me planeque ipse mihi displiceo. Vera enim illa fuit suisque absoluta numeris eloquentia: nostra, infantia est, mi Furnarine: nos balbi, nos elingues pæne sumus in Latina lingua. Sed quid ago? Dum tecum suavissime loquor, nulla certa re proposita, paginam verbis undique sua sponte confluentibus implevi. Erit igitur, quod initio scribere statueram, idem clausula mearum litterarum. Mitto ad te munusculum tenuè, amoris tamen significationem in te mei, commentarios a me nuper editos in epistolas ad Brutum, et Quinctum fratrem. Quos cupio diligenter legas: id si assequor a te et a tui similibus, honestabor et gratia meis laboribus optima referetur. Vale. Venetiis. (II, 23.)

Ep. XXIX.

P. MANUTIUS LÆVINO TORRENTIO,

LEODIUM.

Mirabar, quum in tuis verbis tanta sit humanitas, quæ tuo mehercule etiam elucet in vultu, cur deberi mihi tam diu paterere tuas litteras: quas ubi Leodium pervenisses, missurum statim pollicitus eras. Hanc admirationem, in qua molestiæ quiddam inerat, sustulit prorsus epistola tua, scripta sane elegantissime, in qua causam tui silentii confers in peregrinationem et negotia. Quodsi iam in otio consedisti, exerce ingenium tuum præclaris in studiis, non ut amicus tuus, qui nihil umquam parit, quum tamen parturiat semper: sed ut edas aliquid, quo tuum nomen æterna cum laude coniunctum, ab hominum oblivione omnique prorsus interitu vindices. Leodiensem Episcopum, de quo multi multa narrant, omnia præclara summoque digna principe, si quid

habebo artis aut facultatis, ornabo laudibus: sin, quod suscipiam, præstare non licebit, amabit ille tamen, ut opinor, voluntatem. Tu me interim de meliore, ut ille inquit, nota commendabis, eiusque in me benevolentiam, si qua est, ea, qua apud illum vales gratia fovebis. Vale nosque sæpe litteris, si otium est, saluta. Venetiis. (II, 24.)

Ep. XXX.

P. MANUTIUS CÆSARI FERRANTIO,

PATAVIUM.

Ego vero istum erga me animum, istam, quæ significatur in epistola tua, benevolentiam, amplector libentissime, et amo prorsus amore singulari. Nam, ut omittam, quod ita postulat humanitas, tui te præterea mores, tua modestia, et maior iam ætate virtus egregie commendat. Quæ quum ipsa me movent, tum vero in affinem tuum, Episcopum Suessanum, studium eiusmodi meum est, multis abhinc annis ex incredibili eius humanitate doctrinaque susceptum, ut eos etiam, qui modo aliqua illum necessitudine attingunt, quosque ille caros habet, complectatur. Quo tu in numero ut esses, affinitate primum, id est naturæ quodam quasi munere, tibi contigerat: postea vero cum natura voluntatem, et cum voluntate studia coniunxisti excolendis artibus iis, unde fluxit honor ac dignitas affinis tui, et unde eadem ad te manabunt, si te illi, immo vero, si te ipse tibi quam simillimum præbueris. Quis enim tantos processus tam adolescens in philosophia fecit, quantos illa tua in aula perillustri Cardinalis Estensis celeberrima disputatio, multis præsentibus, ostendit? Qua tamen de laude ita te sentire volo, ut maximam esse putes, si cum ætate tua conferatur: sin res ipsa spectetur, longe statuas maiorem esse posse: quodque viæ confeceris, id quidem esse multum, nec tamen tantum, quantum adhuc spatii supersit. Sed mihi crede, omnis in eo tuorum studiorum sita perfectio est, si, quemadmodum nunc id

cogitas, et id, opinor, agis unum, ut intelligas humanæ res, quantum aliis aliæ præstent, ita quantum infra divinas humanæ prorsus cunctæ sint, aliquando simul cogitabis. Næ tu, Cæsar, si te ad hanc, quam ignorari a plerisque video, præclaram disciplinam contuleris, magistros habebis haud paullo meliores quam quibus nunc uteris, aut etiam per omnem vitam uti potes. Exstat sanctissimorum virorum multis libris expressa doctrina, qua instruimur et erudimur ad æternæ vitæ salutem. Habes præterea domesticum exemplum, affinis tui summi viri, cuius in vitam si inspexeris, excitaberis ad omnem laudem. Coles autem præcipue veritatem, quam ille tuetur accerrime habuitque semper antiquissimam. Neque vero impedio, quo minus, ut cœpisti, Marco Antonio Genuæ, et si cui præterea velis, operam des: eloquentiam quoque, si adiunxeris, ut res graves et obscuras ornate ac splendide tractare possis, minime improbabo: sed illa præstantiora sunt, quo te hortor, ut aliquam omnino transferas industriæ tuæ partem. De libris ad te missis habeo gratiam humanissimo et in primis erudito iuveni Sebastiano Leoni, utriusque nostrum æque familiari, qui mihi hanc instituendæ tecum amicitiæ occasionem obtulit, quam avide arripui. Iam enim incenderat me studio tui, quum de ingenio, de studiis, denique de tua ad optimas res propensa voluntate multa prædicasset. Quodsi quid acciderit, in quo tibi opera mea usui possit esse, id si ipse intelligere potuero, mea sponte suscipiam: sin secus, a te admonitus efficiam, ut esse tuam apud me plurimi voluntatem intelligas. Vale. Venetiis. (II, 27.)

Ep. XXXI.

P. MANUTIUS VIDO LOLGIO,

PLACENTIAM.

Paullo ante dederam ad te litteras, quas coniectura dierum putabam tibi iam esse redditas: hæ nunc alteræ con-

sequentur. Scripsi, te absente me cessare in litteris, et omnino tuam operam tuamque illam in meis rebus officiosissimam sedulitatem vehementer requirere: sed meum consilium esse, te istinc ne prius commoveres, quam ego alicubi consedissem. Id ego volebam scilicet invitus, qui te socium et administrum meorum studiorum summe desidero: sed volebam tamen tui commodi causa, primum, quod hanc equitandi iactationem, quæ me quidem delectat, tibi otii cupido suspicabar non placere: deinde, quod si accidisset, ut istas regiones peteremus — quod post balnea facturi videbamur — intelligebam, fore, ut adire commodius ad me posses, intervallo minore. Nunc audi cur sententiam mutaverim. Cardinali nostro, cui nimium sæpe calculus molestus est, multis iam remediis frustra tentatis, accedere nunc ad aquas Lucenses valetudinis causa deliberatum est: nosque ut scis, idem cogitamus. Iis aquis qui uti volunt, id maxime spectant, ut sicco tempore utantur. Hæc est quasi methodus quædam, quam servantibus salubres dicuntur esse: permistæ cum imbribus putrescunt, gravi periculo bibentium. Nos porro, o Lolgi, qui didicimus a philosophis bonam valetudinem expetere sapientis esse, valde in hac quidem parte sapimus, et ut optime valeamus, accurate quæcunque vires tuentur aut augent, persequimur; quæ posse videntur infirmare ac minuere, declinamus. Itaque ad balneorum medicinam prius non accedemus, quam id et tuto et salutariter fieri posse intelligamus. Nunc quidem alienum tempus est. Vides, quæ pluviæ, quam pæne hiemales dies. Hæc dum ita se habent, nos opportunitatem exspectantes in his oppidis et villulis iucunde satis oberrabimus. Quod quoniam, quam diuturnum sit futurum, divinare difficile est, et ego, dum te careo, multis commoditatibus una careo, tuque, ut ternis iam litteris significare videris, non abes a me sine molestia: mea causa rogo, tua, hortor, ut quamquam nondum consedimus, mature tamen, nisi quid gravius impedit, revertas. Et ut scias, quo me loco convenire possis, Pisis ad

idus Junias, et ultra, ut opinor, aliquanto: sed ad idus Junias certe commorabimur. Vale. Pisis. (II, 28.)

Ep. XXXII.
P. MANUTIUS HANNIBALI CARO,
RAVENNAM.

Foroliviensibus male sit, qui te longius a me abstrahunt: sed istorum motus præfecti prudentia sedabit, tuque, ut scribis, Ravennam brevi recurres. Ibi velim, ne quid causæ sit: quo minus ad me quamprimum. Ego volebam ad te: sed impediunt multa, maxime Ciceronis editio, cuius tempus adventat vel potius iam adest. Itaque occupationum onere valde premor: sed mihi nulla res esse potest tanti, ut ab hoc scribendi officio divellar. Nunc est quod a te velim. Qui tibi has litteras attulit, est mihi et fratribus meis valde familiaris: eius opera multis in rebus usi sumus egregie fideli. Quum Ravennam venturus esset, quiddam ut exigeret, quod ibi habet in nominibus, petiit a me, ut se tibi commendarem. Dixi, quum causam optimam haberet, commendatione eum non egere, tamen me esse facturum. Si quid me amas, Care, vel potius, quantum me amas, tantum hunc hominem adiuva. His temporibus quum fides ubique sit angustior, vereor, qui debent, ne non facile dissolvant. Si res in iudicium venerit, noli pati, virum bonum, amicum meum, exhauriri longi temporis impensa: beneficium non conferes in ingratum: memorem enim cognovi. Sed tu eum ne spectes: me vide, qui a te peto; mihi enim gratius facere nihil potes. Nam etsi, quod ad nos attinet, ipsi quidem inter nos, magis quam amamus, amare non possumus, tamen valde laboro, in quo me ambitio quædam movet, ut homines nostram coniunctionem tuamque in me benevolentiam perspiciant; quarum alteram vitæ æqualem fore, alteram eiusmodi iam esse confido, ut nihil addi posse videatur. Vale. Venetiis. (II, 29.)

Ep. XXXIII.

EIDEM.

RAVENNAM.

Virum te duco, qui compedes illos frangere et aliquando te in libertatem vindicare potueris; id quod ego, qui nervos ingenii tui bene cognitos haberem, prorsus ita fore sperabam: ut autem etiam cum Guidiccione, id est, cum homine doctissimo et ad tuam naturam aptissimo, tibi vivere liceret, hoc vero ne optare quidem umquam sum ausus. Quod quando accidit, benevolentiæ in te meæ est gratulari, quod evenerit: prudentiæ autem tuæ, non committere, ut frustra evenisse videatur. Herum habes, Care: herum autem dico? cuius ea suavitas est, is in te amor, ut potius æqualis, potius germani fratris loco tibi sit. sed quoquo nomine appelletur, eum certe habes qualem vis. Quare quod mihi aliorum arbitratu quum vivebas promittere solitus eras, id ego nunc, quando tui iuris es, non a te petam, sed exigam, ut operas Musis iam diu a te, non sane tua culpa, tamen prætermissas, eo, quicum es, permittente atque etiam cohortante, reddas. Sed ita procul dubio te esse facturum, vel potius iam facere existimo. Itaque hoc ne monendus quidem es: illud autem etiam rogandus, ut ad nos quamprimum venias, ut possim urbanitatis tuæ sales ex intervallo regustare. Pedibus puto fore commodius: nam mari præ frigore obtorpueris. O dulcem congressum, in quem ego vix credas quam multa reservem, quæ litteris commissa eandem suavitatem non habent. Vale. (II, 30.)

Ep. XXXIV.

EIDEM.

RAVENNAM.

Festivum Molsæ nostri poëma libenter legi, explanationem vero tuam libentissime: et sum admiratus acumen ingenii tui summo iudicio coniunctum: quorum alterutrum non

ita multis contingit, utrumque vero paucissimis. Quod scire vis, quid alii sentiant, idem, quod ego, nihil esse in illo genere perfectius: quo magis te hortor, ut hanc facultatem ad graviora studia transferas, et aliquando te ab istis occupationibus vindicatum, in litteras totum abdas. Quod si mature feceris, cerno iam animo, quantæ tibi hoc consilium laudi, quantæ nobis, qui te amamus, lætitiæ sit futurum. Memini, quid tu mihi te facturum esse dixeris: neque te arbitror, obitum, quid ego tibi in eam sententiam responderim. Mi Care, induc animum, nullos præstantiores esse fructus, quam qui e virtute colliguntur. Et quum hoc feceris, quod et facis et fecisti semper, tum illud tecum existimato ac pro certo habeto, incredibilem esse exspectationem, quam de te apud homines concitasti: quam si sustinere ac tueri vis, contende, dum integrum est, omni studio, ut ex hoc vitæ genere, in quod olim te non tuum iudicium, sed vis quædam temporum, tamquam in aliquod pistrinum, detrusit, quam primum te eripias. Quod quia tibi deliberatum esse, mihi sæpe ostendisti, non ero longior in te cohortando: tantum hæc attigi amore impulsus, ut intelligeres, in summis meis occupationibus me tamen de tua laude cogitare. De Ardinghello nescio, quid atrocius est allatum: quod ego sane quam pro eo ac debui moleste tuli. Hominem enim eruditum, et quum tibi amicissimum, tum a nobis, ut visus est, non alienum, cognovi. Velim, tu id ad me planius, quid fuerit et unde fuerit, perscribas. Vale. (II, 31.)

Ep. XXXV.

P. MANUTIUS M. ANTONIO NATTÆ,

MANTUAM.

Gravi ac diuturna oculorum valetudine impeditus feci tamen, ut litteris tuis, humanissime atque elegantissime scriptis, quamprimum responderem. Ego te, Natta, ex illo tuo præclaro libro, quem »De Pulchro« inscripsisti, iampridem

cœpi colere. Mea tibi voluntas non patuit: ceteris, quid de te sentirem, sæpe in sermonibus declaravi. Nec vero mirari satis possum, qui potueris tantos processus in philosophia facere, homo versatus assidueque occupatus in tractando iure civili: in quo ipso te excellere et audio de multis, et res indicat. Quandoquidem certatim viri principes te accersunt summisque muneribus præficiunt. Equidem, ut benevolentiam tibi meam præsens præsenti patefaciam, cupio Mantuam excurrere: sed me deterret valetudinis infirmitas. Tametsi affirmabat is, qui mihi tuam epistolam reddidit, posse me a meis laribus Mantuam usque non incommode navigare. Itaque audebo fortasse; igniculum enim desiderii vix iam fero: et, si quid est in itinere difficultatis, homini præsertim imbecillo, vincet amor in te meus. De tuo libro quid iam exspectas ut rescribam? videsne me in ære tuo totum esse? impera mihi quod vis; et utere me, quantum vis: subibo omnia et perferam, tua causa. Meum librum de Legibus ad te mitto, iisdem typis, si tibi placuerit, utemur in tuo libro. Sumptus omnino maior erit, quam si littera minor esset: verum hoc tui consilii ac voluntatis est. Statue arbitratu tuo: perpende magnitudinem libri: deinde significa, quid velis. Mitto etiam aliud characteris genus, ut alterutrum deligas; utrumque enim in folii, quod aiunt, formam apte convenit. Tametsi dignitas maior est in maiore. De ratione sumptus, si numerum paginarum tui libri significaveris, et simul versuum in unaquaque pagina et litterarum in quolibet versu; facile summa fiet, et ad te scribetur. Num quid præterea? hoc: de meo libro quid sentias, cupio significes. Vix enim credas, quam a iudicio tuo pendeam. Vale. (III, 29.)

Ep. XXXVI.

EIDEM.

MANTUAM.

Præclare Hector ille apud Nævium, *Laudari abs te pater cupio, laudato viro.* Possum ego nunc idem usurpare: Video me laudari, a quo viro? a M. Antonio Natta, in quo sunt ingenii, sunt animi ac virtutis ornamenta plurima. Ego porro aliquid fortasse, si cum aliis conferar, videri possim: quum vero ad te unum cogitationem converto, vix credas, quam mihi ipse displiceam. Quare permitte mihi, ut eas laudes, quas in me contulisti, reiiciam; aut ipse maiores in te transferam; nam mihi, utrumque nostrum æqua lance pendere, magni negotii non est. Utut est, amo voluntatem tuam. Ea mihi est eritque semper, ut debet, antiquissima. De adventu meo muto consilium in horas singulas: tu me allicis, vel attrahis potius: revocat et retinet valetudo. Quum ad te specto, navim conscendo, vehor, appello Mantuam, tecum sum: — sic est amor, et illæ, quæ fluunt ex amore voluntates — rursus, quum ad me convertor et meam imbecillitatem intueor; qua macie sim, quam tenui cute, quam natura mollis et proclivis ad morbos, relanguesco paullulum et quasi navim incitatam leviter inhibeo. Vides adhuc et sentis fortasse, tentari corpora frigore, levi quidem, sed tentari tamen: vides perflari cælum ventis; rationem esse temporis prorsus incertam et inconstantem. Quæ firmiores non timent; ego valetudinarius nisi timeam, parum videar me nosse, parum vitæ consulere; quod nec humanitatis est nec satis pium: quum nos iusserit ille summus imperator quasi suos milites in hac statione, donec ipse revocaverit, permanere. Calores, ut spero — quæ mea solet esse anniversaria medicina — me mihi restituent. Itaque Junio ineunte, aut eo certe mense, te, ut spero, complectar. Sin videbo, sine meo periculo fieri non posse, ut in viam me dem, docebo te litteris, quid consi-

lii ceperim. Tuum librum tractabo qua licebit diligentia, animo certe erga te singulari. Vale. Venetiis. (III, 30.)

Ep. XXXVII.

EIDEM.

MANTUAM.

Adeone erravi et lapsus sum in subducenda ratione, ut de foliis quinquaginta coniecerim, quæ nunc octuaginta fore video? Pudet indiligentiæ meæ. Verum, utut est, commodo meo rem suscipere non possum, nec audeo recusare; ne mea fides in dubium apud te veniat. Itaque peto a te, ut, cum tua ratione meam quoque ducas, nec exigas a me plus, quam res et fortunæ meæ patiantur. Nam, quod ais, redituram ad me pecuniam cum fenore, libro vendito, videlicet communi quadam, non propria me regula metiris. Non enim ego, ut alii, qui libros imprimunt, habebo statim certos homines, qui eos divendant, et longinquas in urbes regionesque disseminent. Venduntur hic statim a meis omnes ita parvo pretio, ut lucri quidem minimum, sed minimo simul labore, minima molestia fiat. Meum ergo librum itidem, inquis, vendes. De doctrina libri tui, de elegantia possum ego facile iudicare: de venditione quis præstat? an nescis, libros Latinos, optimos veteres, ita nunc iacere, ut pæne sordium in genere putentur? Vix iam Ciceronem ipsum, Cæsarem, Sallustium legi? a multis etiam ne legi quidem planeque contemni? Quare noli mirari, me tam esse diligentem in iis rebus, quas me docuit usus pæne quotidianus, et in quibus non licet esse sine magna mercede negligenti. De tempore quod urges: facultatem imprimendi non concedunt, libro non inspecto. Atque utinam, inspecto, concedant. Quod si dixi, eos me faciles habere: non significavi, posse me, libris non lectis, impetrare ius imprimendi, sed consequi, statim ut legantur, quod ita multis non contingit. Sæpe enim vidi nonnullorum scripta, apud eos,

quorum potestatis hæc tota ratio est, per multos menses custodita, neque legi, neque reddi. Mittas igitur librum oportet universum. Mecum autem amice ages, pro ea, quam tu doces, quotidie præclaris exemplis æquitate. Ita, si erravi, non luam gravius quam debeo: sin error a me non est, a te vero aucti libri magnitudo tota pendet; ius tuebere pro tuo instituto, et amico simul consules. Vale. (III, 31.)

Ep. XXXVIII.

E I D E M.

MANTUAM.

Ut concludam paucis; quando nec mihi ad scribendum nec tibi ad legendum otii satis est; si librum miseris, imprimetur; nolo enim meam apud te fidem in dubium vocari: nihil est tanti. De tempore incertum est. Pendet, ut sæpe iam scripsi, hæc tota res ab aliena voluntate. Crediderim tamen, intra mensem confici et expediri rem posse, tum studio nostro, tum intercedentibus amicis, nobilibus viris, et gratia florentibus. Libro non inspecto, facultas imprimendi numquam dabitur. Scio nullam in eo labem esse, quæ legentium animos possit inficere: — novi tuos sensus, mores, probitatem: quæ ego pluris etiam in te æstimo, quam eam doctrinam, qua parem fortasse aliquem, superiorem certe habes neminem — verum mos est gerendus consuetudini. Communis hæc est, non tua præcipua condicio. Ad me autem quod attinet, voluntati tuæ, in qua vim esse cupiditatis intelligo, nulla interiecta mora satisfiet. Vale. Venetiis. (III, 32.)

Ep. XXXIX.

E I D E M.

MANTUAM.

Hodie, tribus medicis adhibitis, accurata disputatum est de meo exeundi consilio. Rem probant: sed illud ad-

dunt, totam æstatem dandam esse otio, iucunditati, exercitationibus modicis; nec redeundum in urbem ante mensem Octobrem. Itaque vehementer animi pendeo: nec, quid consilii capiam, satis habeo exploratum. In hac dubitatione venit in mensem de tuo libro: quem, si exeo, video fore ut serius fortasse, quam tua voluntas ferret, imprimatur. Quare monendum te litteris existimavi, ut aut statim eum mitteres aut imprimendi consilium differres. Ego hic vel tua unius causa commorabor, dum liber absolvatur. Quod si statuis de subita impressione; qua velis forma, quo charactere, quo numero, significa. Suaderem omnino, ut aliorum opera, me absente, utereris: sed timeo mendas et sordes; quibus inquinari et corrumpi tua scripta per operarum incuriam, nolim; quod tu iam sensisti in libro »de Pulchro«; qui tractari non potuit indecentius. His litteris cupio a te primo quoque tempore responderi: ut, quod ad me ipsum attinet, certi aliquid possim statuere. Meam enim voluntatem ad tuam accommodabo. Vale. (III, 33.)

Ep. XL.

EIDEM.

MANTUAM.

Litteris tuis perlectis, aggressus sum legere tuum libellum. Legeram iam antea Venetiis, allatum ad me a Carreto tuo. Mirifice semper placuit. Genus enim scribendi non minus elegans, quam eruditum complexus es. Quod ad typos attinet, video paullulum detritos esse vetustate: itaque specie illa, quam recentes habere solent, prorsus carent; et compactum nimis atramentum videtur: ex quo fit obscurum quiddam, quod legentium oculos offendat. Menda quædam deprehendi nimis fœda, nec eiusmodi, ut dissimulari possint. Cuius incommodi causam puto tibi non latere. Sæpe enim hic, dum imprimitur, vel emendationi nemo præest vel præesse solet homo mercenarius et parum

litteris instructus, et is, cui pecunia, quam fama, sit antiquior. Nos tamen, et quia de existimatione laboramus, et quod te nimium diligimus ob tuam probitatem nimiumque colimus ob eruditionem, enitemur et contendemus, quantum feret acies oculorum nostrorum, ut satis in hoc genere fiat tuæ voluntati. Ad quam tu me diligentiam tacite vocas in tuis litteris. Laudas enim, et Aldi filium agnoscere te dicis. Quam sunt hæc acuta, quam me pungunt, atque excitant ad omnem laudem, non modo hanc propriam typographiæ, — quæ iam in nostra familia inveteravit — et, quasi debita postulatur. Sed heus: adhucne tibi meus liber est in manibus? atqui abiectum iam a te et latere in angulis, obductum pulvere, existimabam. Nec tu is es, cui bonas horas male liceat perdere, homo assiduis curis maximisque negotiis districtus. Itaque peto a te, hoc mihi des, ne tuum otium a summis rebus ad meas ineptias conferas. Satis iam observantiæ in te meæ, satis humanitati tuæ dedisti. Hoc si plus cupiam; non agam satis modeste; nec te nosse nec me ipse videar. Verbum optabam in epistola tua de Carreti valetudine, optimi viri, ut visus sum coniicere, tui certe studiosissimi. Nam affectum pessime ac pæne desperatum dixeras, quum essem Mantuæ. Mecum actum est in hac peregrinatione prorsus infeliciter. Incidit in morbos tota pæne domus: sed uxor cum periculo vitæ integrum iam mensem miserrime iacuit: necdum video quid sperem, quum iactetur acerbissima febre nec habeat spatium ullum sese colligendi. Ego, quum non optime valuerim corpore, neque nunc valeam, quo fuerim animo, quo nunc sim, vel me tacente, potes existimare. Fortitudinem laudo: sed eam in me ipso nunc requiro. Vincor enim adversis, nec possum plane, quod tu potes, a philosophia illa vera, quam Aristoteles ignoravit, præsidium petere. Sed longius progredior; litteras exspecto: solatium fortasse aliquod in malis afferent. Vale. Asulæ. (III, 34.)

Ep. XLI.

EIDEM.

MANTUAM.

Meum in reditu consilium hoc fuit, ut Mantuæ conscenderem, idque maxime tui salutandi causa; tam ut, quod antea de tuo libro imprimendo inter nos convenerat, id comprobaremus. Non licuit ob viarum difficultatem et frigora. Scis enim, quam tenui cute sim, quam imbecillo corpore. Caneti igitur et meo et meorum consilio, tranquilla tempestate, conscendi: Mantuamque prætervectus, viginti, opinor, milliariorum intervallo, Clodiam triduo incolumis appuli. Hic me amici et propinqui lætitia incredibili exceperunt, qui de reditu meo, sæviente iam hieme, pæne desperassent. Negotia nunc repetimus: quæ quum neque pauca sint neque ponderis exigui; nullum tamen habeo prius, nullum antiquius eo, quod ad te pertinet. Vide igitur ipse, quid statuas; nam, si perstas in sententia, mittendus liber est ante medium Januarium: quo spatium habeamus, eos alloquendi ac rogandi, quorum iniussu nemo imprimit impune. Urget etiam Philippi regis orator de libro edendo, quem ei misit homo, ut aiunt, Græce Latineque bene sciens, arcanorum ipsius regis particeps, Gonzalus Perez: cui roganti per litteras, ut omnino suus liber meis typis exeat impressus, et in eo sitam ac locatam suæ laudis aliquam partem existimanti, deesse non possum: pollicitusque sum et persolvam fidem. Sed cupio tuum librum anteire, si tu vis: sin commodius videtur in aliud tempus differri; quamprimum litteris significa. Ego id unum specto, tibi ut satisfaciam. Vale. (III, 35.)

Ep. XLII.

EIDEM.

MANTUAM.

Nondum redditus liber est: nec mea tamen in ea re diligentia defuit. Devorandum est hoc utrique nostrum,

quidquid est molestiæ. Nam me quoque mora longior incipit ita graviter afficere, vix ut feram: fero tamen, quia Nattæ negotium est. Alioqui hastas mehercule, ut ille inquit, abiicerem, sed obduremus paucos præterea dies. Si res ducetur, librum repetam et cum pecunia tibi remittam. Ama me et tibi persuade, te mihi esse in animo assiduum, in oculis, in ore. Vale. (III, 36.)

Ep. XLIII.

EIDEM.

MANTUAM.

Neque nihil respondebo, neque tamen id, quod tu exoptas vehementer, ego autem sic, ut tecum in cupiditate contendam. Librum habet in manibus homo eruditus egregie sacris litteris et philosophiæ scientia excellens, Sixtus Medices: cuius omnia iudicio propter doctrinam, fidei vero, ob integritatem, recte committantur. Is legit accurate, perscrutatur omnia, examinat et pendit acerrime. Nihil adhuc, ut sæpe iam mihi significavit, alienum a recta sententia deprehendit; tuamque mire laudat perpetuam tam longo in opere eloquentiam, singulari doctrina coniunctam. Is, quid tuo de libro sentiat, suo testimonio ac iureiurando quum ostenderit, aggrediemur: quod abesse iam longe vix potest. Te interim rogo, optime Natta, ne quid alienæ culpæ in me transferas, nec me curare parum graviter existimes ea, quæ ad te pertinent; quibus afficior in utramque partem, non equidem æque ac tu, sed, uno te excepto, gravius certe quam cæteri. Vale. Venetiis. (III, 37.)

Ep. XLIV.

EIDEM.

MANTUAM.

Aliquando is, qui tuum librum accurate legit, absolvit epistolam eam, qua tuis litteris respondet. De re tu iudi-

cabis: de homine sic habeto, virum esse bonum, præstanti humanitate, singulari doctrina: præconem vero laudum tuarum. Quare est sane cur ei gratias agas, quod te ornet efferatque laudibus: quod a me iam, qui te unice diligo, tuo nomine factum est. Quamprimum autem cupio a te responderi, ut, si quis remanet scrupulus, auferatur et exeat tuus liber bono publico, tua non mediocri gloria: quod utrumque fore confido. Bonamicus neque dum venit; nec, venturusne sit, aut quando sit, ex eius ad me scriptis proxime litteris licet coniicere. Tu cognosces eique ad me fasciculum dabis epistolarum mearum. Quas tamen tu quoque, opinor, mecum sentis comprimendas potius quam divulgandas: sed efflagitantibus, præsertim amicis, negari iam diutius non possunt. Vale. (III, 38.)

Ep. XLV.

E I D E M.

MANTUAM.

Pluribus tecum verbis agere non licet: ita multis distrahor curis. Unum hoc: is qui tuum librum legit, idem tuis litteris disertissime scriptis respondebit. Quod ut celerrime faciat, operam do, quantum in me est. Tuam causam certe, ut mihi videtur, præclare tueris: et, quantum tibi ex optima mente, tantum ex ingenio et doctrina laudis accedit. Vale. Venetiis. (III, 39.)

Ep. XLVI.

E I D E M.

MANTUAM.

Placere tibi argumentum de republica, et eius libri partem epistolis meis insertam, abs te, tali viro, tantopere laudari, vehementer gaudeo. Tua vero cohortatio, ut absolvam institutum, animos illa quidem addit, sed, o mi

Natta, si vides, quibus premimur et curis et laboribus, fortasse, si modo vis, me vivere, aliter sentis. Incitamur voluntate, consiliis et hortatibus amicorum, gloriæ nonnulla cupiditate: nec omnino diffidimus ingenio: verum illa, qua tu excellis, quæ in tuis et dictis et factis elucet prudentia, dissuadet. Me natura pertenui finxit corpore: studiorum accessit non mediocris labor; ex quo imbecillitas et morbi. Quid res domestica? quæ, quo est angustior, eo tuenda diligentius est. Quid typographia? quam ita mihi tractandam intelligo, non ut omnia ad utilitatem, sicut multi, sed pleraque ad meam existimationem referam ac dignitatem. Quo proposito, nihil est operæ, nihil studii recusandum: ac sæpe, ut ait poeta ille tuus, sudamus et algemus. Amicis etiam vel salutantibus horæ dandæ sunt, vel aliquid petentibus officia tribuenda. Qui si excludantur, aut reiiciantur, sane consuletur otio meo, rebus meis, valetudini meæ; sed ubi humanitas? quæ quam sit hominis propria, nomen ipsum indicat. Iacent igitur inchoata, plane rudia, temere vel dissipata vel confusa, mea scripta; quæ nonnumquam, sicuti mater languentem filium, cum dolore tacitus adspicio; opem ferre, quam videntur postulare, non queo. Quare, si quid apud te hominis tui amantissimi salus est, non debes me ad scriptionem vocare, tot assidue, tam variis, tanti momenti occupationibus distentum. Adiuva me potius consilio, si potes: aut minue molestiam consolando: opta saltem, et hoc ipsum significa, ut hæc, quæ nunc sustineo, perferam, et is, quem volumus principiis, exitus respondeat. Id quod, nisi favente, qui fons est omnium bonorum, Deo, sperare non licet. Consultationes tuas, si quæ nondum editæ sunt, mire aveo legere; nam quum in iis, quæ iam sunt editæ, præstare te omnibus, qui memoria nostra ius civile litteris mandarunt: quum scientia rei, tum sermonis elegantia, mihi persuadeam: intelligo posthac tua scripta longe fore meliora. Non ago tecum blande: metior veritatem ipsa re, et, ut sentio, plane loquor. Valde, mi Natta, hoc biennio in Latina lingua profecisti: quotidieque

ut ex epistolis tuis facile coniicio, ad veterem illam eloquentiam propius accedis. Itaque videre mihi videor, ac prorsus video, quantus in iure civili explicando, si studium adhibueris, esse possis; quod ut facias, auctor tibi magnopere sum; si modo tu in tua laude quemquam, præter te ipsum, auctorem hortatoremve exspectas. Vale. (III, 40.)

Ep. XLVII.

EIDEM.

MANTUAM.

Litteræ tuæ, quas idem binas tabellarius attulit, facile tuam edendi libri, quem efflagitari iam a multis audio, non mediocrem cupiditatem declarant. Nec me tamen studio tibi concedere velim existimes; nam et *συμπάθειαν* quandam commovit iam in sensibus meis virtus tua: et res ipsa de qua tantopere laboras, commendationem habet a se ipsa, nec tuum officium apud me aut omnino apud quemquam bona mente præditum, desiderat. Unde igitur, inquies, tot dierum prolatio? Equidem culpa vaco: nec in officio præstando Sixti nobis humanitas defuit: sed ab eius voluntate pendemus, cui tota demandata facultas est. Is quum Sixti primum, deinde etiam nostro se acquiescere testimonio confirmasset; Sixtum etiam, ut optime de Christiana doctrina sentientem sacrarumque litterarum disciplina perfectum, laudibus extulisset; illud adiunxit; sibi tamen esse concedendum, cui ratio temporum paullo severiorem quam ipsius voluntas ferret, personam imponeret, ut librum leviter attingeret: quod esse perpaucorum dierum negotium pollicebatur. Negandum non fuit. Egimus etiam gratias, quod ita blande peteret, ut suam oblivisci potestatem, humanitatis causa, videretur. Nunc tibi, mi Natta, devoranda est hæc non multorum, ut spero, dierum mora. Vides, hominum recentiorum libri, quicumque de sacris rebus loquantur, quam diligenti hodie trutina perpendantur: vides quam

multi, nullo personarum discrimine, in iudicium vocentur, quam pauci mox elabantur. Tolle, obsecro te, festinationem in re tanta: et habe rationem temporis: et utriusque nostrum otio,— nam mea quoque res agitur,— brevi interposita mora, consule. Nam, quod iniecisti de tua laude, opinor, ut quasi dormientem excitares, id mihi novam diligentiam non attulit, potius admirationem quandam, cur ea, quæ ad tuum decus pertinent, curari a me frigide suspiceris. Etiam appellas me ob testimonia epistolarum mearum; quasi vero ego te diligam constantiæ causa, non iudicii. Quod si te non esse dissimilem tui putaveris; cuius etiam probitatem, doctrinam, eloquentiam assidua studia vehementer augent: me quoque, qui aliquando in te fui, eundem fore semper, hoc est, amore incensum atque cupidissimum gloriæ, debebis existimare. Commentarios meos quod evolvis libenter, amice facis; si vero etiam, ut scribis, aliquid ad tuam utilitatem excerpis; magni facio industriam meam: quam tu, vir ingenio et eruditione summus modo non improbares, satis habebam: fructum ut ex ea caperes, vix umquam speravi. Itaque scribam posthac paullo fidentius, iudicio tuo confirmatus: et auctoritatem tuam, si quis contra senserit, pro sexcentis rationibus opponam. Litteris tuis cave putes non esse a me responsum, quia neglexerim: obstitit occupatio, quæ diem quandoque totum eripit a mane ad vesperam. Quod etiamsi non scriberem, tamen opinari, tuæ prudentiæ et humanitatis esset. Vale. (III, 41.)

Ep. XLVIII.

EIDEM.

MANTUAM.

Ad oculorum dolores, quos diuturna consuetudine satis iam modice fero, accessit molesta febricula: periculi tamen expers, ut medicus affirmat. Itaque conor brevi respondere litteris tuis, elegantissime et humanissime scriptis.

Liber statim traditus est viro optimo atque eruditissimo, communi amico, Sixto Medici. Is, licet occupationibus districtus, tamen et mea et tua causa pollicitus est, operam se daturum diligenter, ut eam partem, quam tu addidisti ac mutasti, quam citissime legat. Quod quum fecerit, rursus ex eius testimonio ius erit impetrandum libri divulgandi. Scis enim, quam severa hodie sit librorum omnium examinatio: quam sint, ubi quid scribimus, ambigua cavenda: ne qua omnino secus interpretandi, trahendique in deteriorem partem, occasio præbeatur. Sixtus me diligit meaque causa valde cupit: de te autem honorifice et sentit et loquitur. Itaque, quod ad ipsum attinet, navigamus in portu. Academia tuum officium amplectitur ac laudat; sua vero a te, singulari viro, probari et magni fieri instituta, mirabiliter gaudet. Plura volebam, ductus suavitate sermonis, cuius imaginem habet epistola: sed interdictum est non modo, ne quid scribam mea manu, verum etiam ne multa, nisi necessario, dictem. Vale. (III, 42.)

Ep. XLIX.

EIDEM.

MANTUAM.

Habeo quod petieram. Sedasti animum meum consolatione, consilio iuvisti: nihil sapientius, nihil humanius epistola tua. Et, quum multa sunt a te gravissime atque ingeniosissime commemorata: tum vero mirifice sum exemplo tuo commotus, quem statuo imitari, quantum in me est, licet meæ probe quidem conscius infirmitatis: cui si Deus aderit, quod equidem spero, vincemus humana omnia, et triumphabimus in adversis. Afferet ad te tabellarius cum his litteris indicem, quem petis, missum ab Academia, tui studiosissima. Tradidi enim legendam epistolam tuam: nec improbavit quisquam. Quid? nemo non extulit amplissimis laudibus. Ego autem, et qua sim ex eorum iudicio

affectus lætitia, et quid ipse de tuis existimem scriptis; quia te puto illud, vel me tacente, pro amore nostro suspicari, hoc autem ex meis superioribus litteris cognovisse; non exponam hic pluribus verbis. Tantum agam gratias de ista tam in me propensa voluntate, excellentique industria: quarum alteram longitudo litterarum tuarum, alteram elegantia declarat. Vale. (III, 43.)

Ep. L.

EIDEM.

MANTUAM.

Biduum hic futurus sum: nec enim diutius licet per valetudinem, nec venissem levibus causis. Liber tuus propediem prælo committetur et diligenter emendabitur. Angor equidem quod abesse cogar: quod accidit profecto non minus contra voluntatem, quam præter opinionem, sed hæc in manu nostra non sunt. Ducimur enim vel trahimur potius fatorum vi; itaque humana omnia ferenda. Quamquam non hæc tibi, quem religio probum, doctrina prudentem facit, sed mihi ipsi, ab iis præsidiis, quæ te muniunt, parum instructo, tamquam intus cano. De rebus meis, de valetudine, de studiis, exigit omnino amicitia nostra, ut aliquid significem: sed neque nunc satis otii suppetit: neque, ut vere dicam, libenter scribo, quæ tu non libenter legas; meliora tamen omnia paucis diebus fore videbantur: itaque uberiores a me litteras exspectato. Hæc dictavi propere, multis districtus negotiis, animo curis impedito. Vale. (III, 44.)

Ep. LI.

EIDEM.

MANTUAM.

Legi, quas remisisti epistolas meas, et correxi leviter, ut homini licet occupato. De editione, quod hortaris, ut

omnes potius, quam, ut ego statueram, unam aut alteram: ita faciam, non spe laudis,— scriptæ sunt enim, quod res ipsa indicat, indiligenter ac raptim, — sed quia notam esse æquis et iniquis nostram amicitiam volo: quæ me ornat iudicii tui testimonio: quum tamen ad iudicium singularis accedat humanitas. Vale. Venetiis. (III, 45.)

Ep. LII.

P. MANUTIUS
ILLUSTRI COMITI MICHAELI TURRIANO,
CENETENSI EPISCOPO, CENETAM.

Angebar, animi nec fieri quidquam posse me uno miserius opinabar: ita multa hoc anno præter exspectationem, prorsus adversa meis rationibus, obtigerant: fratris primum amantissimi, deinde filioli suavissimi interitus: uxoris morbus, invaletudo mea, rei familiaris incommoda. Quam facile, nullo pæne strepitu, rerum mearum conversus orbis est. De fratre et filio iam fero moderatius; vel quod, ut solet, medetur dies; vel quia, quod æterna lege Deus constituit, id abrogare velle, non solum iniustitiæ, verum etiam imprudentiæ videtur esse. Uxor convaluit: ego satis firmus. Domestica vero damna, quæ sarciri vix umquam arbitrabar posse, facile compensat amor in me tuus; cuius mihi recordatio molestias omnes diluit; quandoquidem vis me ad omnes casus, — recordor enim tua verba, — subsidium in tua benignitate maximum constituere. Itaque levatus a te gravissimis curis, premi iam onere officii me sentio: in quo sustinendo viribus enitar cunctis et animi et ingenii: tantumne? immo etiam iis, quas benevolentia erga te nostra et singularis addet observantia. Quid porro tam difficile aut tam amplum est, quod incitata studio voluntas non assequatur? verumtamen in hac re, sentio, esse haud paullo difficilius mihi satisfacere quam tibi. Te enim nihil in conferendo beneficio spectare præter ipsam virtutem, quæ suis gaudet ac fruitur bonis,

nihil extrinsecus assumit, satis mihi multo antea persuasum est; præterea nulla re indigere, non gloria, qua iampridem abundas, non divitiis, quas et possides iam, et contemnis. Ego vero, qui et ante annos sex, quo te primum die sum allocutus, eo ipso die benignitatis tuæ præstantiam non vulgari munere sum expertus; et nunc ab eadem benignitate multo etiam maiora, te iubente, cogor exspectare; prorsus ancipiti cura distrahor, qui neque gratiam tibi umquam referre, neque nuda voluntate contentus esse possim. Succurrunt enim multa, quæ libenter cogitem: primum, humanitas tua, qua me semper complexus es; deinde liberalitas, qua sublevasti; postremo consolatio illa, Christianæ pietatis et sapientiæ plenissima, qua me quidem proximo Quintili mense, quum ad te honoris causa Cenetam accessissem, afflictum erexisti. Atque hæc quibus meis erga te officiis? nullis omnino: salutatione excepta, quæ ipsa mihi tum utilis, ex prudentia atque eruditione tua, tum etiam ex dignitate perhonorifica fuit. Quæ quum omnia colligo; eximiam istam planeque divinam beneficentiam, insitam tibi vel potius ingeneratam a natura, auctam doctrina, usu confirmatam atque perfectam, satis admirari non possum. Et simul ad quosdam opibus affluentes, multis imperantes nationibus, cogitationem convertens, doleo vicem bonarum artium, quæ deserantur ab iis, quorum patrocinio si uterentur, fructum retribuerent eum, qui est omnibus imperiis anteponendus. Quid enim est immortalitate præstantius? quis autem eam, nisi beneficio litterarum, consequitur? laterent in tenebris, obruti vetustate, Cæsares, Alexandri, plane omnis antiquitas, nisi rerum præclarissime gestarum,— quas quum audimus, imitandi cupiditate accendimur,— testem haberemus historiam. Quo magis tibi gratulor, antistes, et idem princeps egregie, qui hanc veræ laudis pæne vacuam hodie possessionem tam libenter occupes, veteremque maiorum tuorum de omnibus bene merendi consuetudinem, nulla prorsus tuarum fortunarum ratione habita, constantissime retineas. Quod vero istam virtutem multis præterea virtutibus, usu rerum maxi-

marum, prudentia, doctrina, eloquentia, maxime vero humanitate cumulas, atque exornas: iccirco et antea Romæ, atque in tuis legationibus, Ecclesiæ causa susceptis, magnificentissime gestis, et nunc in urbe tua, quam divino simul et humano iure temperas, concursus ad te quotidie fiunt optimorum virorum, et eorum maxime, qui aut ipsi ingenio litterisque præstant, aut saltem de ingeniorum litterarumque præstantia iudicare possunt. In quo sæpe fortunam accuso, quæ mihi facultatem veniendi ad te — quod eram hac æstate pollicitus, et cupio vehementer — adhuc quidem eripiat. Quod quum licebit, accurram. Quid enim ista amœnitate iucundius, isto cœlo salubrius? quid porro ad beate vivendum deesse potest ei, qui tecum vivat? cuius in ædibus primum oritur ex tua disciplina virtus, deinde excipit virtutem liberalitas. Hoc igitur, quum per negotia licebit: et utinam mature liceat. Interim memoria tui fruar; teque, licet hoc terrarum spatio disiunctum, colam ut præsentem, nec ullum erga te, quod ab homine tui studiosissimo possit exspectari, aut officii genus aut studii prætermittam. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 1.)

Ep. LIII.

P. MANUTIUS ANTONIO VERANTIO,

EPISCOPO AGRIENSI.

Quum Andreas Duditius, tui studiosissimus, præclaræ non solum indolis, sed iam etiam virtutis, adolescens, proxime reversus e Pannonia, tuo me nomine salutasset; atque hoc officium iis verbis, quæ facile tuum de me iudicium declarabant, subsecutus esset: cepi sane voluptatem incredibilem, nec mediocres habui gratias Deo Optimo Max. cui soleo, si quid optabile contigit, acceptum referre, et a quo, si quid contra sperare meliora. Nec vero tua mihi quidquam amicitia vel ad meam laudem illustrius, vel omnino amplius possum existimare; cuius audio fortunam a multis ita laudari

atque extolli, ut nemo tamen sit, quin fortunæ virtutem anteponat. Atque ego quum anté aliquot annos, commotus fama laudum tuarum, diligere et observare cœpissem; animumque meum probare tibi litteris vehementer vellem: pudor vetuit, non omnino fortasse improbandus; meque ab hoc deterrere consilio, et quasi reprehendere, natura mea maxime semper est visa. Quid? tune talem virum, gravissimarum rerum onera sustinentem, deditum studiis præstantissimarum artium, inani scriptorum genere appelles? Revocabat ratio, et habendam mihi tum indignitatis tuæ, tum modestiæ meæ rationem intelligebam. Sed profecto a rectis mentibus, non ambitione, sed officio incensis, divina numquam benignitas abest. Qualem enim ego certe vix umquam sperare ausus essem, ea mihi nunc a te ipso oblata facultas est: cui de mittendo ad me emblemate, elegantissime, et, in quo summam laudem statuo, admodum pie conscripto, venerit in mentem. Quo sum dupliciter affectus officio: lætitia primum ex ipsa re: debet enim iucunda vehementer esse amoris, ac iudicii, a tali præsertim viro profecta, significatio, deinde molestia quadam, quod, qui humanitate vinci non facile patiar, nunc quidem a te captus atque oppressus, tantum in hac virtute, qua nulla magis hominem decet, tibi concedam necesse est, quantum in aliis, quibus te Deus ornavit, et industria tua, minime paucis: quarum fama non Germaniæ aut Pannoniæ, continentium regionum, ambitu terminatur, sed Europam, quanta quanta est, ac pæne terrarum orbem iam pervolitat universum. Verumtamen, si tibi, magnis locorum spatiis disiuncto singularem animi mei ad te amandum colendumque propensionem ostendere minus possum; apud eos saltem, qui meam vocem audiunt, meisque sæpe sermonibus intersunt, tuam doctrinam, eloquentiam, in primis vero puram ab omni labe religionem assidue prædicando, profecto ipse mihi aliqua ex parte satisfaciam. Nec tamen ita sterilem cognovimus industriam nostram, licet mihi laudem ingenii nullam adscisco, quin ea fructum aliquem, qui ad tuum decus pertineat, nec sine

tua gloria pervulgetur, aliquando ferre possit. Quod aggrediar ita libenter, et ita studiose curabo, ut eventus futuri lætitiam avide præripiam; deque eo, quod nondum præstiti, iam nunc, perinde acsi præstiterim, ipse mihi gratuler. Et huius quidem veluti prædem promissi, meæ testem voluntatis, hanc ad te mittendam epistolam putavi. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 2.)

Ep. LIV.

P. MANUTIUS ANDREÆ ZEBRIDOVIO,

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Vide quæ sit vis, etiam apud alienos ignotosque homines, veræ solidæque virtutis. Aliquot abhinc annis, quum egregios viros, qui te non de facie solum, verum etiam e sermone assiduaque consuetudine optime noverant, omnia de te summa prædicantes audirem, studio tui sum incensus incredibili. Nec meam deinde observantiam dies exstinxit aut imminuit, sed auxit potius ad summumque perduxit. Atque equidem nihil habui antiquius, nihil exspectavi magis, aut observavi diligentius, quam ut hæc ad te amandum colendumque animi mei propensio aliquo tibi non vulgari pateret officio: sed meam exspectationem fefellit eventus, nec ulla umquam satis opportuna voluntati respondit occasio. Nunc igitur, quod mihi a fortuna denegatur, statui a me ipso impetrari Præclarum aliquid præstare, dignum videlicet ea, quam tu sustines, persona, dignum tua virtute, cupiebam: non licuit: at, quod licet, demus operam, ut id consequamur. Licet enim certe studii erga te mei significationem quandam, non expressam omnino, sed quasi leviter adumbratam, ostendere; et e quercu etiam quandoque exsculptum placet, non modo ex ebore, simulacrum. Effigiem domi habeo parentis mei: quem tibi unum, cum familiari olim tuo, et in ore et in amore esse, homo insigni eruditione moribusque sanctissimis, Andreas Patricius non semel affirmavit.

Eius exemplar venienti ad te Patricio dedi. Putabis igitur, quum patrem meum quasi præsentem adspicies, agere tecum, ut aditus mihi et quasi fores aperiantur ad amicitiam tuam. Quod si assequor, additum ad fortunas meas ornamenti commodique plurimum existimabo. Quid enim speciosius, quid ad laudem præstantius, omninove utilius, quam principum, hoc est, tui similium virorum, frui benevolentia? Atque hoc video totum esse positum in humanitate tua, quam Patricius ferebat in cœlum; nam ego quidem, nullis plane meritis, animo tamen adhuc te colui: sed, ut spero, merita quoque accedent. Conferam enim ingenium ad tuam laudem, et apparebit in tuo nomine, approbante Deo, quo nihil abnuente perficitur, opus aliquod industriæ nostræ, eiusmodi fortasse, certe hoc enitemur, quod posteritas haud omnino contemnat. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 3.)

Ep. LV.

P. MANUTIUS PETRO MISCOVIO,

SARMATARUM REGI CONSILIARIO.

Amo valde probitatem, et, secundum eam, eloquentiam, non quæ verba tantum colligit et inani vocum sonitu auribus obstrepit, sed quæ maxime rem continet seque ipsa non minus gravitate sententiarum, quam elegantia verborum et splendore commendat. Hæc te audio simul expetere, Petre Miscovi. Expetere autem? immo iam esse consecutum. Quibus ornamentis magnum te esse atque illustrem apud homines vere sapientes existima: sic, inquam, ut illa, quæ plerique, quasi sola bona, specie decepti, admirantur, quæ ipsa quoque in te non mediocria sunt, opes, auctoritas, amicitia clarorum virorum — addo etiam gratiam apud regem omnium potentissimum — nullo pacto conferenda videantur. Nam hæc licet aliquando virtutem consequantur, ut in te ipso contigit, minime tamen ipsa virtutem indicant, neque semper ad laudabilia studia, tamquam

ad causas eventa, referuntur. Qui vero pietatem, qui iustitiam colit, qui et ingenio valet, et, qua valet, ad res egregias maximeque ad instructam præclaris doctrinis eloquentiam totus incumbit: hunc vere se ipsum, quod esse difficillimum constat, ac sua bona nosse, hunc optime exercere instrumenta illa, quibus homines brutis animantibus præstant, mentem atque rationem: hunc denique gloria dignum immortali, dignum, qui feratur in oculis, ornetur laudibus, nemo omnium hominum, nisi qui hominis nomine indignus haberi velit, umquam negabit. Quod ego quum a prima pueritia, domestico patris instituto, natura etiam quasi suadente, sensissem, confirmatus postea magnopere sum clarorum virorum exemplo. Nec venit umquam in mentem, quod ita senserim, pœnitere: lætatus etiam valde sum ac lætor equidem nunc eo magis, quod accedit ad meam sententiam iudicium tuum. In iisdem eni m studiis elaboras: eædem tibi artes curæ sunt: quæque hinc emanant laudes, eas esse veras laudes, et earum ita semper florere gloriam existimas, ut numquam exarescat. Idem putamus et idem uterque sequimur, optime Miscovi: sed tua clarior industria, hominis in excelso dignitatis gradu constituti; fortasse etiam felicior, quia secunda ingenium fortuna excitat, adversa debilitat. Quam multa enim nobis obstant! quam sæpe recta mens, optimorum consiliorum in cursu impedita, cogitur consistere! tibi vero, qui propensam vehementer ad laudabilia quæque voluntatem in te laudant, iidem fluere ex voluntate omnia confirmant, nullam adversari, nullam pugnare tecum ex iis rebus, quæ sunt inimicæ virtuti: versari te assiduum in aula regis, ipsi regicarum, summis et infimis iucundum, apud exteras etiam gentes illustrem ac perhonoratum. Quæ tibi esse perpetua maximeque propria, non solum cupio, communi studiorum causa, quorum decus tua dignitas auget, sed fafacile etiam adducor, ut sperem. Quidquid enim es, a te ipso es, et ideo tantus, quia talis: nec tu desines umquam esse, qui fuisti: nec ea, quæ virtus constituit, casus evertet. Tantum igitur — quod et facis, et facere minimo ne-

gotio potes — retine consuetudinem tuam: intuere te ipsum: vitam anteactam imitare. Sic augebis quotidie tua merita; et idem quotidie meritorum præmia tuorum sumes a te ipso; eritque virtuti merces virtutis usus. Quo nihil esse iucundius, profecto iam sensisti: nihil autem ad memoriæ perpetuitatem utilius, docemur exemplis eorum, de quibus post tot sæcula litteræ loquuntur. Et, quoniam sequitur atque comitatur, ut umbra corpus, gloria virtutem, nec te latet, præceptis imbutum antiquæ doctrinæ, improbari eos ab excellentibus in philosophia viris, qui, præter sua commoda, nihil spectent, seque sibi tantum ipsis esse natos arbitrentur: non dubito quin statuas, quantumcumque vel habes iam facultatis ad bene merendum, vel in omni tua vita præclara tibi animi tui bona pepererint, non ad rei domesticæ fructum, aut ad angustæ benignitatis usum illud esse revocandum, sed esse totum ad alienas utilitates maximeque ad artium liberalium ornamenta quam latissime porrigendum atque explicandum. Quod si fiat, simul illud fieri necesse est, ut, quamplurimis in tua laude consentientibus, par beneficentiæ celebritas nominis et fama consequatur. Atque ego te ita sentire proque tuis opibus iam præstare, non inani aliqua coniectura ductus existimo, aut ideo ad te scribo, ut in tuam gratiam blandæ orationis artificio mihi liceat irrepere: sed credidi hominum honestissimorum ac prudentissimorum, istinc ad nos vel studiorum causa, vel cognoscendæ Italiæ studio commeantium, testimoniis; maxime vero familiari meo, nihil temere affirmanti, Andreæ Patricio: cuius eo pluris iudicium facio, quod egregiam eius doctrinam, id quod perquam raro contingit, adæquat integritas. Addebat etiam — quo sum unice delectatus, quodque mihi, ut vere dicam, huius epistolæ causam attulit — studiosum te esse scriptorum meorum, et mihi aliquid atque adeo tantum tribuere in Latina lingua, quantum optavi equidem semper, assecutum me esse, numquam duxi. Nunc, si tu, ista vir auctoritate, isto pondere, ita de me sentis; in dubium pæne revoco iudicium meum; nec me prorsus audeo contemnere, ne a te dissentiam; enitar-

que multo etiam quam antea diligentius, ut accedam proxime, si ulla ratione potero, quo tu me pervenisse iam existimas; ut aliquando veritati iure des, quod fortasse nunc humanitati magna ex parte largiris. Fateor enim, iudicii de me tui famam mihi esse periucundam: quid oneris tamen eadem imponat, quoque redigar necessitatis, intelligo. Latere nullo modo potest, quem clari viri testimonium indicat: nec me iam ad vigilantiam, omnium scientiarum parentem, laudis cupiditas magis quam infamiæ metus impellit. Quæ licet perdifficilis admodumque dura videatur esse conditio, tamen, quia gratus, hoc est vir bonus, esse volo, amplector libenter officium tuum, ab excelso quodam animo liberalique profectum: Quod si compensare meis officiis non potero, memoria tuebor, et prosequar etiam laudibus, quam diu vita fruar: ut ex optima saltem voluntate, qua boni et sapientes viri metiri beneficia consueverunt, aliquam tibi relatam esse gratiam existimes. Vale. (Epp. IV, 4.)

Ep. LVI.

P. MANUTIUS JO. VINCENTIO PINELLO,

PATAVIUM.

Magna fuit, atque etiam nunc inter homines est de genere vitæ controversia: quum alios ita doctrinarum cognitio delectet, ut ab agendis rebus abhorreant; alii, non sibi tantum, verum et amicis et patriæ, planeque omnibus hominibus, homines esse natos existiment: ex quo sequitur, ut scientiarum studiis usum rerum anteponant. Hoc discrimen, in quo valde pro sensu partium dubia veritas fluctuat, tu quidem, quod ad te attinet, optime Pinelle, optimisque et eruditis viris merito carissime, egregia quadam, vulgo non satis cognita, ratione sustulisti. Simul enim utrumque studium complexus es, tum earum disciplinarum, quibus exculta mens uberrimos in omni fortuna ferre fructus solet, tum iuris civilis, quod alienos ad usus maxime porrigitur. Ardua res, et

operosa: quod exemplorum declarat inopia: sed ingenio tuo nihil difficile: et, ut se præbent initia, futurum nemo dubitat, ut instituta perficias, consiliisque tuis brevi respondeat eventus. In philosophia quidem processus tuos admiramur: qui tanti sunt, ut evolare potius quam excurrere videaris. Quamquam cur miremur? ingenio si quis valet, in studio fere languet: qui utrumque coniunxit, optimam quandoque disciplinam et rectam studiorum viam ignorat. Fac in uno tamen hæc inesse omnia; quid assequetur adversante fortuna, subsidiis destitutus iis, quæ quum adsunt, fertur animus proclivi cursu ad egregias res; sin absint hæret in salebra nec facile progreditur? Quæ igitur singula tanti sunt, quemvis ut possint a sperata litterarum gloria penitus avertere; hæc tibi quum suppetant universa, iure istam, quam alii vix tuentur, Spartam quotidie magis illustras; neque tam nobis hoc, æqualibus tuis, quod sis virtute maior quam illud, si te ipso minor esses, admirandum videretur. In philosophia quidem quum operam studiose des M. Antonio Genuæ, cui veterum doctrinarum arcana patent, quo nemo peritior Aristotelis interpres, nemo vir melior usquam vivit; nihil mediocre neque nos a te exspectamus, neque tu præstas. Quo nomine tibi gratulor plurimum, et eo magis, quod illius viri voce publice cum multis, consuetudine ac sermonibus, quæ humanitas eius atque amor in te est, privatim et proprie frueris. Hauries enim ex eodem fonte non ea solum, quæ vel olim in Lyceo vel etiam in Academia disputabantur, sed id quod longe præstantius est, Christianam pietatem, a qua manat una et in qua item una philosophia perficitur. Habes igitur, divinitus oblatam, virtutis adipiscendæ facultatem: quam te video arcte esse complexum, nec vereor ut dimittas, qui te ita flagrare cupiditate cognoverim, ut revocandum potius a nimia contentione, valetudini vix ferenda, quam acuendum et incitandum intelligam. Nam, quod ius civile pertinet, ubi tu philosophiam, id est totum, scientia comprehenderis, quid in parte cognoscenda superesse negotii putas? minimum, si sapientes viros, et in iis

eum, quem ego omnibus iudicii laude antepono, doctorem tuum Genuam, audies. Quamquam sermo tuus, habitus interdum præsente me cum eruditis hominibus, tractasse te iam satis diligenter ea, quæ excellunt in universo iure civili, id est, veterum iurisconsultorum præcepta, declarabat: ut vel eadem facile possis, quandocumque libuerit, recognoscere, vel, si qua restant, quasi racemos aliquos, confecta vindemia, colligere. Non enim te arbitror studiorum tuorum elegantiam ineptissimis planeque barbaris quorundam scriptis inquinare velle. Quæ quum immensa sint pleraque tamen inania, laboris et molestiæ plurimum, utilitatis et oblectamenti minimum habent. Interim, ut facis, Græca cum Latinis, et eloquentiam cum philosophia coniunge: ut, politioris doctrinæ copiis instructus, remissiora etiam studia colentibus aliquando satisfacias. Non enim vivimus omnes in Atticis gymnasiis: nec ubique de rerum causis quæstio est: et, quibus contemplatio naturæ vehementer placet, iisdem tamen animi causa tamquam in hortos Musarum divertere non iniucundum est. Qua de re quia nonnumquam inter nos locuti sumus, et, ut spero, brevi colloquemur, nihil addam, te præsertim, quod facile intellexerim, meam sententiam comprobante, cuius consilii non dubito, quin maiorem quotidie voluptatem capias. Ego hic, genere vitæ molestissimo, quas Patavii utiliter satis, iucunde quidem certe, in libris et in tuis tuorumque familiarium sermonibus traducebam horas, perdo. Itaque, quumprimum domesticas tricas, quibus teneor invitus, expediero, advolabo istuc, sitiens vestræ consuetudinis: qua si frui perpetuo liceat, beatissime viverem. Interim amorem mihi tuum, cuius equidem memoria valde recreor, cupio conserves, et, si tua patitur humanitas, etiam rogo. Vale, et Petrum Nunium, familiarem tuum, cuius doctrinam et ingenium in Lucretiana interpretatione mirum in modum probo, saluta meis verbis. Venetiis. (Epp. IV, 5.)

Ep. LVII.

P. MANUTIUS VIDO PANCIROLO,

PATAVIUM.

Quum alia me in ista urbe, quam tu præter cæteros tua virtute nobilitas, et ornatissimorum iuvenum cœtu frequentas, oblectare vehementer soleant: tum nihil est aut esse omnino potest, Andreæ Duditii quotidiana consuetudine iucundius: non solum, quia probitate, modestia, morum elegantia omnibus denique animi bonis excellit: sed etiam, quia paucorum annorum studio, præstantia videlicet ingenii, quam ego semper amavi, consecutus est, ut exquisitam ac variam sermo illius eruditionem præ se ferat: scripta vero ad Ciceronianam eloquentiam sic accedant, ut cum iis, qui suum nomem hac laude celebrarunt, qui pauci admodum sunt, conferri iure possit, æqualibus vero cunctis facile antecellat. Hunc ego tibi iuvenem, quem olim mihi adolescentulum vir omni laude summus, Reginaldus Polus Cardinalis magnarum virtutum indole commotus, accuratissime commendavit, et si necesse non arbitror, commendo tamen eo studio, quod quia verbis exprimere mihi non licet, tu quoque tantum esse velim existimes, ut exprimi nullo modo possit. Is quum antea philosophiam, præsertim, quæ de Græcis fontibus hauritur, et humanioris doctrinæ studia diligenter eximiaque cum laude coluit, tum hoc tempore in eognoscendo iure civili totus est. Qua illum cupiditate quotidie magis incendit admiratio tuæ virtutis, quam in omni fere sermone ad cœlum fert, exterisque etiam gentibus, licet illustrem satis, elegantissimis declarat epistolis. Pertinet igitur ad humanitatem tuam, qui te tam valde amet, tantique faciat, eum redamare eique reconditos illos, omnium purissimos, tuæ scientiæ fontes aperire: pertinet etiam ad fidem, qui se totum in tuam disciplinam tradiderit, opibus eum impertire ingenii tui, quas ille regum opibus et sua sponte, et meo iudicio, cui tribuere aliquid videtur, præstantiores existimat. Hæc ad impetrandum magna sunt, præsertim apud optimum virum,

quam in tuis laudibus præcipuam agnoscimus: verum accedit amor in te meus, qui fraternam necessitudinem æquat. Is te rogat, is prensat, quam studiose, quam blande potest, pro Duditio meo: ut eum, quem ego merito eius in oculis fero, tu, quem amicitiæ nostræ denegare nihil decet, quando nec studio tuo quidquam abnueret voluntas mea, omni benignitate complectaris, planeque in clientelam tuam atque adeo in sinum, æque ac filium meum, æque ac me ipsum recipias. Quod si feceris, obstringes tibi non vulgari beneficio iuvenem summo loco natum, dignum maioribus suis, qui Pannoniam, ut ego auguror, sua virtute aliquando Italiam faciet: a me vero gratiam inibis eam, quæ, si quid accedere ad meam in te benevolentiam potest, quod equidem vix arbitror, id ipsum una possit adiungere. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 6.)

Ep. LVIII.

P. MANUTIUS ANDREÆ DUDITIO SBARDELATO,

PATAVIUM.

O dulcem reditum, o amandas litteras, quæ mihi id significant, quod non modo spe, sed nec suspicione attigeram. Sed, quando te ipsum, mi Duditi, videre, quando licebit amplecti? oculos mehercule tuos, dum hæc ad te scribo, intueor, indices probi animi tui, indices humanitatis. Hoc mihi spectrum fingit amor: quid enim aliud? et hæc me cogitatio iucunditate perfundit incredibili. Quid putas, quum erimus una, dabiturque, ut ille inquit, Veras audire ac reddere voces? nemo umquam perinde lætatus est invento thesauro, ut ego te reverso. Videor enim amissum recuperasse: et plane amiseram; nam, etsi reliqueras hic memoriam tuæ suavitatis tuique ingenii: tamen, quod attinet ad aspectum, ad consuetudinem, ad sermonem, quibus nobis, tui amantissimis, nihil potest esse optatius; totus abieras. Ac verebar ne, vel precibus tuorum victus, vel honorum cupiditate il-

lectus, totum te dederes aulicis muneribus, multa nobis, fortasse etiam litteris, salute dicta: nunc te tuus bonus, tuus, inquam, mihi crede, bonus genius reduxit, sicuti malus abduxerat. Quid enim sumus, nisi adsit humanitas et litteræ? quæ petuntur in otio, tranquilla mente. Otii autem ubi plus, quam in isto secessu Patavino? nemo quemquam interpellat nolentem: invitant ad virtutem, si minus voce, exemplo certe quamplurimi; patet aditus ad doctores in omni liberalium disciplinarum genere præstantes. Quid præterea? cœli mira clementia: rerum, quibus alimur suavitas incredibilis et copia. Hæc tibi, optime Duditi, iure prima sunt: iure tot montes superasti, tot flumina transiecisti, ut hæc dimissa statim repeteres. Vives tibi, solutus ab omni cura: vives Deo, contemptis divitiis, abiecta illa gloria, quam falsa prorsus et inanis honorum species ostentat. Quod nisi Deo viveres, nec tibi certe posses vivere; in illo enim uno vera ac solida virtus: hæc, quam quærimus in libris, aut discimus ab hominibus, umbra est. Quocirca hortor equidem te, ut libros evolvas accurate, ut magistris assidue operam des; sed minimum in utrisque pone, nisi tua studia divino cum amore coniungas. Atque hæc me scribentem magnopere delectant; tibi non puto fore legenti necessaria; scribo tamen, et quia te mirifice diligo cupioque esse, qualem pater filium; et quia commemoratione ipsa rei omnium optimæ ac præclarissimæ afficior sic, ut nullam ex ullo sermone aut ex ulla cogitatione maiorem hauriam voluptatem. Nec tu debes officium meum aspernari aut in deteriorem partem trahere, si tibi, etiam rectissime viventi, — sic enim existimo, planeque mihi persuasi, — constantiam laudo. Lubrica est enim adolescentiæ via: labuntur multi, quum aliquantum iam processerint: cursum vero conficit is, qui nititur optimis cogitationibus, ducemque sequitur eum qui numquam errat, communem humani generis parentem, qui tibi omnia bona pollicetur et dabit, quæ nec ab imperatore tuo sperare, nec ab ullo rege licet. De episcopo Agriensi agnosco tuam in me benevolentiam, cui de emblemate gratias agam.

Mariani Lezentii, iuvenis ornatissimi, et Andreæ Patricii, contubernalis tui, talem in me animum amplector: quos cupio a te meo nomine salutari, itemque Polonos ceteros familiares tuos, quorum nobilitas, et, ut audio, virtus Patavinum gymnasium illustrat. Vale; et, quando nos adspectu tuo privas, minue saltem litteris, non hac recentiore Italica, sed illa vetere, omnium elegantissima, Romana lingua scriptis, desiderium nostrum. (Epp. IV: 7.)

Ep. LIX.

EIDEM

PATAVIUM.

Optime Duditi, quid tibi, obsecro, in mentem venit? nostrane imagine tuum putas cubiculum ornari posse? pudet me studii tui et erubui, mihi crede, quum hanc partem legerem litterarum tuarum. Nec tamen, quia tuam facile cupiditatem intelligo, deesse tibi possum. Et cœpta res est et agitur, ut video, satis diligenter: quæ quum erit absoluta, mittetur illico ad te. Ac vellem, posset artifex eodem penicillo animum in te meum una cum vultu exprimere: non dubitarem, quin hanc tu multo magis imaginem diligeres. Non necesse est, inquies: libenter credo: et, quod ita sit, acceptum refero tuæ humanitati; quæ mihi a te impetrat id, quod meritis aut officiis consequi nondum potui. His diebus facultatem ad te scribendi permolestæ occupationes eripuerunt. Ignosce et puta numquam abduci meam ab officio voluntatem, licet opera non exstet. Heri adiit ad me contubernalis tuus Stanislaus Fogelvetrius Cracoviensis; probum adolescentem, præditum litteris et tua plane consuetudine dignum, e sermone iudicavi. Amanter illum excepi, ut natura mea fert; iucunde non potui, quia valetudo non concedit. Cuius benevolentiam si, te, ut arbitror, conciliante, sum adeptus: peto a te, mihi ut eam conserves; et omnino, quicunque a te diliguntur, eosdem mihi cupio mutua benevolentia con-

iungi. Epistolam ad episcopum Agriensem, quamdiu interdiu otii nihil suppetit, dictavi ante lucem amanuensi meo. Eam ad te mitto. Signum tuum, quum legeris, imprime. De gentilibus tuis negotium dedi, et curabitur diligenter. Vale. (Epp. IV, 8.)

Ep. LX.

EIDEM

PATAVIUM.

Video te in iungendis amicitiis præclarum artificem esse: verum cave, ne quid alterutra de parte promittas, quod præstari vix possit, aut, si promittes, ipse ne spondeas: ne quando præter opinionem cogaris dependere. De me ipso loquor: quem tu si putas esse, qui non sum; quod ad me attinet, facile patior: fruatur hoc amicitia nostra privilegio, ut inter nos omnia liceant: sed vereor, ne tua apud alios prædicatio plus nobis imponat oneris, quam sustinere possimus. Patricio tuo scripsi, multis districtus negotiis: et eram animo conturbatior, accepto nuncio de fratris mei summa corporis, aliqua etiam mentis invaletudine. Gentiles tui latent adhuc: eruentur aliquando si qui sunt. Curat enim homo mei cupidus, tum ad hoc diligentiæ genus vehementer aptus. De libris, putabam e silentio meo te coniicere, nihil esse: sed, quando appellas crebro, scies nondum neque ad Iunctas, neque ad alium quemquam pervenisse. Tu vide, cui rem commiseris, et urge litteris, ut sine mora mittantur. Imago coloratur, designatione iam perfecta. Veritatem, nisi fallor, egregie simulatam dices. Vale. (Epp. IV, 9.)

Ep. LXI.

EIDEM

PATAVIUM.

Amo te, quod verecunde petis; sed istam posthac verecundiam abiice, obsecro, si quid aliquando mecum ages; nes-

cis, apud me quo loco sis, aut quo ego apud te esse cupiam: quod si nescis, aut etiam si dubitas, iniuriam facis utrique nostrum. Scripsi ad Sophianum, libenter equidem tua causa: sed invitus ea gratia, quod laborantem — ut audio — gravi morbo, vexari tuo studio nollem. Equidem discrucior, quum ita affectum audio probum iuvenem, mihi amicissimum, Græcarum litterarum scientia sine dubio singularem: sed, quia te fero in oculis, idque sane tuo merito, litteras ad eum conscripsi, quas in hunc fasciculum coniectas quum legeris, si reddendas non putabis, conscindes. Ego nunc, si quid de me scire vis, iaceo, corpore satis afflictus ob capitis gravedinem, sed erectus animo propter spem atque adeo exspectationem vitæ lætioris. Iam enim didici contemnere quæ amabam antea: qua te quoque in sententia cupio esse. Saluta meo nomine contubernales et amicos tuos. Vale. (Epp. IV, 10.)

Ep. LXII.

EIDEM

PATAVIUM.

Respondeo serius litteris tuis, impeditus febricula, robustioribus haud valde metuenda: sed in hac nostra corporis imbecillitate etiam ea, quæ mediocria sunt, non mediocriter timenda. Locum videbis in epistola ad Patricium, ubi ea quæ mones interposui: de quo quid sentias, aveo scire. Gratias tibi agerem de ista voluntate, sed hoc plane respuit amicitia nostra: nec tuum erga me officium assequi umquam possit oratio mea. Meriti enim loco semper apud me fuit bene merendi cupiditas, etiam si res — quod sæpe solet accidere — nulla consequatur. Vale. (Epp. IV, 11.)

Ep. LXIII.

EIDEM

PATAVIUM.

Quid tibi ego præstare possum de iis nulli sunt? quæsitum est perdiligenter: nec tamen ullum omnino diligentia fructum tulit; fingere tibi eos ex argilla possumus, animare non possumus. Quod si liceret, fieret, atque adeo factum iam esset. Nec enim mediocre tuum esse studium intelligo: et ego — ut fatear quod res est — diligo istam in te bonitatem, qui de gentilibus tuis; nulla tuorum commodorum spe proposita, humanitatem modo quandam secutus, tantopere labores. Certe, qui honoribus, aut divitiis, aut opinione virtutis emineant, nulli reperiuntur; quod si quos obscura conditio aut fortunæ tegit humilitas, de iis quærendumne sit, videris: me si consulis, omittes. De pictura lentum negotium: sed illud te non præterit, pictoribus atque poetis. Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. Ita facile mentiuntur verbis, ut coloribus fallere consueverunt hic; qui rem suscepit, diu me promissis duxit, varias nectendo causas, ut ei culpam largirer ignaviæ; nunc imbres accusat, quod recentes colores minime patiantur exsiccari; hoc puto verum, illa non puto: concedo tamen, ut eo utar facili, et impetrem, quæ duo simul a nobis exoptantur, festinationem cum diligentia. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 12.)

Ep. LXIV.

EIDEM

PATAVIUM.

Ita mihi optatâ contingant, ut commentariolo tuo nihil umquam legi eruditius, nihil sanctius, aut ad retinendum catholicæ religionis cultum accommodatius. Itaque quum in ortu solis legere cœpissem, absolvi facile ante horam prandii, opera numquam intermissa. Valde etiam genere orationis

tuæ; res vero ipsa ita me affecit, ut quasi semina quædam veræ pietatis, quæ fructum profecto non mediocrem aliquando ferent, in animo meo reliquisse videatur. Quod quanti esse apud me putas? quanti mehercule immensam auri vim non æstimo. Quid enim cum æterna salute conferatur? Quod si meis apud te precibus locum aliquem reliquit humanitas tua: rogo te etiam atque etiam, ut hoc genere scriptorum, quo quidem ad studium summi boni perpetuæque felicitatis mirifice excitor, impertiri me quam sæpissime velis. Quod si feceris, addictum me tibi multis nominibus, obstringes eo beneficio, cuius delere memoriam oblivio nulla possit. Quod me revocas ad consuetudinem tuam: stimulum scilicet currenti. Sed mihi crede, non plane totus abs te discessi; neque te mihi prorsus eripiunt aut eripient umquam locorum intervalla. Absens tecum sum, tacitus loquor, et loquentem audio; sic lenitur imagine periucunda desiderium nostrum. Quod quum ita sit; opera tamen studiose dabitur, mature ut excurram, quo ire necesse est, si meam fidem tueri volo, et quo tamen, quia disiungor a te, minime libenter eo. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 13.)

Ep. LXV.

E I D E M

PATAVIUM.

Quum de tua valetudine sollicitus essem, curam auxit filioli morbus, quo etiam nunc laborat, nec satis explorata salute. Me quoque leviter febricula tentavit, qua triduo sum, sine medicorum interventu, temperata dumtaxat victus ratione, liberatus. Nunc expediendis negotiis operam do, ut, si amicus noster bonarum ium art patronus, summum illum dignitatis apicem attigerit, quamprimum possimus accurrere; sæpe enim et litteris, et præsenti sermone, cupere se consultum rationibus meis, amantissime declaravit. Mihi autem omnia sunt in eo, ut otio litterato frui liceat, nulla re-

rum domesticarum cura interpellante, quod si assequimur; valeat ambitio; vivemus nobis, et Musis, et eo quidem animo, ut omnia referamus ad Deum, a quo uno felicitas vera pendet. Quod idem tibi videri, ex tuis litteris facile coniicio. Miro teneor desiderio veniendi ad te: sed hanc facultatem multa eripiunt, præsersim æger filius, quem tibi, et pro nostra amicitia, et pro nova coniunctione, esse carissimum, plane mihi persuadeo. Te quidem a morbo confirmatum si audiero, æquiore animo domestica patiar incommoda. Itaque dabis hoc amori nostro, quem tua virtus peperit, alit humanitas atque auget, ut nostra etiam causa tuam valetudinem studiosissime cures. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 14.)

Ep. LXVI.

EIDEM

PATAVIUM.

Silentii mei causam ex iis litteris, quas heri ad te scripsi, quas hodie mane puto tibi esse redditas, iam cognovisti. Quod nisi ita declarassem; tamen mihi dubium non est, quin tu pro singulari tua sapientia et humanitate de mea meorumque valetudine coniiceres. Quid enim aliud me a scribendo abduceret? quo equidem nihil facio libentius: idque tibi, si præsenti fortasse non potui, absenti certe probabo. Tuum adventum avide exspecto: cuius mihi significatio tum eo nomine gratissima, quia te videbo, tum eo gratior fuit, quod optime te valere, etsi tu de eo nihil significes, facile tamen possum intelligere. Quod si ita est, opto perpetuum esse: et, quod opto, id etiam ut sperem facit continentia tua, quam ego in victu — plane loquor ut sentio — valde sum admiratus, et conor etiam imitari. Rerum Romanarum, Pontifice mortuo, conversus orbis est. Itaque, qui decesserant, omnes ad urbem redeunt. Pecuniæ pro Mæcenate illo, ut affertur ad nos, libentius quam pro ceteris, deponuntur: et ad eum denique fore suspicor, ut omnium Cardinalium vo-

luntates inclinent. Vir optimus est, egregie litteris excultus, ingenio miti, et, quod caput est, quum factiones duæ dicantur esse, æquus in utramque. Primum contendetur acerrime. Quid mirum? neque enim — ut ait poeta ille summus inter nostros — levia aut ludicra petuntur Præmia; et scis, omnes homines, quod maxime cupiunt, itidem facile adduci, ut maxime sperent. Ergo multis quasi aleam iacere, et fortunam placebit experiri: quid eventurum sit, et quid magis expediat, uni Deo patet. Certe, nisi firmioribus quam antea præsidiis muniamur; pravarum opinionum incursu vinea Domini dissipabitur. Quod te quoque et suspicari — quia prudentia excellis — et metuere vehementer — quia pietatem diligis — aliquando in nostris sermonibus cognovi. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 15.)

Ep. LXVII.

EIDEM

PATAVIUM.

Quum de tuo reditu ex tuis amicorumque litteris cognovissem; perfusus voluptate sum prorsus incredibili. Subverebar enim, ne te patria tua, experta iam in magnis rebus et animi et ingenii tui præstantiam, abesse diutius minime pateretur. Etiam illud occurrebat, ne te iam satietas Italiæ cepisset; multa cogitabam, — ut amor est — quæ cupiebam esse falsa, et fuisse valde nunc lætor. Capio tamen hanc in iucunditate molestiam, quod ad te quamprimum accurrere non licet. Nam — ut omittam de uxore, cui deesse non possum ægrotanti — confirmare studeo res domesticas, quæ vacillant satis absente me. Quum enim referre me totum ad litteras, quarum est mihi consuetudo iucundissima, plane deliberatum sit: prius hæc, quæ ad alendam familiam pertinent, ita constituam necesse est, ne quando me — quod antea sæpe contigit — de medio studiorum cursu revocare possint. Iam ego in meis consiliis, optime Duditi, ambito-

nem cœpi excludere. Video res humanas sursum deorsum ferri, numquam consistere: celeriter omnia fluere, et exstingui: præter bonam famam, ad quam omnes pervenire cupiunt, sed ignoratione viarum plerique aberrant. Non enim in opibus, aut magistratibus, regumve aulis verum decus habitat. Petendum aliunde est: a rectis cogitationibus, honestis laboribus, studio: et exercitatione virtutis: hæc mihi in animo sunt: quæ si colam arbitratu meo, multa consequar. Primum, ab iis negotiis, quæ mihi negotium facessunt, vacabo prorsus: deinde, — ne me putes desidiæ causa otium cogitare — scribam aliquid quotidie; quo nihil soleo, ubi curarum expers animus est, facere libentius: denique, etiam posteris fructum fortasse aliquem pariet industria nostra. Quid relinques, dicet aliquis, liberis tuis? Non exiguum patrimonium, imitationem mei, et aliquam, ut spero, virtutis hereditatem: eadem scilicet, quæ reliquit mihi pater meus. Non abundabunt. Nec id postulo; nec illi si sapient, postulabunt: modica poscit, ut honeste, id est feliciter, vivatur, hominis natura: reliqua sunt instrumenta nequitiæ. Cupio tibi, mi Duditi, qui ætatem tuam prudentia anteis, probari meum sensum: cupio meum iudicium tua sententia confirmari. Quamquam quid exspecto? index animi sermo est: porro in sermonibus quotidianis quid tu habes in ore, quid extollis, præter studia doctrinæ? Quæ te video quum tecum loquor, vel quum tua scripta lego, tractasse diligenter; verumtamen hoc ipsum, quod habeo satis exploratum, mecum te sentire, si significabis, pergratum erit. Ego, nisi occupationibus premerer assiduis, quas animo potius quam corporis viribus sustineo, explerem te crebritate litterarum. Verum ne sic quidem, pro tuis in me officiis patiar in hoc genere prorsus abs te requiri studium meum. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 16.)

Ep. LXVIII.

EIDEM

PATAVIUM.

Vobiscum ut agatur, scire cupio, Patavii commorantibus: nos hic languemus, afflicti caloribus perpetuis, quibus equidem graviores non memini. Uxor mea nondum ex puerperio convaluit: infans bellissime habet, et incipit iam blandientibus arridere. Quid quæris? admodum scitus est: quodque amare solemus in pueris, hilaritatis habet multum. De tuo adventu suadeo consilium mutes, neque te istinc, furente Canicula, æstu non ferendo, commoveas. Faceres enim valetudinis incommodo; ac, si valetudo, studia tamen tua non ferrent. Verum hoc prudentiæ tuæ totum sit, in qua tibi neminem antepono. Ego, pro mea in te singulari benevolentia, non modo quid vellem, verum etiam quid sentirem, testatum esse volui. Aristotelem cum Cicerone mitto, utrumque satis apte compactos ab artifice perito. Video quid agas; inanem eloquentiam contemnis; et indisertam philosophiam non amas: utramque vis coniungere, ut misceas, quod ait poeta Venusinus, utile dulci: quo minus me, eadem cogitantem, et recessum otii causa quærentem, reprehendere debebis. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 17.)

Ep. LXIX.

P. MANUTIUS ANDREÆ PATRICIO,

PATAVIUM.

Næ tu rationem tui indicandi percommodam iniisti. Ego enim, non cuiates homines sint, quibusve terris ac regionibus profecti, sed quibus moribus, quo ingenio, qua doctrina præditi, soleo quærere: et, ut olim Hannibal, qui hostem feriret, Carthaginiensem sibi fore dicebat, sic ego totum in una virtute constituo. Epistola tua ita loquitur, ut nullam in te patiatur aut humanitatis aut doctrinæ partem desiderari. Itaque ne te posthac Sarmatam potius quam Romanum dixeris:

tametsi Sarmatia iam ita feritatem, si qua olim fuit, et quæcunque fuit, abiecit, ut ex transalpinis nationibus nulla nunc neque ad litteras, neque ad benignitatem mutuaque officia dicatur esse propensior. Italia vero nostra, in qua vigebant olim artes bonæ, in qua summis ornata præmiis eloquentia primas aliquando partes obtinuit, ita veterem illam quasi formam videtur amisisse, vix iam ut agnoscatur. Simulacrum dumtaxat aliquod in libris relictum est, cuius excellentem pulchritudinem animo intuentes admiramur, et studemus imitari: præsentem effigiem oculis frustra quærimus. Tu autem, doctissime Patrici, si qui nunc antiqua Italia digni reperiuntur — qui quam pauci sint, quaque id accidat culpa, non dubito quin intelligas — his te ut adiungeres, præstantiumque virorum numerum augeres, plane mihi, quum tua scripta lego, et quum eos, qui tecum vivunt, de te loquentes audio, videris esse consecutus: quo nomine tibi gratulor plurimum, et patriæ tuæ, in quam referes gloriam omnibus thesauris omnibusque omnium regum triumphis præferendam. Ego autem, cuius amicitiam in tuis litteris blanda quadam mearum laudum commemoratione videris aucupari, quum tua merita, quæ ego sentio esse maxima, modeste nimis dissimulas et extenuas, mea vero nimis liberaliter amplificas atque extollis, nisi te tam nostri amantem redamem, nisi multis ornatum virtutibus omni studio colam, quis me sit inhumanior? quis iudicii magis aut etiam rationis expers? Equidem, quid de te sentiam, quantique apud me sis, officiis conabor ostendere; sin, ut mea tenuitas est, hoc præstare non potero; tu tamen, ut spero, de mea voluntate tibi persuadebis id quod cupere videris, te mihi esse ac semper fore carissimum. In quo profecto, nisi ego meam in amicitiis diligentissime tuendis consuetudinem dediscam, tua te numquam fallet opinio. Vale. (Epp. IV, 19.)

Ep. LXX.

EIDEM

PATAVIUM.

O præclaram ὑπόϑεσιν: nec vero tuam humilem aut obscuram orationem, sed erectam piis affectibus, mirificeque sententiis ac verbis illustratam. Nunc demum te, Patrici, vere eum, qui vocaris, agnosco, hoc est, a plebe seiunctum, quæ libenter oculos ad terrena demittit, nihil altum, nihil homine dignum suspicit. Nam certe reliqua studia opinione potius, quam re, nituntur, speciem quandam inanem, solidi nihil habent: hæc vero, quæ te video arcte esse complexum, nec, puto, umquam dimittes, æternam non modo famam, sed salutem quoque pariunt. Agnosco in tuis institutis præclaram consuetudinem, egregiaque studia, numquam satis laudati, Cracoviensis Episcopi, Andreæ Zebridonii; cuius ex perpetuo multorum annorum convictu, quotidianis sermonibus, consiliis, probitate, doctrina, quasi divinis legibus, formasti animum tuum, atque excitasti ad excellentem rerum æternam cupiditatem; ut facile constet, quum tua te ad verum decus natura duceret, doctissimi tamen ac sanctissimi viri exemplo vehementer esse incitatum. Equidem, ut tibi vehementer gratulor, cuius omnis in amore Dei defixa cogitatio si ita, quum in eos intueor, qui falsa rerum imagine decepti, toto pectore contendunt ad ea comparanda, quæ sæpe molesta possidentibus, interdum etiam perniciosa sunt; misereor, et ingemisco. Quod utinam industriam aliquando meam, et, si quod in me est, ingenium simili in argumento liceat exercere: nam nunc quidem voluntas, optima spectans, et in quam debet partem propensa, multis tamen impedita rebus languet; sed speremus. Sic enim nihil difficile, si consenserit Deus; ut nihil facile, si abnuerit. Is porro, quum abesse putatur longius, et destituisse nos in mediis calamitatibus, tum adest proximus inscientibus, et ereptos ex miserrimo statu collocat in solio regum. Hæc ego sæpe mecum solatii causa, quo sæpe in-

digeo: et capio voluptatem, quod epistolæ quasi allocutio tulit ut eadem tecum. Remitto orationem. Lege amicis tuis, et quam potes multis communica; ut recte sentientes confirmentur; si qui autem ab optima causa desciverunt, ad sanitatem traducantur. Vale, et Andream Duditium, contubernalem tuum, summi adolescentem ingenii, meo nomine salvere iubeas. (Epp. IV, 20.)

Ep. LXXI.

P. MANUTIUS GILBERTO COGNATO,

PATAVIUM.

Amo veritatem, deinde me ipsum: illam spectare ante omnia soleo, mihi autem libenter quidem, quatenus tamen liceat, indulgere. Itaque nec accipere debeo, quas in me laudes contulisti, nec, ut ingenue confitear, reiicere plane possum. Nam bonis viris artiumque liberalium scientia claris equidem placere velim, cum eo tamen, ut nolim quemquam nimis esse in mea laude liberalem. Tu autem in tuis litteris ea mihi tribuis, quæ non modo si agnoscam, sed propemodum, si optem, modeste parum agere mihi videar. At Muretus ita sentit. Utinam quidem: sed officium, potius quam sententiam, esse puto. Quis enim me minus ignorat? qui, quam diu Venetiis fuit, vel mecum habitaverit, vel mea consuetudine frequenter admodum sit usus: nec is est, quem iudicium fallat, præsertim in litteris, quas tractat assidue, novit egregie: verum ei facile persuadet humanitas, ut iudicium amicitiæ largiatur. Sed, sive te Mureti oratio, tam honorificam de me opinionem ut susciperes, adduxit; sive mihi hoc abs te, ut tu scribis, mea studia, ut ego sentio, tua bonitas impetrat: persuade tibi, non exiguum me statuere ornamentum in amicitia tua, quum et ipse possideas illas virtutes, quarum fama benevolentiam conciliat, nomenque nostrum ab interitu vindicatum, cum æternitate coniungit; et principum virorum doctrinaque præstantium

floreas amicitia; quodque me non leviter movet, in Gulielmi Budæi, eruditissimi hominis, ac de litteris optime meriti, contubernio per aliquot annos vixeris. Ac vellem mihi parem voluntati suppetere facultatem: fructum ferres haud mediocrem studii erga me tui: observantiæ vero in te meæ, quam tua virtus peperit, satis esset illustris, ac minime dubia significatio. Quod ipsum tamen, utut est, fortasse consequar: nam et studio nitar: et ad perficiendi spem plurimum quidem, velle optima, solet afferre. Vale. (Epp. IV, 21.)

Ep. LXXII.

P. MANUTIUS DIONYSIO LAMBINO,

PATAVIUM.

Neque negare audeo tibi, homini eruditissimo, cuius ego plurimi semper amicitiam feci, neque, si pollicear, præstare possim id quod a me petis. Premor enim domesticis oneribus, et typographiæ cura, sic mehercule vix ut sustineam: vacuæ tantum ab opere mihi relinquuntur horæ vespertinæ: sed eo tempore, tum defatigatus laboribus ac fractus, quietem quæro necessariam; tum vere succedit oculorum dolor, isque ita gravis, non modo ut legere, aut commentari, sed nec domesticos audire sine magna molestia possim. Ita nobis traducitur dies, atque adeo noctis maior pæne pars. Non enim prius hac levamur capitis gravedine, quam sol, medio iam antipodum orbe decurso, incipit ad nos recurrere, et in ortu suo demum valetudinem mihi alacritatemque restituit. Quod si respirare aliquando licebit; aures tibi meæ patebunt, non in horas modo, sed integros etiam dies: quid enim mihi iucundius, quid etiam utilius, quam tecum de litteris agere, tuaque maxime tractare scripta? De quibus quid existimem, Muretus noster testis est. Nam quum ad me, octavo, opinor, abhinc anno, in Judecæ suburbano habitantem, ignotum antea de facie, voluntario

adductus officio, adiisses; humanitatem simul et doctrinam tuam eadem hora perspexi. Tunc ego te cœpi et diligere et prædicare: nec desinam utrumque facere, quam diuturna mihi dabitur usura vitæ: quandoquidem nec tu desines esse tui similis, id est, quum optimus vir officioque excellens, tum vero tantus in virtute, quantum cum egregia natura singularis industria potuit efficere. Interim peto a te, meis occupationibus ignoscas, et voluntatem in te propensam, licet absit res, tamen ames. Vale. (Epp. IV, 22.)

Ep. LXXIII.

P. MANUTIUS PETRO,

PATAVIUM.

Nihil mihi pro mea in te benevolentia, meoque de te iudicio, potuit accidere, quod minus vellem, aut quod minus opinarer, quam id quod proximis diebus audivi: quum diceret nescio quis, non te perinde ut solebas, in optimarum artium cupiditate versari, sed languere quotidie magis: adeoque præclara illa principia, quæ, me quidem sæpe et multum cohortante ac monente, posueras, esse labefactata, nihil ut a te eximium, nihil quod vulgare non sit, exspectari posse videatur. Equidem neque plane credidi, quod a tua consuetudine tam valde dissentiret, neque tamen plane non esse credendum id existimavi, quod ut accidere possit, quum in ætatem tuam intueor, verisimile mihi sit. Quod si contra quam ego cupio factum est, ut paullulum te a virtute disiunxeris, et in dubia ac perdifficili iuventutis via quiddam offenderis; agnosce tuam culpam, et corrige, dum licet: non enim, quæ dies confirmavit, facile mutantur. En habes, qui te suo excitet ad virtutem exemplo, æqualem tuum, exquisiti adolescentem ingenii, Antonium Lauretanum: quem debes, quum nobilitate pares, nec naturæ fortunæque bonis dissimiles admodum sitis, æquare etiam, aut imitari saltem, in studiis artium optimarum. Sin autem est ut volumus;

et ista, quæ de te rumor dissipavit, inania sunt: noli laborare, quid alii loquantur; cogita quid ipse facias et a te ipso pende. Magna solet esse iucunditas, quæ manat ex optima conscientia: hac tu fruere, et perge, ut cœpisti, in studiis liberalium disciplinarum; quarum est quum possessio vitæ æqualis, tum fructus eiusmodi ut etiam ad posteros pertineat. Vale. (Epp. IV, 23.)

Ep. LXXIV.

P. MANUTIUS ROMULO CERVINO,

PATAVIUM.

Itan' ego tibi ex animo effluxi, ut unam tribus mensibus epistolam ad me dederis? Occupatus, inquit, sum. Quo in genere? nempe in litteris: num igitur tibi a litteris animum videris abducere quum epistolam texis? mihi quidem numquam minus: quin hoc ipsum, quod ego nunc in te desidero, si contemnis, id est, si ita legis, ut numquam scribere animum inducas: litteræ iacebunt. Quodsi me a principio rectissime monentem audire voluisses, teque si non quotidie, saltem alteris diebus scriptioni dedisses: Dii immortales, quos tu nunc fructus ederes, quam præstantes, quam uberes, quam et te ipso dignos et fratre tuo, in omni genere laudis excellentissimo! Nunc, quos progressus hac in re fecisti, non ego quidem illos, quasi tardioris ingenii, reprehendo, neque reprehendere quisquam potest: sed tamen illud quod ego a te olim exspectavi, maius aliquanto fuit, quam hoc, quod tu nunc præstas. Neque vero id quo te iampridem sumus hortati, et quo brevi esse perventurum credidimus, eiusmodi est, ut facile quivis posse consequi videatur: sed cogita, præclarum fere nihil esse, quod idem difficile non sit: et tamen difficultates omnes ea quæ in præstantibus ingeniis facile existit, gloriæ cupiditas vincit. Cuius rei noli exempla petere ab antiquitate: adspice fratrem tuum; qui, ut Antimacho poetæ Plato sic tibi

omnium instar esse potest. Numquid igitur illum existimas tantos labores aut suscepturum fuisse, aut, quum suscepisset, ferre potuisse, nisi veræ laudis eum spes aliqua identidem quasi allevasset? Quam quidem spem dum sequitur, vides quo pervenerit; gradum tenet dignitatis, qui est a summo proximus: et de summo quid homines augurentur, intelligis. Perge, mi Romule, iisdem itineribus ad decus. Magna sunt bene agentibus præmia constituta. Quam tu facultatem quando habes maximam, noli contemnere: ne paullo post amissam frustra queraris: hæc enim, quæ nunc habemus, qui scit quam diu sumus habituri? vides ut avolent horæ, quæque nobis commoda præterlabentes auferant. Itaque opportunitates, dum adsunt, ita debemus amplecti, quasi non eædem semper affuturæ sint. Qua in sententia te quoque existimo esse, cupio quidem certe, ut quum exspectationi de te concitatæ, tum fratris tui, summi viri, laudibus aliquando respondeas. Quod facile consequeris, si te ipse colliges, et, quo consilio Patavium accesseris — quam urbem scis habitam semper esse doctrinæ domicilium — assidue cogitabis: et, quamquam non dubito, quin memoria bona sis: tamen, quoniam hæc posterior epistola tua, quam ad me XV. Kal. misisti, cui ego XIV. respondi, non tam est luculenter scripta, quam vellem, potius multo minus, quam vellem: vereor, ne tibi illa, quæ ego tecum olim de Latinæ linguæ observatione sum locutus, quæque ipse mihi te esse facturum pollicitus es, penitus exciderint; quæ, si putas e re tua esse ut a me iterentur, excurre ad nos, et hoc quidem animo ut, quam diu Venetiis futurus es, cupio autem ut diutissime velis, apud me diverseris. Ac noli vereri ne, ego te Patavium crudiorem remittam: non ita de nostris hospitibus male meremur. Cœnæ erunt quæ de lautitia delectare, non quæ copia possint offendere: quæ quidem imprimis sermone bono et perfamiliari condientur. Quod tu quanti facias ignoro; ego quidem huic iucunditati nullam antepono. Vale. (Epp. IV, 24.)

Ep. LXXV.

P. MANUTIUS VINCENTIO GILIANO, VENETIAS.

Quam multa non modo contra voluntatem, verum etiam præter opinionem homini contingunt: numquam putavi fore, ut humanitatem tuam requirerem: — adeo mihi et multa et perillustria studii erga me tui dederas argumenta — nunc aliis me quotidie salutantibus, aut certe consolatorias, in meo casu, opemque pollicentes litteras mittentibus, ipse tamen neque scribis quidquam, neque mecum habendi sermonis facultatem quæris. Quod viris nobilissimis concessi, tibi, pro multis ingenii tui suavitatibus, proque nostra non nuper instituta sed iam inveterata necessitudine, numquam denegassem. Optavi, inquies, sed optanti pudor obstitit. Agnosco modestiam tuam; nec mediocriter probo: veruntamen decet aliqua ortam a virtute amicitiam confidentia. Erant autem, cur me conventum cuperes, causæ minime vulgares, primum Jasonis mei de Nores, viri omnium, quos ego in vita noverim, optimi, atque humanissimi, reditus in hanc urbem: deinde Davilæ nostri, — quem ego quanti faciam, et tu et omnes pæne iam norunt — ægrotatio. Quæ quum hesterno die cognoverim; cupio tamen certius abs te aliquid significari: varie enim afficior, et amicissimi hominis adventu — cuius in consuetudine plurimam mihi statuo iucunditatem — et eius viri morbo, cui debere omnia videor, quia, quod in ipso fuit, operam dedit, ut me sibi non exiguo propinquitatis vinculo in perpetuum obstringeret. Neque enim, licet mutuam veriusque voluntatem frustrata fortuna sit, iccirco tantam in me benevolentiæ significationem parvi pendendam existimo. Animus mihi pro te erit: meque ille sui memorem beneficii, sic enim appellare debeo, aliquando sentiet. Hæc sunt, mi Giliane, cur te velim. Accedit illud. Affines suos Cardinalis Carpensis, qui de studiis meis non pessime existimat, cupit elegantibus litteris expoliri. Optima conditio, nec minus honorifica.

Itaque statim de te cogitavi; quem excultum liberali doctrina, moribus emendatis, comem et facilem in convictu cognovi: nec tamen audeo sperare. Urbis enim Venetæ tranquillitatem nimis amas, et otio libenter frueris erudito: sed si a te non impetro; odorare saltem, et indaga, si quem eo loco dignum alicunde licet eruere. Inibitur a Cardinali gratia non vulgaris: de quo tibi hoc affirmo, patronum esse bonarum artium his perditis temporibus prope singularem: qui si, ut augurantur plurimi, ad illa summa pervenerit; redibunt, mihi crede, aurea tempora, et debita litteris aliquando præmia persolventur. Vale. (Epp. IV, 25.)

Ep. LXXVI.

P. MANUTIUS FRANCISCO MORANDO,

VERONAM.

Ita valeam, itaque tecum vivam, quod utrumque pariter exopto, ut cydonite tua nihil adhuc gustavi suavius; versibus autem, quos una misisti, nihil umquam legi purius, nihil ornatius. Quare gratiam habeo tibi quidem, ut debeo, maximam, aliquam tamen etiam imperito artifici superioris anni, cuius culpam, de qua tecum eram questus, lucro meo non mediocri tua compensavit humanitas. Quod si artifex idem est, quemadmodum verba tua significant: non ab eius ingenio, sed ab amore in me tuo novum genus artificii, nova fluxit industria. Itaque magnam ad officia erga me tua quotidie fieri accessionem intelligo. Ex quo voluptatem equidem capio tantam, quantam eius, qui doctrina, ingenio, omni denique laude, libero homine digna, excellat, perspecta benevolentia afferre maximam potest. Veruntamen, quia me prorsus omnis in summa remunerandi voluntate facultas deficit, angor nonnumquam intimis sensibus, et iniucunde vivo. Sed neque futurum despero, ut, quo in te sum animo, re ipsa aliquando perspicias: et, si parum optatis meis, ut fere consuevit, fortuna responderit, me-

moria saltem, perpetuoque erga te studio, non officiis modo erga me tuis, sed virtutibus etiam eximiis dedito, cumulate mihi satisfaciam. De tua valetudine, quæ mihi perinde ac mea curæ est, a patre tuo, prudenti viro, quæ cupiebam, fere cognovi: de studiis ex te ipso, id est ex litteris tuis, quarum elegantia mirifice delector, aliquid cupio scire. Orationem in funere habitam doctissimi ac nobilissimi hominis Ludovici Nogarolæ, cuius obitu non mediocriter dolui, audio laudari; sunt etiam qui tuam existiment; quod libenter credo: sic enim faveo tuæ gloriæ, ut fratribus fortasse tuis, præterea quidem concedam nemini. Vale. (Epp. IV, 26.)

Ep. LXXVII.

P. MANUTIUS LÆVINO TORRENTIO,

LEODIUM.

Puto tibi molestum iam esse silentium meum: at mihi silentii causa longe molestior: nam toto fere biennio neque corpori valetudo, nec animo quies contigit. Ita, qui absentes amicos litteris saltem colere consuevi, iucundissimam mihi consuetudinem intermittere, et in officii cursu languere sum coactus. Quodsi secus existimas, nec tibi mea fidem facit affirmatio: testes habeo studii erga te mei non equidem valde locupletes, sed eos tamen, quibus tu libenter credas, probos viros, communes amicos: a quibus et quæsitum est aliquando, me mandante, de tuo statu; et, quum id, quod avebam maxime, cognovissem, esse te in oculis Leodiensi Episcopo optimo, eidemque principi eximio, auctum esse commodis, ornatum dignitate; factum est, quod ignorare te arbitror, ut levationem malorum meorum in tuis bonis aliquam invenerim. Atque equidem revocare me ad institutum meum, et aliquid ad te scribere cogitabam, quum tuæ me litteræ oppresserunt, quibus commendas mihi modestissimos, et summæ spei adolescentes, Joannis Cauchi filios,

doctissimi et ingeniosissimi hominis, ut equidem sentio, tuo primum testimonio, deinde scriptis illius; quæ qui legerit, nullius præterea testimonium requirat. Quo libentius operam meam filiis eius et pollicitus sum, et detuli. Qui quum ad me adeunt, te simul intueor, et impellor magis ad omnem humanitatem memoria tui: nec potest esse quidquam iucundius, quam ut eorum studiis commodisque serviam: et, si præstabo aliquid, ita lætabor, quasi beneficium acceperim in officio meo. Erat in iisdem litteris tacita quædam admonitio promissorum meorum: quæ si non persolvo, mihi crede, tanti viri virtute, tanti principis dignitate deterreor. Nam, ut egregium aliquid moliamur, consequi tamen neque per ingenii nostri tenuitatem, neque per fortunam licet. Hanc excusationem probari a te cupio, nec omnino despero: sin urgere pergis, auctore te aggrediar, utcumque cadat. Potest enim fieri, ut quemadmodum multa contra quam speramus, item hoc fortasse, contra quam timemus, eveniat. Quod si quid offenderimus; primum, illud fore non dubito, tua nos ut sublevet auctoritas; deinde, te ipso culpæ socio, feram levius. Hæc mihi cautio placet, utinam tibi. Sed, si mihi in amore respondes, tibi quoque: de quo tuas litteras exspecto. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 27.)

Ep. LXXVIII.

P. MANUTIUS LAURENTIO GAMBARÆ,

PATAVIUM.

Basilii Zanchi, poetæ summi, hominisque non vulgariter eruditi, miserabilis et indignissimus interitus hilaritatem mihi prorsus omnem eripuit. Quem enim donare summis præmiis ob excellentem virtutem, decorare honoribus ob singularem integritatem atque innocentiam, æquum fuit; eum tam ignominiose vexatum, tam acerbe, tam crudeliter exstinctum, quis non ferat iniquissime? Equidem, ut audivi, etiam dolore tuo vehementer dolui. Nam et vixistis una

semper coniunctissime, alter alteri egregie carus: et fuit uterque vestrum ad poeticam facultatem natura propensus ac mire factus: ingenio vero ita pares, ut, quum nemo tam bonus poeta sit, quin vobis primas in componendis versibus partes tribuat: quam confessionem etiam ab invitis exprimit poematum comparatio, uter tamen utri præstet, nondum satis iudicare quisquam possit. Magnam igitur planeque fraternam inter vos tum ingeniorum similitudo, tum studiorum communio benevolentiam excitarat: nec dubito quin te, licet humanæ conditionis minime rudem, obitus eius valde perturbarit, animumque tuum ita deiecerit, ut extolli fortasse ad æquitatem neque celeriter neque facile possit. Quo gravius morte illius afficior: et, ut omnia mente pervestigem, nullam tamen inire doloris allevandi rationem queo. Unica, opinor, illa consolatio superest, quam tibi quoque fore gratissimam scio, ut, si convictu perpetuo privamur, tamen inter nos ita crebro colloquamur, ut hanc mæroris acerbitatem, qua pariter affligimur, quotidianæ consuetudinis mutuæque benevolentiæ suavitate leniamus. Quod ut quam maturrime consequamur, tu pro tua, ego pro mea parte diligenter operam dabo. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 28.)

Ep. LXXIX.

P. MANUTIUS NICOLAO NATHANÆLO,

VENETIAS.

Perculerat me graviter acerbus ille nuncius de navi a piratis abducta, qua vehebatur in Cretam exquisita multorumque nummorum bibliotheca parentis tui: quum ex eo casu iacturæ plurimum tulisse res et fortunas vestras intelligerem. Nunc me prorsus ab eo mærore, quem mihi vestra calamitas attulerat, ad lætitiam incredibilem revocarunt litteræ tuæ. Scribis enim erudiendi curam adolescentis nobilissimi, Aloysii Mocenici, tibi esse demandatam. In quo

sane, pro ea, qua te sum complexus benevolentia, multis nominibus tibi gratulor: primum, quod eum, qui facile possit illustrare disciplinam tuam, excellentis ingenii adolescentem, mirifica, ut audio, virtutis indole præditum, sapientiorem etiam, quam ætas ferat, nactus sis: deinde, quod ab eius patre, Leonardo Mocenico, equite clarissimo, quo nullum in hac urbe vel prudentiæ, vel liberalitatis, vel omnium denique virtutum, quæ nobilem virum deceant, exemplum habemus illustrius, fructum diligentiæ tuæ minime vulgarem potes exspectare: postremo, quod in ea domo vivis, in qua omnia, vetere maiorum norma, ad honestum et ad dignitatem referuntur; quo præstantes et usu magnarum rerum et doctrina viri quotidie confluunt; unde prudentiam, unde optime vivendi rationem petes. Persequi omnia, quæ tibi divina benignitas obtulit, difficile est: sed mihi crede, quum tua causa velle, tuisque favere commodis non ignoras, nihil isto munere ne fingi quidem a te potuit aut fortunis tuis utilius, aut studiis accommodatius. Itaque, si me audies, omnia, quæ frustra sæpe expetuntur, bona in una Leonardi Mocenici benevolentia constitues: cuius tibi comparandæ cave tempus amittas: confer huc omnem industriam, ut eius filium, tuæ diligentiæ commissum, in quo pater tali filio iure fixit omnes curas, ita instituas atque excolas, ut eam laudem, ad quam natus præcipue videtur, adiuvante illius ingenium studio tuo, brevi consequatur. Habet autem hoc virtus, ut, a quibus illam accepimus, eos in omni vita diligere cogamur: et est optandum, ut ab iis maxime diligamur, qui non opibus modo valeant, sed ad benignitatem etiam natura propendeant. Quæ si in ulla civitate, profecto in hac nostra, et, si in ulla familia, in ea potissimum, et in eo viro, cui tuam in re præclara operam addixisti, summa cognoscitur. Vide igitur, quid susceperis, cuius familiæ gloriæ servias, quid fides, quid existimatio tua, quid honor etiam meus quodammodo postulet: qui tibi sæpe, nec tamen gratiæ causa, sed adductus iudicio, testimonium impertivi probitatis, et scientiæ non modo Græcæ, verum etiam

Latinæ linguæ: quarum alteram magistro patre tuo, Joanne Nathanælo, sacrarum litterarum peritia vitæque innocentia cum antiqua illa Græcia, quam numquam fama deseret, conferendo: alteram nonnihil e sermonibus fortasse nostris, e studio quidem tuo, tuisque vigiliis maxime cognovisti. Hæc si tibi omnia, ut spero, ante oculos pones; vinces te ipsum in diligentia; operamque dabis, ut in familia nobilissima, cuius patrocinio nullum certius ad eas temporum procellas, quæ humanæ vitæ impendent, perfugium reperies, egregium virtutis et industriæ tuæ monumentum relinquas. Vale. (Epp. IV, 29.)

Ep. LXXX.
EIDEM
PATAVIUM.

Falsus hic etiam de Rainutii Farnesii Cardinalis obitu dissipatus rumor erat: quo sum gravissime commotus. Nam in illo viro, qui se iam inde a puero ad exemplum avi sui, Paulli III. Pontificis omnium sapientissimi, totum finxit, non adumbrata, ut in multis, sed expressa signa virtutis elucent: et nunc, ut audio, suas omnes in Christianæ pietatis cultu cogitationes curasque defixit. Quo mihi erat bonisque omnibus acerbior illa fama, quæ multorum sermone de immaturo et inopinato illius interitu percrebuerat. Angebar etiam fratris eius, eximii viri, Alexandri Cardinalis nomine: cui multis iam annis eam viam ingresso, quæ ducit ad verum decus, artiumque optimarum studia, suis opibus hac ætate præter cæteros foventi, tantum eripi præsidium, tantum auferri domesticæ laudis, magnopere dolendum videbatur. Gratulor igitur, illo incolumi, liberalibus disciplinis; gratulor omnibus, qui virtutem et probitatem prima ducunt; præcipue vero tibi, quem et Alexandri Farnesii Cardinalis valde studiosum, et erga sui similes, hoc est, erga eos, quibus illa, unde manat honestum, sola placent, præ-

elare animatum cognovi. Refrixit iam, vel plane exstinctus evanuit pervulgatus ille rumor; vivit, et valet, cui lacrumas tamquam mortuo dedimus; quem, si fieri posset, immortalem esse omnes cuperent. Te quoque bene firmum esse, et ex illo valetudinis incommodo emersisse, represso iam sanguine, qui tibi ex oculo dextro multus effluxerat, mirabiliter gaudeo. De quo mihi quum narraret familiaris tuus, prima statim auditione sum percussus: posteá, quum idem reliqua persequeretur, animum recepi, et ab omni metu curaque respiravi. Huius morbi causam non dubito quin medici, quos habes istic scientia instructissimos, usu peritissimos, in studia conferant. Quod si ita est; remove, obsecro te, libros omes ab oculis tuis. Nam, donec eos videris, certo scio, quod mihi sæpe contigit ægrotanti, temperare tibi non poteris. Vale. (Epp. IV, 30.)

Ep. LXXXI.

EIDEM

PATAVIUM.

Narro tibi: iam non amo verecundiam. Quum enim mihi potius nihil esset, quam ut filium meum,— libet enim de mare ominari — ad sacram baptismatis aquam susciperes: tamen, dum obsequor pudori meo, nec te talem virum maximarum rerum occupatione distentum, appellare audeo, commisi imprudens, ut officii laudem ipse præriperes. In quo sane et peccasse me, et luere merito peccati pœnam confiteor. Quid enim mihi non permisit, quid iam elargita non est humanitas tua? quam a me aliis prædicatam ignorare ipsi fortasse tibi sum visus. Valde tamen recreor significatione amoris tui: et nostram amicitiam, quam studiorum similitudo peperit, hoc etiam affinitatis quasi vinculo adstringi, vehementer lætor. Nam et res ipsa eiusmodi est, ut benevolentiam utrimque augeat: et mihi ad hominum opiniones accidere speciosius aut honorificentius nihil potest. Totus igitur in

ære tuo sum; ita de me meritus es, ita quotidie mereris. Quodsi tibi pateret animus meus, profecto non locari pessime tuam gratiam intelligeres: quam si non possumus remunerando, — nec enim aut fortuna tua patitur, aut voluntas exspectat, — prædicando saltem illustrabimus. Mihi certe ipsa memoria, perpetuoque erga te studio satisfaciam. De reditu meo verbum scilicet exspectas: iam discedo: itaque per aliquot dies litteræ cessabunt. Amanuensem tuum amo plurimum. Videor enim mihi agnovisse manum optimi atque honestissimi adolescentis, Francisci Secundi: cui de tua consuetudine etiam atque etiam gratulor; nam invidiæ locum amor non relinquit. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 31.)

Ep. LXXXII.

P. MANUTIUS FRANCISCO SEVERO,

ARGETENSI, FERRARIAM.

Et me laudas in epistola tua, nec mediocriter quidem; et meam amicitiam, quæ tua humanitas est, valde videris expetere. Ego autem, etsi me delectat, ut ait ille, laudari a laudato viro, tamen ea, quæ mihi tribuis, quum esse verissima cupiam, non agnosco. Dilexi equidem adolescens veterem eloquentiam: nec voluntatem ætas, studium, occupatio, sæpe etiam valetudo minuit: sed, excellere in re omnium, ut ego sentio, præstantissima, cuius negotii sit, cuius ingenii, non modo experiens ipse intelligo, verum etiam ex inani multorum industria coniicio. Non enim, qui severior in me ipso sim, nec mihi amicior, quam veritati, aliis blandiri gratiæ causa debeo. Unum hoc in nobis fortasse iure laudes: si modo laude dignum est: equidem, quasi aliquid sit, interdum mihi gratulor; quod, et quales olim fuerint ii, quos in oratione Latina cupimus imitari, quibus ingeniis, qua doctrina, qua etiam exercitatione præditi, et quis ego sim, vel potius, qui hodie simus omnes, facile possum existimare. Quocirca, si vetera spectas, mutes licet

sententiam de me tuam, floruit antiquitas eloquentiæ gloria: nos iacemus. Sin hæc recentia tibi proponis, non omnino me, quantum in hoc studio profecerim, pœnitebit. Nec tamen tibi assentiar, ut me omnibus Latine scribendi facultate confitear antecellere. Possum aliquid, vel etiam multa in aliis desiderare, neminem in hoc genere laudis eximium ducere; est enim hæc fortasse non ingeniorum culpa, sed temporum: non ideo tamen sequitur, ut insolenter arripiam, et induam ipse, quæ aliis tamquam spolia detraxerim. Ut in musicis, artem ipsam exercere, non facillimum est: artificem autem peritum ab inscio distinguere, tacito aurium sensu plerique omnes solent: item ego, quam legendis assidue ac perattente hominum eloquentissimorum libris conceptam in animo recte scribendi formam intueor, eam exprimere et assequi scribendo, nunc quidem nullo modo possum, ac vereor etiam, ut umquam possim. Verum enim vero, quod a sapientibus viris proditum legimus, numquam male ponitur industria præstantibus in rebus. Laudatur enim vel sine re voluntas; qua ego interdum spe incitor ad studia; et, si nihil aliud, tu me certe, Severe optime atque eruditissime, hoc ipso, quod tantopere laudas, ad laudem vehementer impelleres. Magni enim facere videris Romani sermonis elegantiam: et, quod tibi leve non est eximiarum artium scientia instructissimo, id a me nequaquam esse contemnendum intelligo. Accedit illud, quod epistola tua ita loquitur ornate, ut a rhetore, non a medico, quem te esse profiteris, et quem præstas egregie, scripta videatur. Quod indicat ingenii tui præstantiam. Quum enim, ut audio, philosophiam sis universam animo complexus, præcipue vero medicinam tractes, et ita tractes, ut cum paucissimis excellas: valde sum miratus, unde istam Latinæ orationis tam concinnam, tam uberem, tam illustrem facultatem sis consecutus. Quare, quo tu nomine subvereri visus es, ne ego tuam ad me amandum valde propensam voluntatem parum libenter exciperem; quum eloquentiam tuam verbis dissimules, re ipsa ostendas: eo ipso nomine sic incensus tui studio sum, ut ad

meam instituendæ tecum amicitiæ cupiditatem accedere nihil possit. Quod autem negas esse quicquam ad amorem conciliandum amore ipso efficacius: ita tecum sentio, si virtus cum amore coniungatur: sin eum, qui diligit, nihil præter nudam voluntatem commendet, non probitas morum, non doctrina, non ars aliqua liberalior: valde videro. Sed istuc quidem tua minime refert: quis enim te vel non amantem amare nolit, quem esse tam amabilem, litteris, humanitate, integritate, sentiat? Sed videlicet Socratice mecum agis: ironia te delectat: quum in eo ipso, quod tibi detrahis, tua te refellat oratio. Ego tuum erga me animum pari animo complector, et fovebo officiis, quantum in me erit: neque me patiar, quum reliqua apud te omnia superiora esse concedam, etiam humanitate vinci. Vale, et Joanni Baptistæ Pignæ, homini in primis erudito, et ingenioso, cuius de imitatione poetica egregios libros avide exspecto, salutem meis verbis. Venetiis. (Epp. IV, 32.)

Ep. LXXXIII.

P. MANUTIUS MARIO CORRADO,

BRUNDISIUM.

Multis iam mensibus nihil ad te literarum dedi nec mihi tamen venit in mentem subvereri, ne quam tibi nostra indignam amicitia suspicionem silentii mei diuturnitas attulerit. Mihi quidem nihil scito esse iucundius epistolis tuis: quas quum lego, delector mirifice amore in me tuo, delector etiam ingenio et scribendi elegantia, in qua tibi, — non loquor *εἰρωνευόμενος*, — paucissimos comparo, antepono neminem. Atque equidem, si per utriusque fortunam liceret, nihil malim, quam assidue tecum esse, totosque dies in tuo sermone consumere. Quod tamen quin aliquando sit futurum, quum in tuas litteras intueor, imaginem animi tui nonnullam ostendentes, prorsus non despero. Ego satis diu feriatus a studiis sum, invitus: sed quis necessitati non pareat? nam, quæ

me causæ non modo libros, sed patriam quoque relinquere coegerint; aut habes fortasse iam cognitum, litteris edoctus familiarium tuorum, qui adire interdum ad me officii causa solent; aut, si ignoras, quid ego tibi exponam? cui si quid a me accidat iniucundum, dupliciter angar, incommodo meo, molestia tua? Nunc id commentor, ut certam aliquando rationem ineam otii constituendi, et vivam humaniter: quod te quoque video cogitare, et, si volueris, assequere. Bovios fratres, tua prædicatione commotus, amo vehementer et observo. Qui si mihi, ut significas, aliquid tribuunt: est quod gaudeam placere me præstantibus viris, quorum in iudicio et benevolentia ornamenti et commodi mihi statuo plurimum. Tu velim, quod ad amorem studiumque attinet, de me illis omnia promittas: ego, quæ promiseris, præstabo. Fructum etiam fortasse aliquem degustabunt studiorum nostrorum. Liceat modo esse otiosis; id quod agimus, et futurum speramus. Vale. (Epp. IV, 33.)

Ep. LXXXIV.

P. MANUTIUS PETRO CELSO,

VICETIAM.

Una eademque manus vulnus opemque tulit. Plane enim mihi videor, quod de Achillis hasta in Telephi vulnere traditum est a poetis, idem ad tuas epistolas posse convertere. Affeceras me graviter, nunc idem recreas, et abstergis omnem molestiam iucundissimis litteris, in quibus elucet humanitas tua, quam obscuraverat paullulum animi tui subita commotio, indigna certe meis in te neque paucis neque vulgaribus officiis, quorum testes apud me custodiuntur litteræ tuæ. Itaque rediisse te ad eam comitatem quæ cum tua natura, et cum iis studiis, in quibus totos dies eximia cum laude versaris, magnopere congruit: ita lætor; ut nihil umquam senserim hac voluptate iucundius. Quodsi tibi meum ingenium aliquot mensium consuetudine satis exploratum non est; non

dubito, quin absens intelligas, et eo cernas illustrius, quo longiora nos terrarum intervalla disiungent. Non enim in te fortunam diligo, quam soleo contemnere, sed quia fortunam tua virtute superas: contra quam multi; quorum oculos auri argentique splendor ita præstringit, ut pulchritudinem virtutis intueri nullo pacto possint. Quo equidem sensu ac iudicio meo delector multo magis, quam Ciceroniana illa eloquentia, quam tu mihi, ioco fortasse, obiecisti: quum tamen, tibi quoque eam minime displicere, tuorum scriptorum elegantia significet. De discessu tuo, quamquam ad tuam voluntatem accommodare consilia mea minime liceat, cupio tamen mihi tempus definiri. Vale. (Epp. IV, 34.)

Ep. LXXXV.

P. MANUTIUS JOANNI SAMBUCO,

PATAVIUM.

Non mediocre amoris argumentum, quod de filiolo gratularis, et sperare te significas, ut patri etiam orationis Latinæ facultate antecellat. Quid? ergo ille tibi magnum videbitur præstare, si opinione et fama nos anteierit eloquentiæ? Ego illi, qua primum hora editum in lucem vidi, bonam mentem precatus a Deo sum. Hoc nobis debet esse antiquissimum; et, hoc ei si contigerit, reliqua iure contemnet, aut, si voluerit, facile consequetur. Mea vero studia si imitabitur, quæ certe, quod fateri sine arrogantia possum, ad honestum referuntur: aditus ad laudem difficiles non habebit; quo mihi studiose contendenti fortuna semper nescio quo meo fato viam interclusit. Veruntamen, mi Sambuce, quum tua tuique similium fruar benevolentia, quid desiderem? quid potest esse amicitia iucundius? quid etiam fructuosius? quum et amant inter se boni viri, et est inter eos quasi certamen amoris et officii. Equidem, de te quid sentiam, si ad te ipsum scriberem, certe scio, qui tuus pudor est, le-

geres invitus. Testem tibi do iudicii mei gravem adolescentem, et valde si quid vis: nihil enim tribues immerenti, Andream Duditium: quem cognovi tuis laudibus, me narrante, etiam atque etiam lætari. Quod si tenerem artem eloquentiæ, sicuti tu in epistola tua, amore potius quam iudicio effusus, existimas, sane coloribus egregiis imaginem tuarum virtutum exprimerem: voluntatem vero illam, et præclaros conatus ad augendas fortunas nostras, de quibus postridie, quam a vobis discessi, quiddam in sermone Duditius significavit, mehercule sic ornarem, ut nihil esse posset illustrius. De quo quia tam amanter cogitasti, gratias agerem, et, ut perpetuo cogitares atque ageres cohortarer, si hoc humanitas tua, illud amicitia nostra pateretur. Utut autem res ceciderit, — a te enim principia sunt, exitum præstare non potes, — partes meæ non requirentur. Prosequar enim vel beneficium laude, vel animum certe tuum memoria sempiterna. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 35.)

Ep. LXXXVI.

EIDEM

PATAVIUM.

Ego vero, accepto nuncio de obitu filioli mei, ita sum perturbatus, ut me tamen hominem esse meminerim, et illum in hanc vitam, tamquam in hospitium, ita esse ingressum, ut accitu summi Dei, æternum illud cæleste domicilium petiturus, aliquando discederet. Quodsi me casus iste nec opinatus ita perculisset, ut omnino iacerem: excitarer tamen prudentia literarum tuarum, in quibus de luctu minuendo disputas egregie, tuamque declaras tum homine Christiano dignam bonitatem, tum erga me benevolentiam singularem. Verum ego optime Sambuce, multis iam infortuniis hoc sum assecutus, ut fortunam ipsam didicerim contemnere. Quæ mihi, ut eripiat reliqua, numquam adimet ea, quæ nec

ipsa dedit, nec dare cuipiam potest, rectam mentem, optima studia, pietatem in Deum. Præclare actum opinor cum filio meo. Fruitur conspectu et consuetudine cælestium animorum: non angitur curis, non spe ducitur, nihil timet adversum. At nos, qui dicimur vivere, quibus hac falsæ lucis usura nihil est carius, quam multa exercent? quid laboramus, quid cupimus, quod etiam si contingat, animus acquiescat? itaque vere sapientes homines, non ut diu, sed ut recte et cum virtute viverent, optare soliti sunt. Quod equidem conor, et, ut spero, consequar; nihil enim magis cogito, nihil specto, quam ut serviam studiis meis, et ita vivam, ut vitæ rationem Deo simul et hominibus aliquando possim reddere. Quare, quum me vocas ad scribendum, confirmantur consilia mea iudicio tuo. Ac tu quidem in hoc officio cohortandi facis idem, quod multi; quibus facile possem satisfacere, si per domestica negotia liceret. Sed, obsecro, nolite ex otio vestro meum spectare; vobis enim certa et expedita sunt omnia: mihi unicum est vectigal industria mea: qua liberos alere, tueri familiam cogor. Et, si negligam, deseretur humanitas: sin, ut debeo, diligenter curem, iacere studia necesse est; quæ solutum curis omnibus animum postulant. At, inquies, ipsa tibi studia fructum ferent. Cane aliis cantilenam istam, mores ac tempora ignorantibus: mihi non persuadebis experto: vetus illa principum virorum benignitas exaruit; inania plerique sequuntur, nihil solidum amant, nihil magnificum, nihil illustre. Vides alios, quasi perdendis tantum frugibus nati sint, immanibus epularum sumptibus opes exhaurire: alios quasi etiam homines ipsos, non modo fruges, perdere pulchrum sit, thesauros effundere, collectos acerbissime, in ea bella, quæ vastitatem agris, urbibus incendia, humano generi, aliena stultitia miserrimo, cladem et exitium importent. Musæ interim ubique locorum algent, neglectæ ab iis, qui fovere eas ut maxime poterant, ita maxime delebant. Etiam illud indignum, quod exsistunt, qui specie liberalitatis gloriolam aucupentur; et eam virtutem, a qua longissime absunt, quasi familiarem suam, sic

in ore habeant, ut amare videantur. Verum hæc, aut etiam nimium fortasse multa. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 36.)

Ep. LXXXVII.

P. MANUTIUS BENEDICTO ACCOLTO,

CARDINALI, FERRARIAM.

Summo studio maturabam Ciceronis editionem: omnino id erat causæ, cur ego rarius, quam debeo, ad te scriberem. Sed mehercule nec res erat, de qua possem scribere; de publicis enim non licebat: de privatis autem quid est quod delectare te possit? gravibus morbis, annona et bello, universa fere civitas affecta contabescit. In his malis pacem omnes, tamquam unicum remedium, expetebant; quæ si daretur, amissas vires recuperare difficile non erat. Arbitrabar, quum Ciceronis epistolas emisissem, fore ut Ferrariam possem excurrere. Id ego, primum honoris causa ut te viserem, optabam: deinde, ut tuis doctissimis sermonibus fruerer, quantum per humanitatem tuam liceret, per quam certe licuisset plurimum; novi enim, quæ tua sit quum facilitas, tum in me benevolentia. Sed nostræ voluntates, ut navigandi cursus, quandoque commutentur, necesse est, nisi fortunarum nostrarum fieri naufragium velimus. Itaque ut exirem meas res quum vidi non ferre, mutavi rationem; et, quamquam eram occupatus, tamen feci, ut hanc epistolam mitterem, quæ te, meam vicem, quasi salutaret. Ea ne hoc officium loco non præstaret, ad Octavium nostrum, iis litteris, quas ad ipsum dedi, alligatam misi, qui tibi redderet, quum vacuus esses; quod ille, qui et commodissimus et prudentissimus est, non vereor quin effecerit. De meis rebus si quid audire vis: ut in adversis pessime non habent: haberent optime, si pietas esset in iis, in quibus maxima, si quid merita valent, esse debebat. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 39.)

Ep. LXXXVIII.

P. MANUTIUS ANTONIO MERLO,

VICETIAM.

Ego quoque quiddam inaudieram superioribus diebus, sed contempsi. Nunc me movet, quod audies — Artibus effectum nescio quorum, — de Petro nostro certe vix ponitur: vix, autem? prorsus non opinor, — ut hic rumor serpat longius. Primum hæc vulgo iactata ferebam: post etiam ad Cardinalis aures pervenerunt; quod mihi accidit molestissimum: nec dubito, quin is iam non idem sit. Quodsi ille eadem cum Episcopo, cuius ingenium præclare novi, communicaverit: actum est. Me quidem et illa angit cura, quod vereor ne fama diffluat, et Perusina conditio, satis opima, satis honorifica, fortasse in dubium vocetur. Cornelius rem curat diligenter, ut video, fide certe et amore singulari. In hac sum sententia: si spes non dubia, ut urgeamus; sin, desistamus ab incepto: ne cupiditatem nostram sine fructu, fortasse etiam cum aliqua mercede, prodamus. Mitto ad te Gratii poema de Venatione, paulo durius, nec omnino cum Petri Bargæi carmine conferendum, qui hoc argumentum sex libris non minus eleganter, quam copiose persecutus est. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 43.)

Ep. LXXXIX.

P. MANUTIUS JOANNI SAMBUCO,

PATAVIUM.

Quod fratrem tuum Georgium Bona, florenti adhuc ætate exstinctum, immoderate luges; ignosco mærori tuo; nec tamen laudem tribuo. Dolere enim fratris interitu, et eius fratris, quo nemo amabilior, nemo fuerit virtute præstantior, hominis est: modum autem dolori nullum constituere, numquam lacrumis abstinere, numquam ex animo mæstitiam pellere, Sambuci non est. Periit frater: iure com-

moveris: ægre enim divellimur a natura coniunctis: quod ego quoque sum expertus. Periit is, qui familiam nostram, qui patriam, qui provinciam universam ornare vehementer suis laudibus, et illustrare poterat. Hoc quidem exspectandum ab eius virtute fuit: sed magnam habet Fortuna vim: ea sæpe, nobis ad eximiam laudem contendentibus, transversa incurrit, sæpe nostra studia debilitat, sæpe moratur industriam. Quo de genere quid ego te doceam, doctissimum virum, cui prope infinitam exemplorum vim vel Græca monumenta, vel etiam Latina suppeditant? florem igitur virtutis amemus: erepto ante maturitatem fructu, quando hoc singulare non est, sed commune cum multis, modice feramus. Quid, si ne dolendum quidem est? omitto enim historias, ad philosophiam te voco. Quid igitur illa præcipit? si quid casus afferat, leniter accipiendum: — nec enim, ut aliter accidat, in nobis est, — si quid culpa contractum, angi æquum esse. Certe enim, qui ad præclare agendum nati simus, ideoque mente et ratione præter cæteros animantes, instructi, tantis bonis abuti, et quasi a natura desciscere turpissimum est. An tu igitur, mori, quasi aliquid turpe, reprehendes? quod si non turpe, nec dolendum: nisi si quis ita vixerit, ut nihil umquam homine dignum præstiterit. Quod abest longissime a fratre tuo: qui probitate, ingenio, studiis artium optimarum, prudentia etiam adolescens ita excelluit, ut eum Pannonia pæne cuncta viventem unice dilexerit, mortuum laudibus et memoria prosequatur. Quæ quum tibi veniunt in mentem; iniquus profecto nimis in te ipsum es, nisi luctum minuis, et ex animo dolorem penitus evellis. Quin te decuit maxime, qui totos dies ponas in iis libris, unde vitæ moderatio, unde animi tranquillitas petitur, ad propinquos, ad amicos in Pannoniam eiusmodi litteræ, in quibus illi sitam esse non minimam sui doloris medicinam intelligerent. Nam vir eximius, Nicolaus Olahus, Archiepiscopus Strigoniensis, qui Georgium, et quia sorore sua natus erat, et quod in eo summa virtus enituit, in oculis gestabat, non dubito, quin tanti vulneris remedia sumat a se ipso: quem non modo ætas et usus maxima-

rum rerum erudierit, verum etiam prudentia quædam naturalis, quæ plane vincit omnem artem, numquam a constantia discedere patiatur. Nec tamen vereor, ut, qui mihi paucis ante mensibus in filioli mei obitu consolationem adhibueris, idem tibi in tuo casu mederi aliquando non facile possis. Quod si facis: fructus apparebit studiorum tuorum; et Georgii fratrem agnoscemus; cuius ingenium, ac mirificam prudentiam oratio illa, luculenter in primis a te scripta, declarat. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 46.)

Ep. XC.

P. MANUTIUS LAZARO BONAMICO,

PATAVIUM.

Ego vero et audivi de tuo casu, et tuam vicem mirifice, neque minus publicam, dolui; veritus enim sum, ne tecum simul litteræ concidissent, nunc, quando te iam ambulare scribis, ita tamen, ut scipione utaris: gaudeo, eoque magis, quod in ista ætate morbi diuturnitatem pertimueram. Sed, quia non plane animum meum liberas a cura, quum pristinas vires nondum recuperaveris, rogo te, Bonamice, quanti optima studia facis, quæ tibi facienda sunt plurimi; quandoquidem ab iis tuæ laudes emanarunt; tantum adhibe in te curando diligentiam. Vides enim, neminem fere esse, qui, si quid tibi acciderit humanitus, rudem barbariem a Latinæ linguæ finibus arcere possit. Plautum a me emendatum, quem a me petis, dabo operam, ut cum his ad te litteris mittam: sed, ut eum in multiplici meorum librorum congerie statim reperiam, sperare vix audeo. Ego ut scis, hanc satis gravem provinciam suscepi; tenui conditione, inquies. Fateor, sed ne tua quidem, si tuarum virtutum merita spectentur, satis optima. Quid agas? his temporibus anguste virtus habitat; bene tamen de suis civibus mereri, præclarum est. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 49.)

Ep. XCI.

P. MANUTIUS GULIELMO PACCIO,

PATAVIUM.

Silentii mei, quo tecum diu satis usus sum, non exponam hic tibi causam pluribus verbis: ne si id faciam, videar et tibi ipsi, qui nihil adhuc ad me scripsisti, eandem quasi legem imponere. Itaque hanc partem prætermittam: in qua si peccatum est, utriusque certe est; ego autem spero me posthac et benevolentiam tibi meam, et diligentiam hoc genere officii probaturum: modo ne litteras elegantes, quales videlicet Patavii, a summis ingeniis elaboratæ, tibi ostenduntur, a me exspectes. Ita scribam non modo ut quod in mentem, sed plane quicquid in buccam venerit, in epistolam coniiciam. Non enim is sum, qui unumquodque verbum ad trutinam, ut dicitur, revocare vel soleam, vel possim; aliorum ista superstitio sit, mea quidem non erit, præsertim in epistolis: quæ si, ut ait ille, nihil habent simile neque iudicio neque concioni; quid refert utrum dichoræo conclusus, an aliter verborum ambitus insistat? Splendidior, inquiunt, nec paullo, aptior ad movendum, si numerosius desinat, oratio videtur. Recte: nec ego secus existimo: quem tu tanti facis, eum ego magistrum sequor. Quid igitur ille? *Epistolæ nostræ debent interdum alucinari:* nempe, quod iis negligentia quædam, quum ad familiares scribitur, etiam ornamento sit. Ita igitur tecum agam, ut si essemus una: et, quemadmodum præsentes quacunque de re sermones familiariter serere solemus; sic in scribendo, nulla certa proposita sententia, libertatem illam et quasi negligentiam imitabor. Quod si reprehenderis, tacitum non feres. Præstat enim male scribere, quam omnino, quod a te fieri video, nihil scribere: quum hoc voluntatis fortasse vitium sit, illud ingenii, quod ipsi nobis fingere non possumus. Vale. Venetiis. MDXXXIII, pridie id. Jun. qui mihi primus dies est anni XXI. (Epp. IV, 50.)

Ep. XCII.

P. MANUTIUS PAULO MAGNULO,

PATAVIUM.

Quum me vides præter institutum meum litteras ad te non tam sæpe quam solebam mittere; nimirum, etiam me tacente, quam sim occupatus, intelligis. Ternas te dedisse scribis; omnes accepi: nihil amabilius: his autem recentioribus etiam nihil elegantius. Sic enim censeo, recte eum, et Latine scribere, non qui pauca multis, sed qui multa paucis. Quo ego in genere aliquando posse cupio, tu, ut video, iam potes; tribus enim versiculis quid non complecteris? Tuam narras in scribendo diligentiam, meam obiurgas negligentiam; de meorum librorum instauratione recte me admones, de tuorum venditione aperte; denique otiosi nihil est: sententiæ numero prope, quot verba: ut mihi, quemadmodum promiseras argumentum satis superque dederis. Sed meæ cessationis causam, ut dixi, coniicis ipse per te; libros autem meos prope adest quum editurus sum: de tuis egi diligenter, et ago; si quæris, quid profecerim; nihil adhuc: sed spem non abieci; quamquam incredibile est, quam difficile sit ab istis pecuniam exprimere; quem eventum res habitura sit, ignoro: a me nihil omittitur, quo minus et ex sententia conficiatur, et quam citissime. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 51.)

Ep. XCIII.

EIDEM

PATAVIUM.

Putasti fore ut ego te abeuntem litteris prosequerer? non tu id quidem umquam; convenerat enim, ut argumentum a te exspectarem. Argumentum igitur potest exspectare meus in te amor? quo nihil uberius nec est, nec umquam

fuit; itaque statim, ubi tu profectus es, quum me repentina quædam voluntas excitasset, arripui calamum: neque sum veritus ut me scribentem sententia deficeret. Hui, quam multa iam nunc mihi veniunt in mentem! sunt, quæ possim scribere, levitates amatoriæ. Quorsum, inquis? mecum habebo: neque tibi, neque cuiquam edam; volo enim parcere amicitiæ, qua mihi sunt cōniuncti, qui tam suaviter, ut ipsi putant, vivunt; ut ego sentio, delirant. Sunt enim item σκιαμαχίαι quædam, et militaria munera populo data, taurorum venationes, saltatorum lusus, personatorum ineptiæ. Quid quæris? sexcenta: quæ mihi, et benevolentia nostra suppeditat, et familiaritas permittit ut scribam; quia tamen leviora sunt, omitto, ne gravem philosophum offendam. Porro, de meis rebus quod exspectes, nihil est; mutationem nullam fecerunt a discessu tuo. De te, quæ scire velim, hæc sunt, quomodo te redeuntem amici illi tui, libri scilicet, acceperint, num eo ipso die ad eorum consuetudinem te dederis; an potius, dum hæ bacchationes deferuescant, in hortis cum Epicuro, quam in gymnasio cum Aristotele, velis vivere. Et, quum hæc scripseris, adde verbum, si me amas, de pugiunculo illo tuo: quo ego te impeditum, et alligatum ense quum vidi discedere, non tenui risum. Ac volui pungere te dicto; sed veritus sum ne tu rustice me gladio. Epistolam habes iocationis plenam; qua te esse delectatum cognovero, si miseris ipse pleniorem. Vale. (Epp. IV, 52.)

Ep. XCIV.

EIDEM

PATAVIUM.

Non facile dixerim plusne voluptatis an doloris ex epistola tua susceperim; est enim mihi gratissimum quum et me a te amari et te amore in te meo delectari perspicio. Ex

quo fit ut litteras tuas, benevolentiæ plenissimas et officii, iucundissime legam. Quum vero te vel angi video, vel aliquid triste cogitare; sic afficior ut acerbissime vivam. Sed utinam, quanti ego consilium tuum semper feci, tanti item ipse meum fecisses. Profecto in has molestias, in quibus hodie versaris, non incidisses. At, inquies, illa perpeti malum erat. Malum, nisi, istos ferre, longe peius sit: quorum quidem iniurias tum ex eorum, qui istinc veniunt, sermonibus, tum ex litteris tuis facile cognovi. Quæ quo magis intolerabilia sunt, eo clarius tuæ prudentiæ lumen ostendas oportet: neque committas, ut invidorum, malevolorumque perversitas plus apud te, quam existimationis tuæ ratio, valuisse videatur. Quamquam ego, quum hæc scribebam, satis intelligebam, quis ad quem: sed amorem meum, qui tibi præsenti perspectissimus fuisset, etiam apud absentem, quoquo modo licuit testatum esse cupiebam. Atque hoc loco mihi veniunt in mentem, quæ tibi proficiscenti futura prædixerim; quæ ego non aliquam somniorum imaginem, aut alitis cantum secutus, augurabar: sed, quod istiusmodi hominum naturæ plus etiam, quam vellem, exploratæ mihi erant, iccirco, ne illa acciderent, quæ nunc evenisse audio, timebam. Sed uteris, ut spero, fortitudine animi tui: et, quæ iniqui ad ignominiam tuam comminiscuntur, ita feres, ut non solum in vetere optimorum studiorum cursu, fractus animo, ne consistas, sed vehementius etiam veræ gloriæ cupiditate incitatus, propositum tibi decus assequare. Me in omni fortuna tui amantissimum, tuæque laudis fautorem, atque adeo, quantum in me erit, amplificatorem habebis. Vale. Venetiis. (Epp. IV, 53.)

Ep. XCV.

P. MANUTIUS SILVESTRO ALDOBRANDINO.

In iis litteris, quas ad Angulum nostrum XVI. Kalend. Sext. dedisti, valde mihi scripta urbane visa est illa pars, in qua nescio quid de me per iocum, sed cum quadam tamen amoris nota, significasti. Gaudeo, me tibi usque eo esse familiarem, ut etiam facetiis lacessas: quo in genere si perges, gratiam referemus: ne tu homo ingeniosus nos tardiores impune commoveris; mihi cum amico tuo recte convenit; doctum hominem cognovi, bonum virum esse audio. Hæc quum sunt in hominibus transalpinis, amorem conciliant: quanto magis in nostris? At in litteris aliquando dissensimus; ego vero nonnihil etiam a parente meo: neque tamen parentis manibus eam, quam debeo, pietatem minus præsto, opinionum enim dissimilitudo tantum abest a simultate, ut sæpissime, non modo qui sententia discrepant, in amore consentiant; sed etiam, qui simultatem exercent, iudicio congruant. Quare amove istam ex animo tuo suspicionem, meque cum illo ita crede esse reconciliatum, ut posthac ab eo, etiam si dissentiendi causa sit, dissentire tamen nolim. Hic, ut in tantis caloribus, non iniucunde vivimus: urbis mirifica elegantia: cœli summa salubritas: si quando æstus maior est, quam ut ferre possimus, confugimus ad aquas: innixi utribus inflatis, remoto loco, nos inter nos ludibundi flumina perambulamus. Quid quæris? si te haberemus, ad summam voluptatem nihil deerat; sed animus tamen meus, quem tu, credo, cantionibus quibusdam tibi addixisti, pervolat magna spatia terrarum, et te insciente sæpe tecum est. Itaque non ego prorsus te careo: nam si minus sermone, adspectu certe tuo fruor, dum de te cogito. Quodsi aliquando contigerit, ut etiam sermone possim; næ ego collocutionum nostrarum fructum, intervallo temporis amissum, ita repetam, ut ne studiis quidem parcam tuis: in quibus audio te post nostrum discessum magna quædam effecisse. Caput etiam illud litterarum tuarum Cardinalis Accoltus

ostendit: in quo ita scriptum est, paginas te circiter octingentas iam implevisse commentationibus iis quas in Pandectarum libros texis. Puto magni laboris esse, magnæque difficultatis: sed si considerabis quæ tibi præmia proposita sint; vinces omnia. Petis immortalitatem; quam multi sequuntur, tu iam pæne manibus apprehensam tenes. Vale. (Epp. IV, 55.)

CHR. LONGOLII

EPISTOLÆ SELECTÆ.

Ep. I.

CHR. LONG. HIERONYMO FONDULO S.

Legi epistolam tuam stomachi et querelarum plenam, in qua multis mecum verbis expostulas, quod ita cessationem meam pusilla quadam epistola apud te purgarim, ut scriptorum tuorum rationi interea non pepercerim. In extremo autem me ad literas tuas reiicis, iubesque ut pro ingenio meo iudicem, ecquid in illas præter inanes voces et ieiuna quædam verba, coniecisses. Ego vero, mi Fondule, nihil umquam huiusmodi me neque ad te scribere, neque in epistolis tuis notare memini. Genus earum semper probavi, pure enim loquebantur: officii, diligentiæ, humanitatis plenæ. Ut mihi nunc quidem mirum sit, tibi homini non inepto, in mentem venisse suspicari, idcirco me tibi rarius scribere, quod literas tuas, quibus respondeam, indignas existimem. Ipse de te quam tu bene sentias, nescio: me quidem parum nosti, qui te a me contemptum putes. At enim dixi, litteras tuas nullam mihi scribendi materiam attulisse, hoc ipsum illud est scilicet, quod tibi stomachum fecit, quod tantum bilis commovit. Equidem quum ad singulas tuas epistolas cuperem, sed vel necesse non esset, vel quid responderem non satis occurreret, desideravi nonnumquam in eis pleniorem scribendi sententiam. Sed quæ tandem tua in eo culpa? non ulla profecto magis quam mea, qui me argu-

menti penuria excusarim, præsertim quum tu me negligentiæ tam graviter accusares. Non audeo equidem tibi homini occupatissimo oneris quicquam imponere: sed si quid pusillæ illi meæ, et veteri epistolæ commisi, diligentius attendes, videbis nihil causæ fuisse, cur tu verba mea durius quam vel animi mei simplicitas, vel naturæ tuæ moderatio postularet, interpretarere. Quodsi eorum, quæ tum tibi misi, non sum plane oblitus, culpam profecto omnem literarum mearum silentii in me unum contuli. Tantum a te petii, ut si crebriores a me vel uberiores etiam velles elicere, ipse tu mihi istinc aliquod scribendi argumentum suppeditares. In quo si tam graviter, quam quidem literæ tuæ ostendunt, offendi, quid iam mihi faciundum sit, non sane habeo. Taceam? at eo tu me nomine accusas. Excusem? at tu non modo excusationem meam non accipis, sed de eo ipso peracute quereris, quod me purgem. Expostulationi tuæ respondeam? at vereor, ne satisfactione mea offendare, qui tam facile indigneris, morem tibi statim non esse gestum. Omnino ignosci mihi abs te, vel in aliena culpa, peterem, nisi id superioribus litteris frustra tentassem. Sic igitur puto faciam, obiurgabo ipse te, qui prudentiæ humanitatisque tuæ oblitus, hominis tibi amicissimi animum, sine causa abs te alienes. Sed profecto non alienabis. Qua enim sum in tuendis amicitiis constantia, querelas istas, vel delicias potius tuas omnes humaniter feram: nec si tu iniquior in me esse perges, ego te amare ea re desinam: tantum vicem meam dolebo, qui quum te tanti faciam, quanti haud scio an neminem, iniustiorem te tamen, quam mea erga te benevolentia mereatur, experiar. Dolenter hæc ad te magis, mihi crede, quam iracunde scribebam, quum ecce tibi a P. Bembo literæ, quibus ille me de tuis in nos studiis et officiis certiorem faceret, simul et iuberet, ut gratias tibi per literas agerem, quod Io. Pinum, currentem quidem sua sponte illum, sed tuo etiam iudicio tribuentem plurimum, ad complectandam causam nostram incitasses. Itaque mihi gravissimum fuisse officium tuum scito, idque ut ipse tu aliquando intelligas, operam

me daturum tibi velim persuadeas. Sed non faciam, ut tibi gratias ambitiosius egisse hic videar, quam vel tua exspectet humanitas, vel patiatur amicitia. Tantum habeto, præstaturum me tibi re melius, quam verbis memoriam benevolentiamque quam debeo. Impertire meis verbis multum salutis, et Quint. Lælio Maximo, et Fur. Mario Molsæ nostro. Vale. Patavii XII. Cal. Ma.

Obsignata iam diu epistola, atque propter repentinum Bembi nostri ab urbe discessum, multos a me dies in manibus habita, accepi literas tuas, ad IV. Cal. Mai. Romæ datas, in quibus quod scribis de P. Prisoo nostro eiusque adventu mirifice delectatum esse, equidem valde gaudeo. Quod autem eum communibus etiam amicis notum commendatumque esse voluisti, in eo vero mihi tam gratum fecisti, quam quod est gratissimum. Spero enim et mihi tanti viri amicitiam istic amplam fore: et illi ipsi veteres nostras necessitudines, quæ a nobis tantopere celebrarentur, visum iri non indignas. Tu quas ad eum Hieronymumque Alexandrinum do literas, statim reddendas curabis: simul et Pino nostro de ista fortunæ dignitatisque accessione meis verbis gratulabere. Iterum Vale.

Ep. II.

C. LONGOLIUS PETRO BEMBO S.

Pollicitus sum tibi superioribus literis, quod commendatione tua profectum esset, id primo quoque tempore ad te scribere. Nihil igitur, ut nunc quidem est, adhuc profecimus: neque id ipsius tamen culpa, qui se nihil tua causa non facturum Bolduco recepit, sed mea quodammodo ignavia, qui nondum hominem conveni. Veritus primum, non accersitus ad eum, qui occupatissimus esset, accedere: deinde, ne si literis tuis fretus, quas ille a me non accepisset, ultro accederem: contra atque inter nos convenerat, idque ipsum neque loco neque tempore facerem. Postremo, metui, ne me multam Græcis literis operam aliquando dedisse alicunde

rescisset. Est enim eo in Græcos animo, quo ille qui ad villam suam Græca via ut iret, animum inducere numquam potuit. Iocari me putas? serio tecum ago, si quidem vera sunt quæ audio. Audio autem hominem sibi persuasisse, ut quisque optime Græce sciat, ita esse nequissimum. Nequissimum autem? Imo vero etiam indoctissimum. Itaque si commendationem tuam renovandam esse mea causa putabis, velim eum commonefacias, nihil me minus, quam optime Græce scire. Quod si diligenter feceris, et verum mehercule scripseris, et me magna invidia liberaris. Atqui nec te item illud lateat velim, quod mihi hoc ipso in genere perquam ridiculum accidit. Postridie eius diei quam Bolducus literas tuas illi reddiderat, descendebam in forum, et spei et animi plenus: quum ecce tibi incurro in prætorem ipsum et urbis præfectum, purpuratos ambos, ac magno comitatu ad eam quam incolimus urbis regionem proficiscentes. Ego qui me quum mea sponte illi antea satis esse commendatum arbitrabar, tum vero commendatione tua gratiosissimum iam esse iudicabam, statim suspicatus sum eos ad me, quo vel benevolentiam suam erga nos testatiorem, vel commendationem tuam illustriorem facerent, officiose venire: tamen quum neque pudor meus ferret, ut cum tantis viris temere congrederer, et mihi etiam honorificentissimum fore ducerem, ut ii domum meam ventitasse dicerentur, de via paululum ad lævam deflecto: M. Ant. Flaminium, qui mihi unus comes hærebat, identidem, num quonam illi? rogitans: quo negante, Quin igitur dum hi cum toto absunt comitatu curiam spectatum imus, nondum a me per otium visam? Id eo consilio commentabar, ut ibi fabulæ exitum exspectarem. Redeunt illi tandem: ego me in litigantium turbam coniiciens abdo. Iam enim me et meæ ambitionis pudebat, et quod eis domi præsto non affuissem, pænitebat: Quo ad ædes nostras accedebam propius, eo magis tacitus mirari, neminem nobis occurrere, qui rem tantam nunciaret. Ingredior: solitum ubique silentium percunctor: nullum de prætore verbum. Quid multa? cœpi ipse aliquando mecum et stultitiam

meam ridere, et quod erat, statim coniicere; nihil illi minus quam res meas esse curæ: quod quidem pro animi nostri facilitate æqui bonique fecimus, et si res coget, posthac etiam facturi videmur. Paucis antequam has ad te darem diebus, rumor hic erat, te rem tuam bene gessisse: sed is etiam raucus factus est, et ad me non satis constanter perlatus. Tu si quid erit, quod amicis tuis iucundum fore iudicabis, aut scribes ipse, aut aliorum certe literis id nobis quoque significandum curabis, et valebis. Nos enim ita ut quum maxime et valemus et studemus. Quum has ad te scriberem, cogitabam Venetias animi causa, unde ad te literarum aliquid fortasse dabimus. Ex urbe Patavio. Id. Octob.

Ep. III.

C. LONGOLIUS FURNIO MARIO MOLSÆ S.

Exercebar trigonali pila domi cum M. Antonio Flaminio, quum Nicolaus Machælus salutem utrique nostrum tuis verbis attulit. Quem quum rogassem, ecquid a te aliud: nihil sane, inquit. Aderit enim propediem ipse. Sic tamen literarum aliquid a vobis interim exspectat. Quid ita inquam, siquidem continuo congressuri sumus, nec ille præter salutem quicquam? Hic quum ille conticuisset, ego ad M. Antonium, Tu Flamini, quid tibi sit licitum videris: ego ad istum scripturus non sum, qui neque me literis suis dignum umquam iudicavit, et accusatoris nostri nomen immortalitati commendavit. Scripsi has tamen statim quum paululum a lusione respirassem, mi Furni: ne vel tu id a me serio dictum existimares, vel ego te in eo imitarer, de quo te potissimum subaccusare soleo. Quamquam mehercule, quod scriberem nihil plane erat: nisi, nobis adventum tuum in summa esse exspectatione: cuius quidem rei me primum suis literis certiorem fecit Fl. Chrysolinus, deinde Q. Lælius Maximus: quem Quinti prænomen secutum esse arbitror,

quod Quintiæ alicuius, ut tu Furniæ, consuetudine istic teneatur. Sed hæc et nostro more iocati sumus, et coram liberius ridebimus. Tu modo fac venias: venies enim exspectatus, non mihi modo, qui quam libenter multas horas tecum ponam atque suaviter traducam, ipse meminisse potes: sed familiaribus etiam nostris omnibus, in primisque St. Saulio, et M. An. Flaminio: quorum alter per me salutem tibi ascribi, alter referri voluit. Tu si ante quintumdecimum Calend. Novembr. diem ad nos exieris, fac omnino Venetiis iter facias. Nos enim ibi offendes, qui cras, ad summum perendie, illo animi causa cogitabamus. Vale, ex urbe Patavio. prid. Calend. Octobr.

Ep. IV.

C. LONGOLIUS DIONYSIO MONACHO LERINENSI S.

Utinam eius essent generis meæ literæ, ut te quemadmodum scribis, delectare possent: crebras omnino, nec eas sane minus longas quam optare videris, a me acciperes. Verum quum nec ipse tu, quanta ex sermonis Latini paupertate laborem ignores, et egomet mihi plane sim conscius, quanta difficultate præsertim ad homines doctos, tuique similes scribam: ne mirere, si vel rariores vel breviores, quam exspectas, a me tibi reddantur. Nam etiam quum nihil umquam fere est quod tibi mittam, nisi te a me fieri plurimi, sed de quo ipse non dubites: tum vero si quid aliquando est, deest pæne semper, cui id recte dari possit. Sodales igitur tui, quoties istuc proficiscentur, eius me rei certiorem faciant necesse est, et ipse tu scribendi argumentum aliquod nobis præbeas oportet, si modo meas elicere voles. His enim ad tuas benevolentia magis erga te mea adductus respondi, quam quid responderem occurreret: nisi forte in eo epistolæ materiam a nobis quæsitam esse putas, ut me tibi tum de præterito, tum etiam de futuro silentio excusarem. Vale. Patavio IV. Cal. Jun.

Ep. V.

C. LONGOLIUS STATHIO S.

Varie sum hodie tuis literis affectus. Qua enim officia in me tua commemorabas, fuerunt mihi non insuaves: qua vero ad te esse allatum significabas, mihi epistolam nescio quam tuam non satis probari, haud mediocrem molestiam mihi attulerunt. Illud autem in eis odiosissimum, neque medius fidius vel pudore vel ætate tua dignum fuit, quod prope minitabundus me ad inimicitias vocare sis ausus. Ego Stathi, quod scribis te, tum istic tum in Gallia probitatem doctrinamque nostram prædicare solitum, quamquam id nunc primum audio, tamen facile credo, atque de eo tibi gratiam etiam habeo. Quod autem iniqui cuiusdam mihi hominis, eiusque quem tu vel indignatione tua indignum profiteris, sermonibus adductus, inimicitias mecum gerere non recusas, in hoc plane modestiam tuam requiro. Nam prudentiam quidem aut constantiam dicere non ausim, quando nihil huiusmodi in hanc ætatem cadit. Fuerat tamen tuæ istius præclaræ indolis, primum, hominis qui illa in me conferret, æstimare ingenium: deinde naturæ nostræ moderationem: deinde ecquid de te in eo quidem genere detrahi poterat: postremo non statim tibi in animum inducere, te mihi displicere, si epistola quædam tua mihi non ita placuisset. At cognosce expostulationis tuæ æquitatem. Fac me dixisse illud unum, de quo quereris illam tuam in Salmonium Macrinum epistolam visam esse mihi satis, neque elegantem, neque copiosam. An hæc tibi tandem iusta suscipiendarum inimicitiarum ratio videtur? At erat, inquis, tui officii me admonere. Quasi vero tu eam mihi legendam tradideris, aut ut ea in re operam tibi navarem meam, umquam postularis. Vide quam inania sint, et quam tu temere, ea quæ ad te delata sunt, credideris. Ego enim neque elegantiam, neque copiam in iis literis me desiderare tum dixi, quamquam uterumque desiderabam: sed humanitatem tuam, qui nulla iniuria lacessitus, simultates tibi, vel usque trans

Alpes, cum homine utrique nostrum amico gerendas putares. Quod quidem si a me, ne communis concordiæ quidem causa, dictum oportuit, tibi in communem amicum gratis scribere qui licuit? Sed nolo tecum accuratius agere, neque sane quæ mihi in mentem adversus te veniunt, ea hic perscribere: multo vero minus illa tibi commemorare, quæ te non modo in literas, sed in mores etiam meos istic in dies singulos evomere audio. Purgare me tibi tantum hoc tempore volui, non te accusare, quod de me temere credideris, atque tam nulla prorsus de causa Romano quidem, — ut tu arbitraris — sed plane gladiatorio more, inimicitiæ ac amicitiæ tesseram contemptim mihi proposueris, adiectis quoque insolentissimis illis verbis, quibus te mihi acerbissimum infestissimumque hostem fore pronuncias, nisi te mihi amicum deligerem. Quid si nolim? Atqui ea sane tua est quum ætas, cui facile ignosci possit: tum rerum humanarum imperitia, ut multa potius misericordia, quam ullo insigni odio dignus videare: ea autem nostra humanitas, ut istiusmodi ineptias facile concoquamus: is animus, ut minas fortiter contemnamus: ea religio, ut inimicitias fugiamus, et iniuriarum facillime obliviscamur. Quare amicitiæ tesseram libens accipio, atque te interim pro instituta inter nos amicitia moneo, ut neque in lacessendo posthac sis tam procax, et cœcum hunc animi impetum, si omnino tollere non potes, certe refrenes atque cohibeas. Nec enim tibi mecum semper erit negotium, qui quum meæ facilitatis rationem libenter habeo, tum etiam indoli tuæ plurimum faveo: cuius si ardorem, non ad suscipiendas vel gerendas inimicitias, quod plane barbarum est, et homine Christiano indignum: sed ad bonarum artium studium traduxeris, spero te non tibi modo sed civibus etiam tuis magno aliquando ornamento futurum. Hæc ad te paulo quidem tristius atque severius, quam mea natura ferat, sed fideliter mehercule et amanter scripsi: non quod amicorum meorum iudicio, literæ tuæ tam contumeliosæ, tam minaces, dignæ essent, ad quas tam humaniter rescriberem, aut omnino responderem: sed ne me tu tibi

iratum existimares, si in eo quo me ad rescribendum invitaras, morem tibi non gessissem. Quod quidem etiam mea sponte facturus fueram, tum ut animum tibi aperirem meum, tum ut te monerem, videres etiam atque etiam diligenter, quid tibi expediat, quid te deceat, aut si per te ipse id perspicere non possis, adhiberes in consilium viros probos et homines amantes tui, quorum ex sententia nihil tibi facile minus licebit, quam ut cum ætate, dignitate, fortuna nostra denique erga te benevolentia depugnes. Quod si aliter tibi faciendum ipse statueris, non tamen perficies, ut te omnino oderim. Illud fortasse assequeris, ut quum operam dederim, ne mihi quicquam consilia tua noceant, in utram partem nostrum de te iudicium accipias, non magnopere laborem. Vale.

Ep. VI.

C. LONGOLIUS GUL. BUDÆO S.

Quam sis occupatus, etsi tu nihil ea de re ad me scripsisses, id tamen profecto vel tuarum literarum brevitas, vel locus ipse unde illa mitteres, mihi satis significasset. Memini enim quam multis mecum sis agere solitus, si quando otiosus ex Marliano tuo, aut etiam Parisiorum Lutetia ad me scriberes. Itaque velim ipse quidem occupationum tuarum rationem habere: sed nondum mihi plane iudicatum est, gratuler ne tibi genus istud vitæ, an artium potius nostrarum, studiorumque vicem doleam. Eodem enim tempore, et tibi præclarum esse video, singularem istam tum virtutem, tum doctrinam non iam latere in tenebris, sed illustri et excelso loco sitam, in luce Galliarum ac regni clarissimi oculis auribusque versari: et literis nostris multum præsidii ornamentique detrahi, quum te ab iis aversum, ad gerendam Remp. traduci intelligo. Poteris tu quidem, qua es apud principem tuum vel auctoritate vel gratia, doctos aliquot et literatos homines subornare: studia nostra, quæ per

te illustratum iri sperabamus, non item certe tueri poteris. Sed quando nec quidnam potissimum sequutus, regiam fortunam literarum conscientiæ prætuleris, nec quid istic muneris sustineas: nec quamdiu in regio comitatu sis futurus adhuc scio: erit hæc nobis alterius epistolæ argumentum, disputatio. Facere tamen non possum quin gaudeam, te talem virum a tanto rege in amicorum cohortem esse accersitum. Spero enim, vel confido potius te, qui quum natura ipsa sis prudentissimus, tum etiam doctrina multa atque optimarum artium scientia egregie eruditus, et liberis tuis consulturum, et dignitatem tuam apud istum obtenturum esse. Nam de animi tanquillitate atque illo cui a pueritia assuevisti otio, nihil facile ausim affirmare, nisi forte per principem ipsum artem tibi desinere aliquando licebit. Enimvero, si bene te cognitum habeo, non sane possis etiam ut velis, sine literis vivere, quarum quum nobis uberrimos fructus proferre cœpisses. Sed tum demum ad te de meo sensu perscribam, quum tu me hoc de genere toto, et istius tui instituti ratione certiorem feceris: non equidem, ut ipse tibi consilium dem, quo tu plane abundas, quodque tibi sapientissime captum esse scio: sed quia mihi tum denique tecum esse omnino videor, si aut literas tuas lego, aut aliquid ipse ad te scribo. Interea quod inter nos agi, et ex sententia mea, ut spero, per te confici potest, agam. Fr. Rubrius missus a rege Francorum ad Venetos legatus, Principi suo concinnandas curavit tabulas, quibus via istinc Byzantium usque docte descripta egregieque depicta contineretur. Id eo fecit, opinor, consilio, ut ille quem Græciæ regem a Pont. Max. appellatum esse contendit, regionum illarum quasi conspectu admonitus, Græciam sibi provinciam aliquanto maturius, quam id futurum speretur, decerneret. Res est quidem, ut vides, quum ad tantum bellum Imperatori in primis necessaria, tum mehercule, ut audio, etiam per se cognitu aspectuque dignissima: sed multo tamen Principi iucundior futura, si testimonium iudicii tui

accesserit. Quod quidem, ille prospiciens, neque sane dubitans quantum mea causa velles, egit mecum per literas, ut se tibi eo potissimum nomine commendarem. Nec Venetiis quisquam est Fr. Rubrio mihi amicior, mi Budæe, nec sane alius qui me æque tueri et auctoritate sua, si quid accidat, salvum incolumemque præstare possit. Quare mihi gratissimum feceris, si in ea re homini ita commodaris, ut intelligat hanc commendationem magno sibi usui fuisse. Id autem facillime assequeris, si minus eius verbis tuis ornaris, ipseque etiam aliquod vocis tuæ testimonium dederis. Hoc ut facias, non mea tantum causa, sed tua etiam, te vehementer rogo. Summo enim splendore hominem, eundemque gratissimum, nec a studiis nostris abhorrentem, et necessitudine tua dignissimum tibi non multo tuo labore in perpetuum devinxeris. Lazarus Bayfius, quem in isto comitatu frequentem iam esse scribis, is est quem tibi olim Græce commodabam: Adolescens nostrarum artium studio mihi tum quidem coniunctissimus, sed nunc valde lautus, qui gravetur ad me scribere. Parum scilicet diuturno aulæ usu profecit, qui diligentiæ urbanitatisque suæ inter eos homines sit oblitus, apud quos cæteri vel natura tardissimi, non impigri modo et humanissimi redduntur, sed nullo etiam maiore negotio ad assentationem nonnumquam erudiuntur. Atque id in ipso eo magis sum miratus, quod quum una Romæ essemus, præclaras illas, quas tu in asse tuo istiusmodi hominum generi descripsisti leges, ita probabat, ita te de iis laudabat, ita numquam de manibus ponere atque conterere, ut ad earum omnino præscriptum istic victurus videretur. Ego certe eum præcepta illa tua iam explicare, atque ita expromere arbitrabar, ut te, quo tum magistro utebatur, discipulum redderet. Extra iocum, mi Budæe, aut tu de rationibus eius ad me aliquid mittas oportet, aut facias quidem, ut ipse quemadmodum rem suam gerat, nobis significet. Quum enim a te discessi, quem istic pluris faciam habeo plane neminem. Ille porro epistolarum tuarum nuper editus liber, quantum me diligis,

vel potius quantum te a me scis observari, tantum quæso cura, ut ad nos primo quoque tempore perferatur. Cave sumptui eam in rem parcas. Ego enim quum quicquid tabellario dari iusseris, numerabo, tum vero etiam magnum abs te beneficium me accepisse iudicabo. Io. fratris tui filium, atque huius ipsius consobrinum Mauritium Buliodum, non exspectabo dum vel tu vel parentes eorum mihi commendent: diliguntur a me propter summam eorum humanitatem et observantiam. Budæus etiam, quod earum literarum studiosus esse cœperit, quas tu maxime probas, hoc est, Græcarum, nec id ipsum tamen meo hortatu, aut iis horis quas iurisprudentiæ studium suo sibi quasi iure vendicat, sed tum sua, mihi crede, sponte, tum eo tempore, quum cæteri feriantur et cessant: veritus est, credo, maximi et plane ingenui animi adolescens, ne tu unus fuisse dicerere, qui novum hoc decus in familiam tuam intulisses. in familiam autem? imo vero in civitatem, atque adeo Galliam universam. Nam quin primas omnium sententia omnem in partem referas, nulli iam neque integrum est, neque dubium. Ambos igitur omni ratione hic tueor, et si quid opus erit, eorum quoque tenuitatem facultatum mearum angustia sustentabo. Hoc te idcirco latere nolui, ut parentes eorum per te sciant, me benevolentiam memoriamque quam ipsis debeo, liberis eorum præstare. Volo enim, mi Budæe, si quis alius, et esse et haberi gratissimus. Vale. Ex urbe Patavio. Non. Decemb.

Ep. VII.

C. LONGOLIUS ANT. MARCILIO S.

Institueram Feralibus ad te scribere, quum mihi in mentem statim venit, eum diem etiam maioribus nostris religiosum fuisse quamquam mehercule, ne tum quidem quod scriberem, occurrebat, nisi te mihi esse carissimum: quod te, vel tacente me, certo scire non dubito. Scribebam tamen,

idque eadem omnino qua etiam nunc de causa, ut vel in eo quod tibi istinc proficiscens sum pollicitus, fidem meam liberarem. Sum autem pollicitus simulatque Patavium appulissem, me aliquid literarum ad te daturum. Vel te quoque ad exsolutionem promissorum, quibus te mihi obstrinxisti cohortarer: non quo de constantia tua dubitem — scio enim te hominem esse certissimum, sed quia incredibili cupiditate ardeo eiusce rei quam tu mihi et tantopere commendasti, et te ex animi nostri sententia confecturum affirmasti. Venies igitur ad constitutum, neque prius tamen, quam mandata nostra istic diligenter curaris: imo vero quod agis, perfeceris. Perficies autem, si quum quanti te faciam memineris, tum vero tantum in eo industriæ, quantum mihi coram recepisti, posueris. Quod ut facias, non es tu mihi quidem vehementer rogandus, qui te omnia mea causa et velle et cupere exploratum habeo. Illud tamen tibi velim persuadeas, si te mihi in eo morem gessisse intellexero, te inde nihilo minorem, quam ipsum me voluptatem esse capturum. Omnino si officia in me tua cumulo isto auxeris, et me plane bearis, et hominem gratissimum tibi devinxeris. Cura ut valeas: nos enim ita, ut quum maxime, et valemus et in studia nostra incumbimus. Ex urbe Patavio. Quarto. Non. Novembr.

Ep. VIII.

C. LONGOLIUS OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Etsi statueram nihil ad te literarum dare, nisi tu mihi epistolæ argumentum aliquod ipse præbuisses, tamen quum ad Ant. Marcilium, hominem utriusque nostrum studiosissimum, scriberem, putavi aliquid etiam ad te literarum esse dandum, ne si nihil tibi misissem, pluris a me institutam nuper cum eo amicitiam fieri existimares, quam tuam: haud ita multis quidem annis illam, sed innumerabilius certe tuis erga me officiis confirmatam. Itaque brevitati mearum lite-

rarum ignosces, et si pleniores elicere voles, scripto me aliquo lacesses. Sum enim eo ingenio, ut ipse multo libentius faciliusque rescribam, quam alios appellem. Quod quidem et istic, et per literas me tibi testari memini. Saluta meis verbis Ioan. Machliniensem gemmarium: atque ut signatorium annulum, quem ei faciendum locavi, quam primum mihi curet, commonefacito. Vale.

Ep. IX.

C. LONGOLIUS BERN. SANDRO S.

Si vales, bene est, ego quidem valeo. Pluribus verbis tecum agam, quum plus otii nactus fuero: nunc Nicolao tuo satisfacio, qui mihi literas tuas hodie reddidit. Is enim simulatque nobis opera sua nihil iam esse opus intellexit, istuc se statim recipere velle ostendit, quum in ipsum plane studiorum meorum cursum incidisset, quem quidem ut scribundis literis interpellarem, nulla umquam ratione adduci potui. Nam, si nescis, ita otii mei rationem institui, ut septimo quoque demum die exarandis dictandisve epistolis Latinis vacem: reliquum tempus omne, Græcis et gravioribus literis consumam. Itaque epistolæ nostræ brevitatem ne sis admiratus, multo vero minus inelegantiam: quando neque accurate scripta est, et plebeio sermone tecum agimus. Quare autem Nicolaus commendatione tua apud me uti non potuerit, ex ipso cognosces. Reliquum est, quum ut salutem meis verbis referas plurimam, et Fr. Bragadeno, et cæteris communibus amicis: tum vero, ut has statim ab earum lectione conscindas, aut certe ne committas, ut a quoquam legi possint, qui de ingenio doctrinaque studiosorum ex unius alicuius epistolæ lectiuncula pronunciare soleant. Difficile est eloqui, et iam suspicari potes quos significem. Vale. Ex urbe Patavio. Non. Novembr.

Inscribendæ epistolæ, qua tu ad me usus es, mihi qui-

dem non satis probatur ratio, etiam si ea Alcyonium nostrum persæpe usum esse exploratum habeo. Sed hæc coram.

Ep. X.

C. LONGOLIUS FLAVIO CHRYSOLINO S.

Salutem mihi hodie tuis verbis Fr. Capolistius dixit: simul et quam multi, quamque illustres de me sermones summa mea cum laude abs te istic habiti essent, commemoravit. Id ego enim quum summæ nobis esse voluptati ostendissem, neque tamen aut novum tibi, aut inexspectatum mihi esse significassem, ut tu de me amantissime vel sentires vel honorificentissime loquerere: egit idem mecum, ut sibi officii sui testimonium aliquod apud te darem. Qua quidem in re quando ei morem a nobis gestum esse vides, velim contra illum scire ex te, me id diligenter fecisse. Nam ad existimationem nostram magnopere pertinere arbitror, ut homines, me vel minimis in rebus et memorem esse et gratum intelligant. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Patavii. Non. Febr.

Ep. XI.

C. LONGOLIUS JAC. SADOLETO S.

Missurus tibi Gul. Budæi epistolam, facere non possum, quin ipse quoque dem aliquid ad te literarum: quamquam quod scribam non satis occurrit, nisi hic tibi fortasse vis tua in me beneficia ut commemorem. Atqui huius commemorationis te, ut puto, iam cepit satietas: me quidem iam pudet, in ea toties habenda gratia elaborasse, quam ne cogitatione quidem ulla consequi possum: simul et illud vereor, ne hoc tibi nomine in assentationis suspicionem veniam, quasi frequens hæc tuorum erga me meritorum prædicatio non officio, sed tempori tribuatur. Non commemorem? quid igi-

tur scribam? aut qua me tibi nunc quidem via memorem gratumque ostendam? Sic scilicet faciam: posthac tum denique scribam, si quid erit cuius te certiorem per me fieri oporteat. Nam quin tibi studium, benevolentiam, observantiam, quam debeo vel absens præstem, te non dubitare certo scio. Scribo equidem ad nonnullos istic, etiam quum nihil est opus, sed ad eos omnino quibuscum mihi aut domestici usus, aut familiaritatis aliquid intercedit: te ista gravitate, dignitate, doctrina virum, istis occupationum quasi fluctibus obrutum hominem, crebrioribus literis interpellare non audeo. Tu modo fac me ames et valeas: nos enim ita ut quum maxime, tum te amamus et observamus, tum vero valemus, et literis nostris utimur: eo etiam sane consilio, ut tibi otii nostri rationem per otium aliquando reddamus.

Ep. XII.

C. LONGOLIUS STEPH. SAULIO S.

Quod nihil adhuc literarum ad te dedi, non id quidem causæ fuit quod scribendi argumento destituerer, quo plane abundabam: sed quia eius erant generis res, quæ literis recte committi non possent, et ipse quotidie vel potius in dies singulos me ad vos recipere cogitabam. Nunc vero, quum necdum a regis negotiis sim plane vacuus et ea iam dies instet, quam hic omnino traducere constitueram, volui tibi consiliorum meorum rationem per literas breviter significare, ne tu me vel cessationis nomine suspectum haberes, vel diutius etiam quam par esset istic exspectares. De re tua nihil adhuc constitutum. Tantum enim negotii regiæ literæ et nobis et Decemviris exhibuerunt, ut privatorum postulationibus operam dare per hosce dies neutris vacarit. Sed tamen, ut spero, res ex sententia nostra conficietur, non ulla quidem citerioris Galliæ præfecti commendatione, qua ille insulsa et plane Gallica est usus, sed et consiliis nostris et ipsius causæ æquitate pugnabimus. Experiemur quidem certe omnia, ut antequam

hinc proficiscamur, tibi factum esse satis intelligas. Cogitabamus autem istuc aut Non. aut circiter quartum diem Id. April. Interim vide, amabo te, ut quoad in montibus Euganeis commorabere, ne quid absentia nostra rebus nostris detrimenti afferat, quod quidem facillime consequere, relicto domi Antonio tuo: cuius et fidem et amorem erga te singularem mihi perspexisse multis in rebus sum visus. Sed certe γλαῦκας εἰς Ἀϑῆνας, qui tibi consilium dem. Libellos, quos quasi itineris comites mecum detuleram, scito nulli nobis adhuc usui fuisse: sed sarcietur tamen otiosis his diebus otii nostri iactura. Rem nos eo perducturos speramus, quo te iam adventare suspicamur: sic fiet, ut quum rediero, pari iugo in eadem studia incumbamus. Vale. Venetiis, 9. Calend. April.

Ep. XIIII.

C. LONGOLIUS PETRO BEMBO S.

Numquam fore putavi, ut aliorum prius literis de adventu tuo, quam abs te ipso fierem certior. Quod tamen quando præter opinionem meam commissum est, Venetias te salvum venisse immortaliter gaudeo. Da modo operam, si me amas, ut statim intelligam, hic ne te, et quando exspectemus: an vero nos istuc advolare an in Patavino tuo tibi malis occurrere. Multa sunt quare tecum esse velim hoc tempore, sed illud potissimum rationes nostras conturbat, quod Saulius noster heri Genuam, pertristi, neque tamen non vero, fraternæ valetudinis nuncio excitus, accurrit. Rediturum se quidem ille ad hiemem proximam affirmavit. Sed hæc coram: liceat modo nobis propediem congredi. Vale. Patavii, 4. Non. Mai.

Ep. XIV.

C. LONGOLIUS FLAM. TOMAROTIO S.

Persuasi tandem Bembo nostro, ut me vobiscum esse mallet, quam secum. Cras igitur, ad summum perendie, nos istuc venturos speramus. Tu interim da operam nobis, cubiculum ea quam tibi istinc discedens ostenderem, ratione instructum ut sit. Interius conclavis vestibulum, si nondum illi faciundum curarint, admonebis eos meis verbis, id primo quoque tempore vel statim potius, exstruendum ut locent. Res est nec multi negotii, nec otio nostro parum idonea. Lectus e regione vestibuli velim collocetur. Pluteum ad dextrum ingredientibus parietem statues. Bibliothecam inter fenestras duas mediam explicabis. Reliquam intestini operis suppellectilem, quam poteris aptissime totam honestissimeque dispositam voles, quicquid in eo genere sumptus feceris, id ego tibi omne simulac venero dissolvam. Salvere velim a me iubeas hospites meos, quibus etiam puerum meum, dum ababsum, commendatum esse cupio. Vale. Venetiis. Idus Mai.

Ep. XV.

C. LONGOLIUS OCTAVIANO CRIMOALDO S.

Maius atque omnino aliud quam sperabam nactus es ex literis meis epistolæ argumentum: qui quum vel tuo more, brevi respondere, vel me etiam auctore tacere potuisses — scis enim ita tibi mecum convenire, ut tum denique si res coget: — tamen uberrimas mihi literas remiseris, sed non eius generis, quales abs te quidem exspectâssem. Voluisti scilicet mihi morem gerere, et me scripto aliquo tuo lacessere. Id si ita est, non tu quidem exspectatione tua frustratus es: provocasti enim me, sed ita mehercule quemadmodum crabrones irritari solent. Equidem nisi maiorem facilitatis meæ, quam calumniarum tuarum rationem ducerem, facerem intelligeres, quocum tibi sit negotium: qui me accusandi an-

sam inde tibi sumpseris, unde te nobis gratias egisse maxime oportuit. At vide quam plane et latine, minimeque astute tecum ago: ni quæ tu copiose quidem et eleganter in me collegisti, ea ipse duobus versiculis refuto omnia, causam haud dico, quare mihi hospitium statim non renuncies. Accusationis tuæ summa hæc est: Vituperandum esse me in amicitia tua, quod non aliter ad te scripturus fuisse videar, atque si quid ad Ant. Marcilium scripsissem. Hic igitur primum mihi memineris, quidnam de scribendarum inter nos literarum ratione constitutum habeamus. Deinde illud tibi succurrat velim quum mihi opus omnino non fuisse tum ad te scribere, tum vero me, etiam quum nihil esset quod darem, tamen ad te scripsisse: ad Marcilium autem eo potissimum misisse, et quia id me facturum ei fueram pollicitus, et quia omnino habebam, quod illum scire mea plurimum interesset. His tibi causam meam si non probavi, æquis certe iudicibus approbabo. Tu vero, qui te excuses, qui me, quod officiosus erga te gratis fuerim, accusare es ausus? Extra iocum mi Octaviane, quum literas tuas legi libenter, tum ingenio tuo delectatus mirifice. Tu quamquam admonitione non eges, qui me hortaris et eodem ipse vocas, tamen fac stilum exerceas, et crebris me literis appelles. Ego enim quum ex ea re maximam voluptatem cepero, tum te, quantum studiorum nostrorum rationes ferent, hac in exercitatione continuero. Saluta meis verbis communes amicos, nominatim Baptist. Egnatium, quem quum scriptorum meorum κανόνα esse voluerim, avidissime iudicium eius exspecto. Hortare hominem, ut me aliquando hac sollicitudine liberet, et per me quidem, opus totum una litura emendet. Vix enim credas, quam mihi iam parum in eo placeam. Assem tuum Saturnalibus ad assem tibi præstabo. Vale. Ex urbe Patavio. Octavo Calend. Decembr.

Ep. XVI.

C. LONGOLIUS PETRO BRISSOO S.

Quanta me lætitia affecerint Fonduli nostri literæ, quibus ille te Romam salvum venisse scriberet, tu pro veteri nostra et arctissima studiorum animorumque coniunctione existimare potes. Ego certe quicquid ex iucundissima alterius consuetudine fructus percipi possit, id omne ex humanitate tua et olim percepi, et me posthac etiam laturum confido. Sed tu tamen, mi Brissoe, huic tanto meo gaudio nonnihil molestiæ aspersisti, qui ut aliorum prius literis quam tuis de adventu tuo fierem certior, commiseris. Sed hoc ipsum tu facillime apud me purgaris, si quid ad nos statim scripseris, aut ipse potius veneris. Venies enim, mihi crede, exspectatus. Exponerem hic tibi omnem status nostri rationem, nisi te ex Fonduli, Bembique nostri sermone ea iam omnia cognoscere existimarem. De tuis autem rebus, quando nihil nisi ex tuis literis certo scire possum, velim tu de iis ad me diligenter accurateque perscribas. Vale, Patavii. Calend. Mai.

Ep. XVII.

C. LONGOLIUS PETRO BEMBO S.

Quum ante diem tertium Idus April. Patavium venissem, redditæ mihi sunt a te literæ: et cum iis etiam exempla tum codicillorum, quibus nos Pont. Max. Francorum Regi commendasset, tum epistolæ quam tu de me ad Gul. Budæum scripsisses. Quid quæris? non potuit amicius quidem agi, nec studiosius quam actum est a te de commodis nostris: sed quo me tamen in genere Pont. Max. liberalitate cumulatum potius, quam ipsius commendatione ab alio quovis auctum iri sperabam. Nam in Gallicis rebus, quas ego non tam benignas nobis, quam copiosas esse perspexeram, nihil umquam sane spei ponendum existimavi. Novi eius gentis principum

ingenia quum literis nostris sua sponte parum tribuentia, tum vero mihi, quod relicta Gallia in Italiam me contulerim, parum amica: ut multo scilicet maiorem ex tuis erga me officiis voluptatem capiam, quam ex illius regis liberalitate fructum exspectem; præsertim quum ad eam quam tu mihi ostendis spem, parati nihil omnino videam. Equidem quum de complectendo in causa nostra Jo. Pino tecum commentabar, id videlicet agebam, ut ab utroque vestrum res nostræ Pont. Maximo, non Regi Gallorum commendarentur. Neque enim nesciebam quam stultum esset, me quicquam ab eo petere, cui operam ipse denegassem meam. Quid enim nobis ab ipso Rege? quid ab eius tandem matre, ad quam etiam de me Pont. Maximum scripsisse ais? Quid ab iis ipsis inquam nobis spei iniectum non est, quo nos vel apud se vel etiam in Gallia retinerent? Atqui pluris apud me fuit, et est mehercule etiam nunc, earum ad quas tu me vocabas literarum conscientia, quam omnis Regia illa fortuna. Hoc tibi, credo, notum non erat mi Bembe, quum pontificios codicillos in eam sententiam conscribendos curares. Sed ea quidem mea certe culpa est, qui rem tibi non plane aperuerim. Tu vero nimio quodam nostri studio atque amore prolapsus es, qui me saltem de ratione codicillorum non consulueris. Potuisses enim, in mea præsertim causa, nonnihil a me commoneri, quo artificio, — neque enim satis erat pugnare consilio — ea in re nobis utendum esset. Nunc commissum est, non modo ut tu in eo frustra elaborasse, sed ut ego iis ad quos missi sunt, et ridiculus, et impudens videri possim. Equidem mihi eorum sermones audire iam videor, qni me hoc biennio nihil nisi Pont. Maximi beneficentiam, nihil nisi P. Bembi in me studia magnifice iactantem audissent. Sed quando nihil nobis in eo iam integrum est — mutari enim res non potest —: da, quæso, operam, ut quod est, quodque tuis ad Budæum literis verissime commisisti, hæc me insciente omnia a vobis confecta esse intelligant: sic enim profecto, et illustriorem industriæ tuæ laudem retuleris, quasi quæ tu ad me pertinere arbitrarere, ea tua sponte feceris: et me magna

sane molestia liberaris, qui non mediocriter vereor, ne illi me iam consiliorum meorum turpiter pœnitere existiment, quum ego me in hac instituta vitæ ratione magis magisque in dies singulos confirmem, vel etiam oblectem. Atque in his quum mihi sint omnia mi Bembe carissime, ea tu et pro tua prudentia considerabis, et in eam partem quam summa vel mea in te observantia, vel tua erga me benevolentia postulat, accipies. Scripsi ex tuis literis ad Hieronymum Fondulum, idem facturus ad Jo. Pinum, et Albertum Carporum principem, quum tibi maturum videbitur: iubes enim ne quid festinem. Nam quod etiam ad Antonium Pratianum dandas nobis esse censes literas, possit ille quidem magno rebus nostris esse adiumento: et est, ut quidem audio, non alieno a nobis animo: probasse enim illi consilium nostrum aliquando tandem videmur, eed vide num ex dignitate nostra sit, me supplicem ad eum nunc accedere, cuius ego neque voluntati, neque promissis cesserim, quum ipse mihi de se prolixe polliceretur omnia, si deposito profectionis consilio mallem apud meos in Gallia, quam in Italia vobiscum vivere, sed nihil certe mihi consuetudine vestra, literisque vestris fuit antiquius. Quibus omne meum ita do studium, ut mihi in mentem nihil veniat minus, quam cuiquam horum invidere. Sed quid est quod in extrema tua epistola iacis obscure? ad eam quæ nobis a Pont. Maximo in annuum sumptum decreta est, pecuniam, accessurum quiddam. Id cuiusmodi sit, aveo scire, siquidem res est in manibus, sin minus, incumbe tamen in eam curam, ut a te non studiorum modo meorum, sed etiam fortunarum omnium ornamenta profecta esse omnes intelligant. Nec enim est, quod te primus iste conatus deterreat, quasi non ex sententia nostra processerit. Nam et ego falli possum: est enim fortasse tam diligens commendatio maximi apud Regem ponderis futura, hoc præsertim tempore, quum is maiorem Pont. Maximi quam nostri rationem habeat necesse est: et tu aliam facile nobis viam munieris, qui apud principem istum, pontificiamque cohortem omnem tanta vel gratia vel auctoritate polleas, quantum te ista doctrina, vir-

tute, splendore virum posse atque valere par est. Vale, Patavii. XII. Calend. Maii.

Ep. XVIII.

C. LONGOLIUS ROGERIO BARMÆ S.

Nihil umquam minus futurum existimavi, quam ut tibi aliquem hinc commendare necesse haberem, qui quum istic essem, et tu omnia mea causa velle viderere, tamen id ut facerem numquam adduci potui. Nunc etsi me præter spem de vetere illa mea sententia depulsum esse video, facile tamen patior nactum esse me tempus, in quo et de benevolentia erga me tua periculum tam longe gentium facerem, et quantum studiis nostris ingeniisque adhuc faveres, experirer. Vidum Brelæum optimum et summæ spei adolescentem vehementer diligo. Nam me et Lutetiæ Parisiorum, quum primum forum attigi, observare cœpit: et hic tam constanter semper coluit, quam qui maxime. Is quum patris literis, quasi ex summo studiorum suorum cursu, domum revocetur, intelligatque se nondum eos percepisse ex legitimis literis fructus, quos si ad metam pervenisset, sese inde laturum sperarat, vellet sibi studiorum tempus in venientem quoque annum prorogari. Id vero quum se suis literis consequi posse diffideret, neque de patris sui in te, atque tua in me voluntate dubitaret, egit mecum, ut ea de re ad te quam diligentissime perscriberem. Nec ego honestius quicquam a te petere, mi Barma, nec tu illi hoc tempore gratius possis facere. Conficiendi negotii spem nobis afferunt quum rei ipsius æquitas, tum vero summa tua apud adolescentis parentem vel gratia, vel auctoritas, quibus illum facile cessurum esse confidimus. Neque vero patri metuendum est, ut idcirco tarda filium decessio delectet, quod adolescentibus omnia peregre solutiora sint, quam domi. Noscis enim hominis ingenium, ego studium, et disciplinam, quæ mihi sane eum eiusmodi virum fore pollicentur, qui vestris paucorum

laudibus aliquando respondeat. Non soleo temere quicquam de altero affirmare, præsertim adolescente, qui qualis futurus sit præstari non potest. Sed si quo tamen sum in dignoscendis hominibus deligendisque amicis iudicio, spondeo vobis annum item unum additum patris desiderio, filii studio, alteri multorum annorum lætitiam, alteri sempiternam laudem esse allaturum. Quare quantum me amas, vel te potius ipse scis a me observari, tantum enitere et contende, ut a patre eius tertii quoque anni accessionem impetremus. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Ex urbe Patavio. Idus Januarii.

Ep. XIX.

C. LONGOLIUS PETRO BEMBO S.

Accepi tuas literas ad quart. Non. Januar. in quibus occupationum tuarum signum mihi fuit vel maximum, quod tum aliena manu, tum patria etiam lingua, ad me scriberes. Sic tamen quum mihi iucundissimæ fuissent, hoc certe asperserunt molestiæ, quod unam quinque mearum ad te epistolarum periisse significabant. Nam ad quatuor duntaxat posteriores rescripsisti. In illa etsi nihil plane esse video, quod vel te scire, alterutrius nostrum iam intersit, vel te magnopere delectare possit, faciundum mihi tamen putavi, ut eam ad te eodem exemplo mitterem, non quo mea mihi maxime placeant, — scis enim ut me tu calumniatorem mei sis appellare solitus — sed ne me quicquam de quinta illa epistola mentitum esse existimares. Quod scribis posteriores quasque meas ad te literas, tibi prioribus magis probari quidem, et insequentis quodque epistolæ genus, propius omnino antecedente, ad illius, cuius nos imitatione erudimus, scripta accedere, sed me nondum eos ex studiis nostris percepisse fructus, quos me aliquando laturum esse tibi persuasisses: in hoc tibi equidem assentior, mi Bembe carissime. Neque vero ego sententiam ea de re exquirebam tuam, quasi Patavinen-

ses hosce dies, ad ea quæ te auctore molimur, satis esse arbitrarer. Qui ne fundamenta quidem tanti operis mihi adhuc iecisse viderer: aut ut aliquod tuarum literarum testimonium elicerem, qui me scilicet una studiorum meorum conscientia sustentare soleam. Sed eo illa, mihi crede, scripsi ut de te intelligerem tantum ne me superiore anno studiis nostris operæ navasse iudicares, quantum initio speraras: an vero exspectationi tuæ non respondissem. Id autem ipsum eo potissimum rogabam, ut si me eius temporis operam bene posuisse iudicares, pergerem ut cœpi: sin minus ut vel commutata itineris ratione, vel correcta cursu tarditate, eo aliquando pervenirem, quo tu me et coram verbis, et absens literis, vocare numquam destitisti. Sic igitur facies: et, si quidem id, quo nos adhuc usi sumus, instituendi genus probaris, — non enim ignoras quamnam disciplinæ viam sim ingressus — auctoritate nos tua confirmabis: sin aliquod eruditius et ad discendum expeditius habueris, consilio tuo nos adiuvabis. Jo. Pinum, quem a Pont. Max. sacra Apamearum præfectura ornatum esse audio, et mehercule etiam gaudeo, facile patior sua commoda nostris anteponere. Neque vero ab iis quæ mihi Venetiis ostendebat promissis umquam pependi: quod vel ex eo possis coniicere, quod ad eum uti scriberem, animum inducere adhuc non potui. Hominis dignitatem atque doctrinam semper suspexi: in iuvandis amicis studium aut diligentiam ab eo numquam vehementer exspectavi. Tu, etsi fortunæ nostræ ratio nihilo etiam nunc informatior est, quam quum Venetiis essemus, prensabis tamen, si tibi videbitur, hominem: id est, eum meis verbis et crebro saluere iubebis, et appellare non desistes. Nihil minus velim, quam ut se in amicitia nostra vituperandum esse existimet, idque ne si officium suum a nobis desiderari intelligat, animum ad nos oppugnandum aliquando traducat. Sed hoc Deus aliquis viderit. Ego enim ad cæteras tuas curas, hanc quoque ex istius negligentia sollicitudinem accessisse video, ut me iam abs te uno tuendum ornandumque existimares. Adolescentem qui has tibi

reddidit literas, mea causa commendatum habeas velim. Nam et Germanus est, et honesto apud suos loco natus, nec a literis nostris abhorrens, et quod caput est, nos hic etiam in primis et colit et observat. Excurrit autem Romam, non quod ei quicquam istic sit negotii, sed ut dum cæteri, otiosis hisce Saturnalium diebus a literis feriantur et cessant, ipse urbem, et eodem itinere Etruriam agrumque Picenum visat. Quicquid eo in genere ei commodaveris, erit mihi gratissimum, nec apud adolescentem ipsum non optime collocatum. Vale. Ex urbe Patavio. Idibus Januar.

Ep. XX.

C. LONGOLIUS ANDREÆ NAVAGERIO S.

Accepi literas tuas heri post meridiem, qui dies Id. Jan. fuit. Ad eas rescripsissem, illa statim ipsa, quemadmodum postulabas, qua mihi sunt hora redditæ: nisi scripta tua eius esse generis iudicassem, ut mihi non festinanter et in transcursu, sed diligenter et per otium accurate legenda essent, præsertim quum tu me eorum Aristarchum constitueres, qua quidem in re irrideri me abs te profecto putassem, nisi animum tuum perspectum habuissem: quem quum mihi studiorum nostrorum societate coniunctissimum, tum vero ab omni liberali simulatione alienissimum esse certo scio. Faciam igitur quod iubes: neque id vero ipsum tam libenter, quam necessario: etenim qui mihi conscius sum nullo esse me prorsus ea in re vel ingenio, vel iudicio. Verum tamen ut me maiorem voluntatis tuæ, quam pudoris mei rationem habuisse intelligas, pauca quædam hic notabo, quæ sane quum tu legeris, iudicabis eam esse lucubrationum tuarum rationem, ut monimenta tua calumniam potius a quovis pati, quam a me limari perpolirique possint. Atque ut supra crepidam aliquid statim audias, scito in ipso protinus principio desiderari a me Sadoleti prænomen: idque quum quod ea res

dignitatis quiddam habere, tum etiam quod ipsa epistola iustæ orationis instar mihi quidem esse videatur. Eadem adiectionis formula vellem abs te et Bembi, et meum etiam ubique nomen subornari. Nam quod ais, Latinam linguam florentibus imperii Rom. opibus, intra Italiæ limites constitisse: ego vero eam cum aliis gentibus communem fuisse arbitrabar: tum vero in Gallia maxime, Hispania, et Tingitana provincia viguisse existimabam. Adduxerat me autem in eam opinionem non leve argumentum, quod earum gentium quotidianus sermo haud ita multum ab Italico vel hodie dissideret. Sed non is ego sum, qui in hoc sententiam meam anteponi velim tuæ. In eo quidem certe admoneri te patiere, ut quum aut totum quiddam, aut generatim omnia complecti voles, aut etiam mentis tuæ sensus aientibus verbis confirmare, duplicatis negationibus aliquanto parcius utare: cuius quidem generis sunt illa, Nemo non, nullus non, nihil non. Quæ ut orationi modice aspersa iucunditatis afferunt plurimum, sic crebrius repetita et frequentata satietatem pariunt atque fastidium. Nam quin totidem verbis ex M. T. Cicerone tibi tam multa impune sumere non liceat, ne tu quidem ipse, puto, negas. Sed non animadvertis scilicet, qui assidua summi illius oratoris librorum et accurata lectione hoc consecutus es, ut etiam imprudenti tibi et invito integræ ipsius non modo sententiæ, sed multi simul interdum versus excidant atque effluant. Quod ipsum mihi ut summæ est admirationi, sic haud scio an illis probaturus sis, qui Æsopi graculum nobis obiicere non desinunt, nec Publ. Virgilii auctoritatem atque iudicium hac in re accipiunt. Equidem quod ad me attinet, ita statuo: Dirigendam quidem esse nobis et formandam scribendi rationem putavi, ad illius dicendi genus: sed ita, ut virtutes eius oratione nostra exprimere conemur, non item ut passim omnia ab eo mutuemur, aut, quod multos facere iam videas, quasi centones quosdam ex Ciceronis verbis consuamus. Sed hoc toto de genere alias. Nunc tantum habeto, dandam tibi esse in primis operam, ut quæ in manus ho-

minum a te pervenient, plane tua esse, non aliena et aliunde corrogata videantur. Quod quidem hoc tibi magis faciundum censeo, quod tu hodie unus ex omnibus commentationes tuas literis commendare potes optime atque elegantissime. Habes fere mi Andrea, quæ studio tuo obsequutus in eo libello animadversione digna existimavi: cætera sunt eiusmodi, ut mihi quidem magnopere probentur. Quæ porro de meæ erga Jac. Sadoletum voluntatis significatione adscripsi ita denique proferri ea velim, si id ut libenter facias, animum induxeris: sin autem a te sententia quidem probabitur mea, locus autem ipse, aut eloquendi ratio non item placuerit, tu ea de re quod tibi videbitur, constitues, et ita spero constitues, ut me tamen ille gratum memoremque ex tuis literis sit cogniturus. Tantum hæc ad te perscripseram, quum ecce ab eodem Sadoleto literæ, quibus ut te suis verbis salutarem, atque tibi etiam suo nomine gratias agerem, rogaret, quod sibi tam præclarum — opinor in illa vel ad Pont. Max. vel ad P. Bembum epistola: id enim cuiusmodi sit non explicat — testimonium dedisses. Quod me fecisse si per literas tuas ei significaris, erit id mihi tam gratum, quam quod maxime. Vale. Ex urbe Patavio.

Ep. XXI.

C. LONGOLIUS FL. CHRYSOLINO S.

Perbreves quidem, sed iucundas tamen abs te literas accepi: in quibus illud mihi fuit gratissimum, quod Jac. Sadoletum et esse in urbe adhuc, neque hoc tempore quoquam exiturum, significabas. Sic enim iniecta mihi spes non est dubia, fore ut ille toties a me invitatus, aliquando rescribat. Equidem non facile causam reperio cur quum ego et Bembus istinc abessemus longius, ille crebras ad me daret literas: simul ut collega eius Romam adventarit, statim scribere intermiserit, vel destiterit potius: præsertim quum eum multis literis non provocarim modo, sed etiam

epistolæ argumentum ei de industria persæpe dederim. Venit mihi interdum in mentem subvereri, ne plus ad eum quotidianæ invidorum meorum, qui et multi et callidi sunt, calumniæ potuerint, quam valuerit mea in ipsum observantia. Longe enim gentium absum, neque iniquorum sermonibus absens respondere possumi. Contra quum mihi hominis gravitatem atque prudentiam propono, nihil eum huiusmodi potuisse aut fallere, aut de sententia depellere mihi persuadeo. Omnino male me habet tam diutina hominis cessatio minime omnium cessatoris, et, quod sæpe sum expertus, vel in summis occupationibus officiosissimi. Tu, si me amas, investigabis huiusce rei causam, ut si qua offensiuncula nonnullorum perversitate in illius animo facta sit, huic malo statim medeamur: sin idcirco taceat, quia ei non vacet, desinamus quandoque et de immutato illius erga nos animo temere suspicari, et hominem occupatissimum literas improbe flagitare. Quod vero te, si quid umquam nactus eris otii, superioribus meis literis abunde satisfacturum polliceris, nihil est mi Flavi, quod in eo, mea quidem causa, labores. Satis enim vel etiam omnia a te habuero, si, ut es, res meas istic procuraris. Quod ne me sine causa nunc scripsisse putes: scito mihi decretæ a Pontif. Max. in annuum sumptum pecuniæ diem, ad Cal. Novembr. cedere, atque magna ex parte in diligentia tua esse positum, ut eo tempore ad numos perveniamus. Quod ne mihi frustra persuaserim, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Ex urbe Patavio. XVI. Calend. Octobr.

Scripta epistola superiore, redditæ mihi sunt abs te literæ, quas ad VI. Septembr. te dedisse scribis. Ad eas ut nunc quidem est, nihil rescribo, per otium responsurus, si quid huiusmodi occurrat, quod tibi non iniucundum fore iudicaro. Ex literis Hieron. Fonduli, quas una cum tuis accepi, cognovi puerum meum, quem Jo. Pino Regis Franci legato Romam proficiscenti, commendatum tradideram, nuper discessisse. Quod scilicet ut debui, multis de causis moleste tuli: sed quando adolescenti vel puero potius deesse non

possum, qui in relicta patria non in Britanniam modo, Germaniam et Italiam durissimo anni tempore est secutus, sed fidem etiam suam mihi et operam et observantiam magis omnino, quam ab ista ætate postulandum erat, præstitit: si ad remanendum nullis conditionibus adduci potest, numera, quæso, illi tantum pecuniæ, quantum ad sumptum itineris huc usque satis esse videatur. Quicquid mihi eo nomine expensum tuleris, id ego tibi omne bona fide vel permutandum istic curabo, vel si expensione nostra deducere malis, acceptum statim feram. De tota hac re velim me quam celerrime facias certiorem. Iterum vale.

Ep. XXII.

C. LONGOLIUS HIERON. FONDULO S.

Complicaram meas ad P. Bembum, et Fl. Chrysolinum literas, quum mihi tuæ, quas te pridie Idus Septembr. dedisse significabas, sunt redditæ, et cum iis item eodem exemplo alteræ, quibus dies ascripta erat VI. Id. Jun. Ad utrasque plus propediem nactus otii respondebo. Nunc quod me in posterioribus commovit, accipe. Doleo equidem Jo. Ballevium commendatione nostra diutius uti aut noluisse, aut non potuisse: sed me illud magis excruciat, quod eum a se leviter hominem abalienaverit, cuius ei benevolentiam meis et verbis et literis conciliaveram. Verum ea est adolescentuli tum ætas tum ingenium, cui nemo non facile ignoscat. Itaque si eo consilio se subduxit, ut tantisper abesset dum Pini nostri iracundia defervesceret, quæso te ut puero communem amicum placatum reddas: sin numquam rediturus discessit, nec spes melioris vitæ ulla ei istic ostenditur, cura ut ad nos quacunque ratione remittatur. Nam ad officium dignitatemque nostram pertinere arbitror, ut is qualiscunque nunc est, in Italia ne egeat, qui domo et fortunis relictis — est enim honesto apud suos loco natus — me auctoritatemque meam per tot maria, per tot terrarum tractus hu-

cusque libenter sit secutus. Quare hominem conquires, viaticoque quod a Flavio nostro accipies, prosequere. Ego autem et quacunque tu ei fidem dederis, præstabo: et ut ad suos honeste liberaliterque a nobis tractatus redeat, diligenter curabo. Vale. Ex urbe Patavio XVI. Cal. Octobr.

Ep. XXIII.

C. LONGOLIUS LÆLIO MAXIMO S.

Binas hic a te haud ita longo intervallo literas accepi: unas Paulus frater tuus mihi reddidit, alteras idem quum Venetias iam migrasset, ad me perferendas illinc curavit. Prioribus excusationem intermissionis literarum tuarum affers: quam quidem ita accepi, ut magno interim dolore afficerer, quum quod P. Paulus Castellanus immatura morte nobis ereptus esset, tum quod ea res et Juliano nostro et tibi tantum negotii molestiarumque attulisset, quantum tu vix literis complecterere tuis. Verum quum ea lege atque conditione nati simus, ut nobis hæc atque alia istiusmodi innumerabilia velimus nolimus, subeunda sint: meminerimus nos esse homines, feramusque si non libenter, at toleranter certe, quod nullo consilio neque vitare, neque mutare possumus. Sed γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, qui hæc ad te. Itaque quod de Perusina illa tua peregrinatione addidisti — cur enim mihi non liceat te auctore iucunda tristibus miscere? — est id quidem mihi non iniucundum, sed fuisset omnino multo iucundissimum, si quid de deliciis illis nominatim ascripsisses. Vix enim credas quam scire cupiam, ut tui ibi amores illic processerint. Nam tecum Romæ quamdiu fui, fuisti tu certe semper εἰς τὰ ἐρωτικὰ ἀναφρόδιτος. Quod autem tibi per rei familiaris occupationes, nihil ad doctrinæ studium otii relictum esse doles, ego quoque tua causa doleo: sed si me audies, aut ista studia non tanti facies, aut facile desiderio tuo satisfacies, si et noctibus abuti,

et matutinas horas, quum neque tibi quisquam molestus est, neque tu cuiquam negotium exhibes, lectiunculis dare voles. Defensionum nostrarum librum istic tantopere probari, magis equidem gauderem, si vel adversariorum nostrorum iudicio talis esset, qualem tu eum esse prædicas: vel optima laudum illarum pars ad te cæterosque amicos nostros non transfunderetur. Explicavi quidem in eo quicquid tum habebam quum artis tum consilii, sed non eo sane consilio, ut dicendi peritus, a quo quidem etiam nunc quam longissime absum, sed ut vir bonus vestraque advocatione non indignus haberer. Uni epistolæ respondi, venio ad alteram: in qua quod scribis prælia te mea causa sustinere, facile ostendis, amorem erga me tuum sine causa in suspicionem venisse. Atqui numquam id mihi subvereri in mentem venit: sed quum intermisisses literas ad me dare, nec eiusce rei causam ullam omnino reperirem, volui scilicet leviter te pungere, ut tuas quoquo modo elicerem. Quod eo sane commento me consecutum esse et video et plane triumpho. Est igitur mihi pergratum, obtrectatores meos a te refutari, sed ita mehercule, si id ea facis moderatione, quam me tibi anno superiore Lugduno præscribere memini: id est, si eorum improbitatem, non regerendis convitiis — nec enim digni sunt, quibus tu quidem maledicas — sed animo forti et gravi, quasi fluctum saxo infringas. Contemptu mi Læli, contemptu opus est, ne se homines levissimi aliquid esse putent, si te de constantia tua depulerint, aut omnino commoverint. Sed hac de ratione ulciscendi inimicos tota quid sentiam, nihil attinet pluribus dicere, quum appareat, quodnam ipse in defensionibus meis sim secutus consilium, qui eos mihi numquam appellandos censui: neque id tam propter illas quas ibi tum attuli causas, quam ut se, mea quidem sententia, prorsus indignos esse intelligerent, quos vel cum honoris præfatione quisquam appellaret. Pari velim animi æquitate feras, Simiolum illum in civitatem irrepsisse. Nam in eo aut nullum grave vulnus Respub. accepit: aut si quid omnino admissum est, inimici quidem nostri eiusce flagitii culpam sustinebunt.

Neque tamen est cur se ille nobis eo nomine tam arroganter conferat. Ego enim tametsi homo transalpinus, ac idem multa flagrans invidia, tamen invitis omnibus ipsius amicis, et multo quam ipse prius, summa bonorum omnium doctorumque hominum suffragatione, vel potius singularis S. P. Q. Romani iudicio in civitatem sum ascitus. Ornamenta enim virtutis et doctrinæ indocti complures sceleratique homines adepti sunt: tanta bonornm studia, talia doctorum virorum iudicia sine literis et probitate assecutus est nemo. Equidem ipse tam grave omnium ordinum de me iudicium pluris facio, quam vel omnia amplissimorum honorum nomina, nedum civitatem ipsam, in quam utinam hic unus ea indignissimus immissus non esset. Sed tu quem Rom. civem appelles nescio. Mihi quidem civis e Repub. is denique aut etiam is solus est, non qui civitatis ius ostentet, sed qui tanti nominis dignitatem virtute animique magnitudine tueatur et sustineat. Eadem est hirci illius causa, quem quidem ab iis tanti conductum esse non magnopere miror, si quidem tales sunt, quales abs te depinguntur. Id scilicet miseri tanta mercede consequentur, non modo ut nihil sapere, sed uti doctis etiam insanire videantur. Quamquam aliud omnino, quo me ducat coniectura habeo. Ulciscentur eum sui mores, atque iisdem illis flagitiorum suorum pœnas dabit, qui eum nunc in honorem adducere videntur. *Τὰ ἐκ τρίποδος.* Præmia porro illa, quæ tu mihi haud paulo plus quam par sit, admirari videre, vir autem sapiens in minimis posuerit: nostris non modo non æquanda, sed ne comparanda quidem sunt commodis, sive illa æstimare libeat, quæ ex Pont. Max. liberalitate ad nos perveniunt, sive illa quibus a Po. Fluentino invitamur. Quæ quidem cur a me non magni putentur, scribam ad te alias: nunc tantum habeto, me multo plus ex hoc otio voluptatis capere, quam ex quinis illis vicenis sestertiorum nummum millibus utilitatis consequi potuerim. Omnino, ut nunc quidem est, malo dignitatis meæ, quam commodi rationem ducere: tametsi maiorem aliquem fortasse fructum tanta contemptá pecunia nobis aliquando

attulerit, quam accepta in præsens afferre potuisset. Graculum illum, quem laudibus nostris confici scribis, contemnas censeo. Neque enim disrumperetur alienis, nisi diffideret suis, et se plane ῥαψῳδόν esse intelligeret. Equidem, quamquam tu aliter suspicari videris, tamen hominem esse poetam numquam putavi, versificatorem quendam et μουσοπάταγον semper iudicavi, minimi iudicii, nullius ingenii, Græcarum literarum prorsus expertem, Latinarum plane rudem, ingenuarum artium omnino imperitum, ambitiosum ad hæc, et supra quam dici possit, gloriæ cupidum, atque eo laudis alienæ simul et furem improbissimum, et obtrectatorem assiduum. Quæ de Hieron. Fondulo, fuerunt ea mihi omnino gratissima, sed minime nova. Iam enim olim penitus hominem cognitum habeo, quum pluribus atque optimis artibus ornatum, tum vero nulla in cæteros invidia suffusum, contraque singulari quadam et eximia tum probitate, tum etiam quam in multis hodie studiosis desideres, urbanitate præditum. Petri Zancæi suavitatem, ex Bucolico illo carmine, quo accusatoris nostri mortem deploravit, pridem facile cognoram: hominis autem peradolescentis poema esse nesciebam. Gratulaberis igitur ei meis verbis, vel de tam generoso spiritu, vel de tam præclara indole. Simul et hortaberis, ut qua cœpit ire via, pergat. Fore enim nisi et ipse sibi desit, hoc est, si extrema cum primis contexet, et ego præsensione multum fallar, ut et suum et eorum, quos celebrarit omnium nomen immortalitati aliquando commendet. Literas quas te istinc ad me scripsisse commemoras, omnes accepi. Tu vero meas non omnes, hoc est, illas, quas Iccio portu et Lutetia Parisiorum ad te dedi. Neque sane tam moveor, quod in alienas manus inciderint, aut etiam interierint, quam quod iam omnino nesciam, quid illinc ad te Marianumque scripserim. Quæ quidem causa fuit, ut mihi omnium mearum ad vos epistolarum exempla mitti postularem. Quod eas autem Marianus in volumina referendas curavit, est id quidem magnum illius erga me amoris argumentum, sed ad eam sustinendam, quam tu cæterique

amici nostri de me prædicatione vestra opinionem excitastis, valde periculosum. Nam criticis istis epistolas meas probari posse qui sperem, si ne mihi quidem probantur ipsi, quod non solum non accurate, sed quotidianis etiam verbis et plebeio sermone contexere soleam? Equidem mallem eos omnes conscidisset, ὥς μή τινα τοῖς αὐτόθι Ἀριστάρχοις τοῦ διαβάλλεσθαι, μᾶλλον δὲ τοῦ ὀβελίζειν ἀφορμὴν παρέχοιμεν. Audio enim istic quoque multos esse, qui de ingenio et doctrina studiosorum ex alicuius unius epistolæ lectione statim pronuncient. Quasi vero ea nostra sit ratio, ut tantundem fortunæ debeamus quantum consilio: aut ii qui epistolas suas ediderunt, eas non prius per otium diligenter recognoverint, quam in apertum protulerint. Multum quidem nobis in scribendo industriæ ponendum esset, si aut res serias graviter tractaremus, aut omnibus scriberemus, aut ad ingenii commendationem aliquid commentaremur. Nunc autem quum amicos familiariter doceamus, si quid sit quod illos statim scire, aut nostra, aut ipsorum intersit, maiorem profecto officii, quam in scribendo diligentiæ rationem nobis habendam existimo, ne vel quid epistolam deceat nescivisse, vel amicitiæ libertatem ignorasse videamur. Sed hac de re satis, vel etiam nimium multa, præsertim quum mihi in hanc rationem alias videar nonnihil ad te scripsisse. Proinde ad literas tuas redeo: quarum quidem extrema pagella tantam gladiorum licentiam, tot indignas mutuasque civium Rom. cædes continebat, ut facillime animadverterem, nihil istic esse præter te ac paucos item amicos, quod me delectare possit. Quis enim tantam immanitatem spectare sustineat, quam etiam ii qui longissime absunt, sine horrore audire non possunt? Non ita certe maiores nostri, non ita Romani. Verum ea mea est causa, ut quid sentiam nolim aperte scribere: tantum dico, ista me audire malle quam videre. Sane quidem illud multo libentius legi, quo Io. Gorytio, homini gratissimo officium meum gratum significares. Equidem dabo operam, ut neque ipsum, neque alium quemquam suscepti negotii umquam

pœniteat. De eodem Gorytio illud velim diligenter perscribas, ecquid sacrum Annæ diem anniversario illo studiosorum hominum conventu epulisque celebrarit: an vero propter anni superioris dissidium, cœnas facere omnino desierit: an sodalitatem potius illam — scis quam dico? — non vocarit, reliquis cœnam dederit. Neque vero quam eos laute splendideque acceperit, quæro — novi hominis magnificentiam — sed quid dictum, quamque frequens convivium eo hominum genere fuerit, qui se Academicos et esse et numerari existimant. Subvereor interdum ut cum illis in gratiam redierit: contra quum mihi in mentem venit, istis et cœnas et hortos Epicuri mirum in modum probari, hunc autem mensas non sumptuose minus quam libenter instruere, iam nihil inimicitiarum reliquum esse suspicor. Tu me velim de tota diei illius ratione certiorem facias. Nam quod ad me attinet, vivo hic in studiis nostris cum St. Saulio, viro ea erga me liberalitate et benevolentia, ut in re familiari sua nihil suum esse malit quam meum: ea animi moderatione, ut quum me hospitio receperit, inde magnam se arbitretur atque etiam præ se ferat existimationem accipere: ea porro in literis vel industria, ut non multum ingenio, quo tamen valet plurimum, debere videatur, vel felicitate, ut incredibile sit, quo iam processerit, et paucis annis perventurus existimetur. Stathius Simioli nostri discipulus quidam, Hier. Alexandrino non ignotus, homo Romanus sit an Calaber, fac plane sciam. De Flaminio nostro velim ad me aliquid scribas, eundemque meis verbis salutes: ac etiam roges, cur nihil adhuc ad me literarum. Ego enim nihil ad eum scripsi, quod neque scirem ut cum ipso ageretur, neque certi quicquam haberem, ad quod literas meas accommodarem. Quod ingenio, industria, virtute æquales suos omnes longe superarit, plane non dubito: ne fortuna tantæ indoli maligne responderit, etiam atque etiam timeo. Sed tamen velim ut animo maximo sit, optetque semper secunda, cogitet adversa, ferat qualiacunque acciderint, neque sibi præstandum quicquam præter culpam existimet: a qua sane tam longe abest, quam

ab ea ætate quæ vel culpam adhuc præstare debeat. Tu vero mi Læli, te P. Bembo dabis, et Jac. Sadoleto: quos quidem vel mea, vel tua, vel suæ etiam humanitatis causa te complexuros esse certo scio. Sed iam modum, vel finem potius scribendi facio: modum enim epistolæ iam diu multumque excessi. Vale, et me ama. Patavii. Calend. August.

Ep. XXIV.

C. LONGOLIUS VIDOBALDO ROUZERIO S.

Si vales, bene est: ego quidem valeo. Cognovi ex tuis literis, quas ad me luctus et lacrimarum plenas dedisti, et quanto te mœrore parentis tui obitus affecisset, et quanta te vitæ istius satietas iam teneret. Quorum quidem alterum vel in medio dolore, quem ex molestiis tuis traxeram, gratum ac pæne etiam iucundum mihi fuit: ex eo enim in spem veni, te aliquando ad nos rediturum esse. Alterum pro eo sane ac debui graviter admodum et ægro tuli. Accepisti enim tu omnino vulnus, sed mea quidem sententia, eiusmodi, cui tu facillime mederi possis: nisi fortasse eum vel longa iam die, vel etiam præsenti animi ratione eluxisti, quem te amisisse tum quidem graviter querebare. Amisisti autem parentem, virum optimum omnino illum, sed parentem tamen, hoc est eum, cui te lege atque rerum naturæ ordine superstitem esse oportuit: ut is quidem non tam tibi ereptus, quam diem suum obiisse putandus sit, præsertim quum ea ætate decesserit, quum iam satis tum naturæ tum etiam virtuti fecisse videretur. Neque eius hominis mors quasi immatura, nobis acerbius ferenda est, qui quamdiu opus fuit, vixerit, et ita vixerit, ut eum non periisse, sed in æternam illam domum vitamque migrasse credendum sit. Quamquam quicum loquor? an non cum eo, qui quum se Christianum hominem esse meminit, tum vero in literis diligentissime semper versatus, nullam tamen adhuc

cuiusquam ad filium de morte patris consolationem legit? Itaque quum neque ii qui animas una cum corporibus nostras interire existimarunt, lugendos liberis parentum obitus duxerint, quod eorum morte non esse mærendum arbitrarentur, qui suo fato functi essent: neque vero Christiana nobis persuasio hominem Christianum lugere sinat, quod præposterum sit illorum nos morte dolere, quos tum denique vivere sciamus, quum vixerint: tulisti tu quoque opinor, casum istum humaniter: nec quæ tu ad me de eo scripsisti, tam eo scripsisti, ut mihi luctus tui acerbitatem significares, quam ut quum te hominem ostenderes, tum literas etiam meas quoquo modo eliceres. Id si ita est, habes tu quidem meas, sed non eius certe generis, quales maxime exspectabas, aut illa omnino tuarum ad me literarum ascriptio postulabat: qua quidem tantum mihi tribuis, quantum equidem nec agnosco, nec si pudentiusculus sim, optare audeam, Quare si me amas, mi Vidobalde, ne me posthac tam honorifice, ne invidiose dicam, vel contumeliose potius, salutaveris. Sic enim Thersitem Achillis laudibus ornamus. Quod ut ex animo, et bona plane fide id feceris, me tamen auctore in posterum non committes, ut tu aut pudori meo parum consuluisse, aut certe etiam hominibus ineptire videare. Tametsi, si me audies, nihil iam scribes, sed te potius ipse nobis et literis quam primum reddes. Quod si ea adhuc est rerum tuarum ratio, ut te huc statim recipere non possis, abiice tamen interim omnes istas molestias, nec tibi tam aliena vitia stomachum faciant, quam tuæ te virtutes delectent. Id vero ipsum facillime consequere, si te ad artium nostrarum studia referes: ad quæ ita te voco, ut te imbecillioris istius tuæ et valetudinis et naturæ rationem habere in primis velim. Dabis igitur operam, primum ut valeas: deinde ut tibi constet otii tui ratio: denique ut nos tuis literis nonnumquam appelles. Vix credas quantum ex earum tum elegantia, tum suavitate voluptatis captamus. Galeacium Gonzagam meis verbis salvere velim iubeas. Vale. Ex urbe Patavio. IV. Non. Jan.

Ep. XXV.

C. LONGOLIUS STATHIO S.

Etsi cum superiore epistola, scribendi ad te finem mihi fecisse arbitrabar, vel quia mihi ad hoc quidem literarûm genus non satis esse otii intelligebam vel quia te epistolam illam in eam quam volebam, et optimam partem accepturum confidebam: commotus tamen proximis tuis literis, quibus subvereri videris, ut parum sincera fide in gratiam tecum redierim, scribendum iterum ad te putavi, quum ut literas tuas mihi non iniucundas fuisse cognosceres, tum vero ut tibi significarem, gratiam nostrâm, et quam de præclara tua indole semper habui opinionem, iniquorum sermonibus numquam labefactatam fuisse. Tuli equidem moleste, quod vel illis de me tam facile credidisses, vel ob non satis probatam a me quandam epistolam tuam, inimicitias mihi denunciares: ut te autem odio meo dignum existimarem, adduci certe non potui. Nec enim nesciebam, quid ætati, quid ingenio, quid facilitati tuæ tribuendum esset, præsertim quum te non tam tua sponte, quam invidorum meorum impulsu, eo progressum esse perspicerem. Itaque egi tecum paulo quidem severius, fortasse etiam asperius, quam et tu exspectaras, et ego mehercule velim: sed nulla, mihi crede, iracundia permotus id feci, verum aut plenioris intestini, ex quo tum graviter laborabam, dolore concitatus: aut ne me tu remissum ac dissolutum, imo vero tibi parum amicum arbitrarere, si in eo te leviter admonuissem, in quo ipse amicitiam nostram graviter læsisse videbare. *Ἀλλ᾽ ἤτοι ταῦθ᾽ ὑποείξομεν ἀλλήλοισιν, σὺ μὲν ἐγώ, σὺ δέ μοι.* Ego enim quum nullas cuiusquam inimicitias mihi suscipiendas existimo, tum neminem mihi non amicum esse cupio, qui ea quidem qua tu es, indole sit præditus. Atque ut statim intelligas, quam te mihi iam non amicum modo, sed familiarem etiam hac scribendi consuetudine putem, accipe quid ego in literis tuis desiderarim: non qui eas magni esse momenti res ducam, sed quum ut te ad eandem in scriptis meis libertatem usurpandam sub-

invitem, vel potius tuam in scribendo ipse imiter — sic enim accipio — tum ut in eo, quod me prioribus tuis literis non fecisse querebare, tibi morem geram. Questus es autem, quod eorum quæ ad stomachum meum parum facerent, te officiose non admonuissem. Iam primum, Salmonium amicum tibi atque hominem gratum esse scribis. Id si ita est, cur in eum tam acerbe inveheris? Sin tibi hoc permittis, quod is de te atque nomine Latino pessime sit meritus, cur hunc eundem in eadem epistola, amicum tibi et gratum hominem esse prædicas? præsertim si cum eo in gratia numquam fuisti, aut certe his interpellantibus, quas tu quidem causaris, iniuriis, hodie esse non possis? Quod ut ita tibi tuo iure loqui liceat, illud quidem certe reticere non debuisti, sed omnino aperte scribere, quid tandem sit, quod ille nomini Latino vitio verterit. Neque enim id esse mihi facile persuadeo, quod te istic dicere memini: solere civium tuorum multos recte loquendi rationem negligere. Nam ut homo grammaticus, quum tu illum fortasse barbarum appellares, id acerbius dixerit, nulla sane tamen insigni contumelia nomen latinum affecisse, sed pro linguæ latinæ dignitate potius egregie disputasse videatur: qui ab iis latinum sermonem solœcismi fœditate interdum pollui ægre tulerit, a quibus maxime castum incorruptumque servari oporteat. Nisi tu fortasse in ea sententia es, vos ut literas non multo doctrinæ studio, sed sola nascendi conditione consequi existimes: atque eos, qui longe a Latio orti sunt, in iis capessendis operam perdere, Latinos autem homines simulac nati sunt, in cunis etiam diserte numeroseque vagire. Atqui certe non negabis civium tuorum plerosque ne Latine quidem scire, nedum Romani sermonis puritatem in postremis habere. At in Jani Lascaris, hominis tibi amici, carmine, versum aut verbum potius quoddam non probavit. Quid tum? an ideo tibi statim, ut verba tua ponam, arma sumenda credidisti, tamquam de re Latina prorsus esset actum, si quid ille in eo hominis præsertim Græci versu improbasset? Vide, mi Stathi, ne huiuscemodi patrocinio transalpinis gentibus ri-

sum, Italis stomachum moveas. Nam quod ad Janum Lascarum attinet, est ille omnino mihi maiore et quasi sanctioris cuiusdam necessitudinis vinculo coniunctus, quam tibi, quod eius mihi optima Romæ opera uni in Græcis literis uti licuerit: sed non minus tamen Salmonio, quam nobis amicus, nec mediusfidius indignari solet, si quis scripta ipsius etiam liberius quam par sit, censeat. Quod autem in eadem epistola braccatum quendam contumeliose appellas, in eo quid tibi velis plane nescio, nisi tu fortasse in te lusisti, quem quidem quum Romæ, tum Lutetiæ Parisiorum, atque nuper Venetiis numquam togatum, raro penulatum, semper fere braccatum conspexi. Atque ut illud omittam, quod transalpinarum gentium in Italos iniquitatem perstringis — nec enim te id ex animo dixisse reor, quum tu certe eos ita in vos animatos esse haudquaquam sis expertus — istud cuiusmodi tandem est, quo me sane graviter repunctum iri existimasti, si de puerili illa mea concione mihi obiecisses? de qua nihil amplius dicam, quam quod S. P. Romanus iudicavit: qui me non solum ab huiusmodi calumnia diis hominibusque approbantibus absolvit, verum etiam triumphum ex inimicorum meorum dolore iustissimum agere voluit, quando me, quod quidem nulli adhuc mortalium contigit, absentem virtutis doctrinæque ergo civitate Romana donavit: missis etiam ad me Venetias usque publice consignatis diplomatis duobus, quorum me altero Senatus, altero Tribun. plebis, civitatis iure singularibus verbis dignissimum iudicassent: idque quum aliis, uti testantur, de causis, tum certe quod Italiam et urbem Romam eo laudassem modo, quo ante me mortalium nemo. Quod eo sane pertinet, ut intelligas S. P. Q. Rom. ideo mihi maximum honorem habuisse, quod se maximum quoque a nobis accepisse duceret. Quorum quidem secutus auctoritatem populus Fluentinus, mihi non civitatem modo suam, si me illuc ad instituendam bonis artibus iuventutem conferrem, sed vicena præterea quina in annos singulos sestertiorum numum millia ex ærario publico decrevit: quod etiam mihi adhuc nostra patrumque memoria uni datum

esse infitias non ieris. Transeo præclara illa, et in causam nostram perquam honorifica tot doctissimorum hominum, tot principum virorum testimonia, ipsius denique decimi Leonis Pont. Max. de contentione item illa, quæ mihi cum nonnullis vestris amicis anno superiore Romæ intercessit, iudicium: etiam postquam ille nominis nostri delator, in me absentem tanto plausu tantaque auditorum admiratione dixisset, ut eloquentia Romana cum eo et revixisse, et rursus exstincta esse a plerisque credatur. Quo quid manifestius, plus valuisse apud æquos iudices absentis innocentiam, quam accusatorum gratiam atque eloquentiam? quos id mihi potissimum tum obiecisse non ignoras, quod tu mihi nunc in epistola tua vitio dabas. Quod nisi hoc in genere, ea mea esset causa, ut quid sentiam nolim explicare, ostenderem aliis rationibus, cur orationem illam mihi exprobrare non debueris. Equidem invitus hoc ulcus refrico, sed veritus sum plane, ut si tacerem, ne et crimen ipse agnoscere et tibi parum satisfacere viderer, qui a me, si quid esset quod me in literis tuis offenderet, uti te monerem petiisti. Quare si quid contra in his erit, quo te ipse læsum putabis, postulo a te meo quoque iure, ut in tua mihi culpa ignoscas, qui id mihi fecisse videor, quod et ratio, et ipse tu mihi præscribebatis. Vale et te mihi cariorem esse tibi persuade, quam iis sis, qui nos committere tentarunt. Patavii.

Ep. XXVI.

C. LONGOLIUS MERLINO GELASIANO S.

Scribam ad te, quum vacabit, uberius: nunc enim eo tantum scribo ut mihi non satis esse otii intelligas. Nam qui tuas attulerunt literas, ii quum longo post interallo quam eas abs te accepissent, mihi reddiderunt: tum eo certe ipso temporis puncto, quum hinc proficiscerentur, num quid ad te vellem petierunt. Quo quidem etiam factum est, ut neque ad tuos quicquam omnino miserim: in quo tibi tamen

propediem et cumulate satisfecero, sed non in eam plane quam tu te cupere ostendis, sententiam, ut tibi pecuniam in sumptum suppeditent. Si enim annum item unum aut alterum impetrabimus, pecuniam quoque impetrabimus: sin illud teneri non poterit, frustra numorum meminerimus; quamquam hi, si fortunis nostris uti voles, tibi defuturi non sunt. Nec enim aut tam parum locupletes sumus, aut tam pecuniæ cupidi, quin studia tua libenter ac liberaliter tueri possimus. Sed hoc tui etiam, non solum mei fuerit consilii. Orationem quam tantopere desideras mitto ad te: non satis quidem multis facturam illam, ut quæ ne mihi omnino placeat, sed hæc tamen ipsa illa est, cuius admiratione commotus Pop. primum Romanus, absenti mihi civitatis diplomata statim expedierit, quæ præsenti denegasset: deinde Fluentinus vicena in annos singulos quina sestertiorum numum millia ex ærario publico mihi decreverit. Quod ipsum non tam mirantur Itali, ob pecuniæ magnitudinem, tametsi ea per se in eo docendi genere est plane admirabilis, quam quod insolens sit et adhuc inauditum, trans Alpes accersiri hominem qui in media Italia Latinas literas conserat. Sed hæc quoque per otium. Salutem Belleio: de quo non sane belli, nec quales exspectabamus rumores ad nos perferuntur, sed quos tamen falsos esse sperem, cupio quidem certe. Vale. Ex urbe Patavio. V. Cal. Mai.

Ep. XXVII.

C. LONGOLIUS SIMONI VILLANOVANO S.

Pergratæ mihi fuissent tuæ literæ, si, quam nobis luculente ingenii tui elegantiam expresserunt, tam iucundum de vitæ tuæ rationibus nuntium attulissent. Sed id et antiquum est, et haud scio, an etiam fato literarum quodam comparatum, ut quo quis ingenuas artes complectatur studiosius, hoc fortunæ fluctibus iactetur acerbius. Hæc enim — ne forte nescias — mihi tecum est communis querela. Nam etsi ipse

nulla insigni, ut nunc quidem est, rei familiaris inopia premor, illud tamen eiusdem fortunæ iniuria commissum esse video, ut ea sit rerum mearum tenuitas atque angustia, ut tibi ista spe, ista probitate adolescenti, auxilium meum imploranti, non dico non opitulari — quod ipsum per se miserum est — sed vix benigne quicquam polliceri possim. Ego enim, quod te satis intelligere existimo, pari literarum studio incensus et afflictus, procul a patria vitam ago, non meis iam, aut, quod par erat, meorum, sed plane alienis opibus casus meos sustentans. Verum quando nemini uni omnia Deus concessit, nec ego quicquam otio nostro esse ducam vel iucundius, vel honestius, facile patior apud cæteros plus opum residere. Mihi certe numquam in mentem venit, istorum cuiquam invidere, quorum abs te insolentiam et iactationem ferri posse negas. Idem ipse de te censeo statuas, nec te inanibus istis curis conficias. Parvo tibi ad tuenda studia tua sumptu opus est. Is autem nusquam homini studioso et frugi deesse potest. Sed ad epistolam tuam: in qua quod te mihi de literarum tuarum silentio tam multis verbis purgares, nihil sane necesse fuit. Quam enim ipse mihi in eo scribendi genere legem dixi, hanc cæteris quoque omnibus dictam velim: ut tum denique literis, quum id vel nostra vel amicorum intersit, utamur. Reliqua epistolarum genera, etsi me non parum delectant, præsertim quas homo neque stultus neque infans conscripserit, ea tamen ab amicis non magnopere exquiro, quorum officium ad mutuam animorum voluntatem, non ad inania hæc studia, semper referendum esse iudicavi. Sic igitur facies, et per me quidem tacebis quum voles, et quamdiu voles: ita tamen ut mihi literarum tuarum sermo cessatione gratior sit futurus: sed ea, ut dixi, conditione, ne tu in eo parem a me vel gratiam exspectes, vel diligentiam. Vix enim credas, quam mihi in tanto otio scribundis literis parum vacet. Quod porro te nobiscum vivere velle ostendis, est id mihi quidem gratissimum: sed quid te ea in re iuvare possim hoc tempore, non plane video. Persequar tamen vias omnes, ut mihi consuetudinem tuam

in optatis maxime fuisse aliquando intelligas: quamquam id te iam intellexisse literæ tuæ significabant, et certe ita est. Amavi te quo primum die cognovi, spectavique ex eo tempore semper quemadmodum nobis de studiorum nostrorum rationibus inter nos commentari sæpius liceret: verum nescius quid tu ea in re animi haberes, curavi id scilicet adhuc lentius, quam animorum nostrorum coniunctio postulare videatur. Nunc etsi mihi consiliorum tuorum rationes significasti magis, quam explicuisti, tamen videbimus diligenter aliquid, in quo sit tum certa tuendi otii tui fides, hoc enim mecum agere videris, tum eius quam mihi tecum intercedere velim consuetudinis explorata facultas. Tu fac interim animo sis magno, nec quicquam esse putes tanti, quod studiorum tuorum iter interrumpat. Quæ nunc iacet afflicta, emerget, mihi crede, aliquando virtus. Vale. Ex urbe Patavio. Nono Calend. Jun.

Scripta iam diu epistola, nec eo data, quod cui recte committeretur non esset, accepi alteras abs te literas, multo miserabilius quidem et tristius, quam superiores, sed in eandem tamen rationem conscriptas. Itaque hic mihi tantum admonendus es, ne te ægritudini dedas, quæ nec rationibus tuis quicquam profutura est, et studiis tuis multum etiam obfutura. Sed nec tam acerbus iste, quem impendere ostendis, casus videri potest, ut cum eo tibi omnem libertatis et dignitatis spem abiiciendam esse existimes. Iam primum ea servitus, siquidem servitus dicenda est, alios mercede docere, tibi cum omnibus fere tui ordinis hominibus communis futura est. Deinde si sapis, nec ipse te nunc proiicis, uberes etiam inde fructus percipies. Denique non tam iustas abs te quemquam suis musis operas exacturum puto, quin tibi cum tuis rationem habere liceat, si non quatenus cupias, certe quantum homini, qui et meditationis bono uti norit, et in rectam disciplinæ viam iam olim ingressus sit, sufficiat. Postremo velim te mihi hominem esse memineris, qui iam pridem non cum natura tua, quæ quidem tibi contigit optima, sed cum fortuna, quæ tamen omnino non sit pessima, luc-

tari cœperis. Id si diligenter feceris, nec spe fueris nulla, et ista qualicunque sunt humaniter tuleris. Agerem his de rebus tecum et certius et subtilius, si quibus conditionibus invitere; et quo ipse sis statu, mihi aperte exposuisses. Nunc in rerum omnium ignoratione summa, ad quidnam potissimum literas meas accommodem, aut quid tibi consilii dem, non plane habeo. Sit tamen id caput, serviendum tibi esse tempori. Ego enim ne diu servias, perficiam; operam quidem certe ac studium meum omne in eo tibi quam diligentissime navabo. Extremum illud erit, quod et si minimum præsidii affert, est tamen omnium certissimum. Persuade tibi in re familiari mea esse nihil, quod tibi non commune mecum esse velim. Iterum Vale. IV. Non. Jun.

Ep. XXVIII.

C. LONGOLIUS ST. SAULIO ET M. ANT. FLAMINIO S.

Etsi constitueram nihil ad vos literarum dare, nisi me vel scriptis vestris ipsi provocassetis, vel hic certe aliquid epistola dignum nobis occurrisset: tamen quum istuc P. Alcyonius proficisceretur, homo nostri ita studiosus ut se sine meis literis hinc discessurum esse negaret, scripsi has ad vos, pro summa vestra inter vos coniunctione, communiter, quibus id a me unum intelligeretis, eosdem nos adhuc esse quos hic reliquissetis, duntaxat ut pro re nata, neque pristinæ vitæ splendorem, neque otii quietem, neque singularem eorum quibuscum vivo, erga me benevolentiam desiderem. Nam illam consuetudinis vestræ iucunditatem, illam sermonum, in quibus mihi erant fere omnia, suavitatem ita requiro, ut non in vicinam aliquam domum — quod quidem fore initio putaram — sed in ipsam plane ultimam Britanniam cum hospitibus meis demigrasse mihi videar. Sustentat me tamen una et consolatur maturi vestri spes reditus: cuius exspectatione ne me dicta die longius suspendatis, vos etiam atque

etiam rogo. Quamquam enim nobis tam integrum non est, eodem ut posthac tecto utamur, ea tamen locorum vicinitas futura est, ut totos dies iuncti simul esse possimus. Quid etiam? quid? quod scilicet in mediis istis curis ridere vobis liceat. Ego certe rideo, non ea quidem ipsa quæ nobis proponuntur — sunt enim magnæ deliberationis — sed quod ad me aliquando tandem ventum sit. Sollicitor crebris ex Germania literis, ut M. Lutheri causam suscipiam: ab urbe Roma nunciis, ut hominem stylo persequar. Missi sunt utrimque ad me commentarii pleniores, pollicitationesque eiusmodi, ut omnino scripturus sim, si id sine institutæ studiorum nostrorum rationis incommodo præstare possim. Causa me interdum movet, qua quidem neque illustrior, neque gravior alia umquam reperiri queat: contra me deterret negotii magnitudo. Nec enim difficilius quicquam esse puto, quam, non dico tantis de rebus copiose graviterque dicere, sed eas vel Latinis literis illustrare. Quod a nobis tamen perfici posse nondum plane despero. Commentabimur quidem aliquid, ne soli cessasse videamur; in utram partem? In utramque scilicet, quo certius tota de re iudicare possimus. Quamquam quo me vel grati animi officium, vel tot ætatum gentiumque consensus vocet, non ignoratis. Et certe durior est Martini causa, quem et Pont. Maximus diris omnibus iam defixerit, et Cæsar ipse nuper hostem iudicarit: sed nondum tamen bonorum omnium iudicium perdidit. Germania certe ad eam hodie tuendam multo erectior est, quam antea umquam fuisse existimetur. In Pontificis causam si descendo, id periculi est, ne me potentioribus videar venditare, atque eorum etiam flagitiis auctorem præbere: in Lutheri, ne contra religionem sentire et facere aliquid existimer, qui hominem damnatum defendam. Sed quum primum constitutum aliquid habuero, faciam vos fortasse certiores. Salutem communibus amicis, nominatim autem Do. Saulio et Hectori nostro. Nam de Jo. Saulii valetudine ita sum sollicitus, ut hoc in genere nec quid scribam, nec quid a vobis petam satis reperiam; vereor enim ne quod audire nolim rescribatis. Sed hoc vestri fuerit con-

silii, sitne de eo aliquid ad me mittendum. Ego enim quod unum absens possum, saluti eius vota facere non desino. Valete. Patavii. pridie Id. Jun.

Ep. XXIX.

C. LONGOLIUS STEPH. SAULIO S.

Quum ad XVII. Cal. Jul. tristem illum de Joan. fratris tui obitu nuntium accepissem, scripsi ad te statim pro tempore pauca quædam, eaque ipsa ne mihi quidem tum satis probata: quippe qui benevolentia magis erga te mea adductus, testificaturusque tibi dolorem meum, eo festinanter descendissem, quam quod aut te virum fortissimum, casum istum tam acerbe ferre existimarem, aut si tu eo gravissimo accepto vulnere frangerere, ipse me tibi mederi posse confiderem, qui sane consolandus eram, propterea quod fratris tui morte molestius nihil iam dudum tulissem. Verum lectis hodie tuis literis, quibus mihi rescribendum putasti, quum magnum ex officii mei conscientia fructum cepi, tum vero ad minuendum luctum tuum pusillam illam meam epistolam multum valuisse cognovi: qui universum tibi tuum dolorem a me exhauriri potuisse significes, si certam tibi spem, bene cum eo, qui nobis occidisset, agi attulissem. Ego vero, quamquam nonnulla in eo mea est culpa, quod tanta de re subito et exigue scripserim, tamen te singulari prope prudentia virum istiusmodi rerum, præsertim quas in ore atque animo semper haberemus, minime admonendum existimavi. Arbitrabar enim tibi homini e religione Christiano, nihil æque in mentem tum venisse, atque de illius manibus cogitare: quos quidem non modo miseros non esse, sed in æterna illa ac beata domo ætatem agere, acta hominis vita te docere poterat. Quod ipsum etiam tibi a me satis significari tum putabam, quum ea illum probitate floruisse testarer, ut Probi cognomine merito nobilitatus esset. Atque ita est profecto

mi Stephane, si cuius umquam pietas atque singularis innocentia ab impiorum pœnis tuta cæloque digna mihi visa est, Joannem certe tuum ab hac rerum humanarum perturbatione, in divinas illas sedes migrasse non dubitanter affirmare ausim. Non faciam ut hic singulas eius virtutes atque ornamenta commemorem, quibus illum et beatum fuisse dum vixit, et hodie beatissimum esse iudicem. Vereor enim nedum divinæ eius bonitati testimonium dare cupio, desiderium tuum refricem, vel dolorem potius augeam, sed tamen si quemadmodum ostendis, et certe par est, simplex illa tibi de dolore ipsius cura relicta est, valde iubeo sperare te, imo vero plane confidere, non posse non optime cum eo illic agi, qui nobiscum hic optime semper et sanctissime vixerit. Atque hæc quidem de Jo. fratris tui manibus, quorum apud me tam explorata est salus, ut eos mihi veneratione potius, quam misericordia prosequendos putavi, atque etiam propitios iam exoptem. Reliquum est, ut humana ista omnia qualiacunque sunt, sapienter tibi et fortiter ferenda esse ducas, qui præ cæteris uni sapientiæ studiosis deditus, et eo animi robore præditus, ut quæcunque vulgus admiratur aut timet, ea ipse tu, si animum induxeris, contemnere possis atque despicere. Induces autem facillime, si quod te facere arbitror, philosophiam ipsam nihil aliud esse, nisi perpetuam mortis commentationem semper memineris. Vale. Ex urbe Patavii. IV. Cal. Sex.

Ep. XXX.

EIDEM.

Siquid umquam ex hominis mihi necessarii morte doloris cepi, acerbissimum certe nobis de Joan. fratris tui obitu nuncium fuisse, tu pro meo in te tuosque omnes, sed illum in primis amore existimare potes. Tanti enim semper hominem feci, quanti apud me is esse debuit, quem et tu faceres plurimi, et ego mihi amicissimum esse iudica-

rem, tum vero ea probitate præditum cognoscerem, quem illum Probi cognomine merito nobilitasset. Verum quid agas? sic nobis hunc casum ferendum esse censeo, quemadmodum decet eos homines, qui nec de animorum immortalitate quicquam dubitent, et illum mortalem hic fuisse, et se non diu superstites ei fore sciant. Profecto quum mihi una sententia genus humanum iam inde a condito orbe damnatum esse in mentem venit: quum omni spe præcisa nos ad ultimum supplicium omnes quotidie rapi video, quum nullam omnino ullis aut fortunæ, aut ætatis, aut virtutis rationem haberi perspicio: facit ipsa scilicet salutis desperatio, non quidem ut omni doloris sensu caream — hoc enim nobis in tantis malis sit fortasse optandum magis, quam sperandum — sed ut quadam animi æquitate me sustentans, quum amicorum exitus humanius feram, qui eodem ipse me duci videam, tum vero ut de me præcipue cogitem, et hoc ipso uno me consoler, quod solatio relictum loci nihil intelligam, duntaxat quin nobis velimus nolimus pereundum sit. Nam ut ista quæ vulgo acerbissima putantur, non tam horreamus, quam multitudinis opinione timenda sunt, hoc nobis ipsum tum persuasionis nostræ certa fides, tum etiam animus ipse præstare potest: quem quidem tu, quum et natura sis nactus optimum, et multarum rerum usu, multaque doctrina, et quod caput est, religionis Christianæ pietate instructissimum: feras ea moderate oportet, quæ nec vitari, nec accusari a quoquam posse constet. Hac enim lege in vitam ingressi sumus, ut aut statim occideremus ipsi, aut diutius vivendo, eos non sine dolore aliquando amitteremus, quos vel plus vel aliter atque par fuerat, caros habuissemus. Scriberem plura, aut his etiam leniora, nisi tum ea te adhuc meminisse certo scirem, quæ in hanc tecum rationem multa nuper disputavi: tum vero eam esse animi tui firmitudinem, ut ne his quidem remediis magnopere indigeas. Facere tamen propter benevolentiam non potui, quin tibi hoc tempore meum vel officium per literas præstarem, vel amorem quacunque ratione testificarer. Vale.

Ep. XXXI.

C. LONGOLIUS M. ANT. FLAMINIO S.

Iucundissimæ mihi fuerunt tuæ literæ, quibus quum alia multa nobis non ingrata, tum vero diserti illius philosophi vanitatem atque ineptias facete admodum exequebare. Est is tamen mi Flamini, eo ingenio, ut non a bonis omnibus irridendus sit, sed pessime interdum accipiendus, vel potius, quasi pestis quædam, omnino cavendus. Qua in sententia etsi iam olim esse cœperam, tamen nuper ab eo ipso in ea sum plane confirmatus. Nam quum post diem tertium quam superiores ad vos literas dedissem, ad me revertisse, necdum deliberatum habere se diceret, utrum institutum iter persequeretur, an vero se hinc Venetias, ad eos quos ibi ægrotos multos reliquisset, curandos referret, cohortatusque essem hominem, ut si non aliam ob causam, certe quo consuetudine vestra per otium aliquando frueretur, istuc ire pergeret: hic tibi non ausim, vir optime mihique carissime, quæ homo impurus in te patremque tuum evomuerit, commemorare. Nam Hectorem nostrum, quasi hominem imperitum et indoctum, longe aspernabatur: Stephanum vero, etiam ut avaritiæ sordibus inquinatum execrabatur, qui a se Lazarum Bonamicum tam facile dimisisset, quem duplicato operæ præmio retinere potuisset. Tu vero — sed talia sunt, quæ ne literis quidem honeste committi possunt — tantum habeto, pessime illum de te et sentire et loqui. Ego qui tum intimis sensibus angerer, animæ æquitatem vultu ægre sustinerem, sed simulatione tamen eam mihi tuendam arbitrabar, rogo hominem, undenam illa, quæ in te conferret, rescivisset, qui te vix de facie, idque paucos ante dies, nosset: me quidem, qui tecum annum amplius unum familiarissime vixissem, nihil in te quod non homine ingenuo, et iis quibus a puero deditus fuisses, optimis artibus dignum videretur animadvertisse. Hic simiolus ille, quum aliquamdiu hæsitasset, nec impudentiæ suæ exitum alium, credo, reperiret: Erras, inquit, Longoli erras, si quod te vel ingenii, vel vir-

tutis lumen in eo perspexisse putas, qui et ipse pædagogus sit, et pædagogo patre avoque natus. Quid quæris? risi equidem ipse hominis amentiam, sed eiusdem quoque petulans mendacium flagris coercendum iudicavi. Atqui vides, quæ sit hic meæ, præsertim adversis istiusmodi homines, causæ libertas. Itaque totum me ad sanandum, si qua ratione possem, eius stultitiam converti, verbisque satis multis ostendi, non modo quam præposterum esset, et a boni viri officio alienum, alienæ virtutis detractione sibi laudis aliquid quærere; sed etiam quam illiberale in alienis vel iuste insectandis vitiis libenter occupari. Qua quidem oratione hactenus ille commotus est, ut fateretur me recta quidem sentire et monere, sed se tamen nescio cuius tuæ epistolæ tam cito oblivisci non posse. Verum indignus est, de quo tam multa. Quæ nec ipsa sane tamen scripsissem, nisi te pro mutua nostra benevolentia admonendum putassem, ut etiam atque etiam videres, quantum illi tribuendum commitendumve esse iudicares, qui quum te ob os ita quemadmodum scribis, dilaudet, absentem tamen tam acerbe divexet, et quasi reum perpetua oratione insectetur: ne illud omnino reveritus, apud quem te accuset: sed hoc quoque singularis eius stultitiæ sit argumentum. Quod mihi de literis a me tibi scriptis gratias agis, facis tu abundantia quadam humanitatis tuæ, ut ea quoque grata habeas, quæ nisi tibi libenter præstarem, is ego certe non essem, quem tu me esse semper prædicasti. Quamquam illas non tam tua quam vel P. Alcyonii, vel etiam mea ipsius causa tum conscripsi, qui et tuas elicere profecto cuperem: et ita mihi tecum quoquo modo loqui viderer. Quod si rarius a me adhuc factum est, quam necessitudo familiaritasque nostra postulare videatur, velim quum mihi id in primis molestum esse iudices, tum vero me posthac non commissurum credas, ut ullo vel temporum vel locorum intervallo iter amoris nostri et officii mei facile interrumpi possit. Tu modo fac, ut quam mihi tuis ipse literis diligentiam navare cœpisti, eam mihi in reditum vestrum nihilominus præstes, id est, ut de rebus istis omnibus me

quam accuratissime certiorem facias. Nec enim nescis quam ego sim istiusmodi rerum curiosus, neque sane a me dici potest, quam mihi in eo quod de principum istorum conatibus scripsisti, gratum feceris. Itaque res eorum gestas, vel eventum belli potius a te exspecto: qua quidem exspectatione ne me diutius torqueas, vehementer a te peto, et si pateris etiam te rogo. Salutem D. Saulio, et Hectori nostro. Vale. Ex urbe Patavio. IV. Cal. Sextil.

Ep. XXXII.

EIDEM.

Scripseram nudius quartus communes ad te et St. Saulium literas, daturus eas P. Alcyonio: qui quum istuc iter haberet, se tamen profectionis suæ consilium abiecturum potius quam sine meis literis ad vos venturum esse ostenderat. Sed nosti hominis ingenium, ille enim et cœnæ, quam ei opiparam hic dederamus; et laudum quibus a nobis ornatissimus discesserat: et literarum, quas summa contentione ut festinanter scriberem pervicerat, oblitus, profectus esse dicitur. Quod vos idcirco scire volui, ut meis verbis hac de inhumanitate cum eo expostuletis. Quamquam id ipsum de quo queror, non omnino incommode nobis cecidisse videri possis. Ea enim iis literis incaute commiseram, quæ illum in primis celatum esse cupiebam. Perfecerat scilicet pristinæ nostræ consuetudinis usus, ut magis quibuscum agerem in mentem mihi veniret, quam cui literas daturus essem satis meminissem. Eas porro ipsas, quum aliter initio statuissem, tibi tamen uni inscripsi, quod eodem fere tempore de Jo. Saulii obitu sum a Cæsare Fulgosio factus certior. Ita visum est faciendum, ad Steph. Saulium præcipuas et isti tempori accommodatiores mittere. Tu si gravabere mihi Latine scribere — scio enim quam hoc in genere tibi numquam satisfacias, qui cæteris, mihi crede, satisfaceres, si quantum in eo valeas, tantum auderes — per me quidem Italice scribas

licet, idque ita denique, si quid habueris quod me scire nostra intersit. Sin minus, tacebis quoad voles: voles autem tamdiu me auctore, quamdiu nihil erit quod scribas. Saluere a me iubebis Do. Saulium et Hectorem nostrum. Ex urbe Patavio. 17. Calend. Jul.

De ludorum apparatu, et tota decursionis ratione: hoc est, quis cui commissus esset, qui rem strenue gessissent, qui palmam denique tulisset, item qui in harena corruissent, qui et quot et quatenus hastas infesto cursu confregissent: breviter singulorum dierum acta et casus ad te diligentissime ut pollicitus eram perscripsissem, nisi Bernardini contentione perfectum fuisset, primum ut res ad Idus reiiceretur, deinde etiam ut S. C. tolleretur. Itaque scito legitimos ludos a nobis nullos spectatos esse: tantum voluptatis modo, quantum quum tu hic aderas percepisse.

Ep. XXXIII.

C. LONGOLIUS FR. RUBRIO S.

Non putavi me tibi, quam de Villanovano nostro mihi gratum fecisses, aliter posse ostendere, nisi in eo declarando novo literarum genere et Latine tecum agerem, qui Gallice adhuc egerim, et quamquam in eo nihil a singulari tua vel in studiosos omnes liberalitate novum, ves erga me benevolentia alienum fecisse videare: tamen scito me tantum ex isto tuo in ipsum beneficio voluptatis cepisse, quantum literis exprimere non sane possim. Scripsit enim is ad me qua abs te humanitate acceptus esset, quid tu sibi mea causa promisisses, quid etiam iam præstitisses. Quibus de rebus primum tibi, ut debeo, maximas gratias ago, qui tanti literas meas feceris, ut iis lectis non solum opera, qua quidem fuissemus contenti, sed opibus etiam tuis hominem adolescentem, optimum quidem illum atque doctissimum, sed fortunæ iniuriæ abiectum, tuendum tibi ornandumque suscepe-

ris. Deinde tibi recipio, te ex ista liberalitate tua maiores in dies singulos fructus percepturum esse. Is enim apud te iam est, qui quum magno tibi quotidie usui multis in rebus esse queat, tum vero eas colat et tractet artes, quibus nominis tui dignitatem etsi domi forisque claram satis illam, illustriorem tamen possit reddere. Sed hæc illum præstare malim, quam a me prædicari. Extremum illud est quamvis hominem sua iam causa commendatum habeas, sisque in eo quod ei pollicitus es, vel constantiæ tuæ causa permansurus nihilominus tamen abs te maiorem in modum peto, ut quemadmodum cœpisti, eum tu omni tua benevolentia atque liberalitate complectare. In Britannia qui tumultus adhuc sint, a te vehementer exspecto: ecquid item Insubres rerum novarum moliantur. Mera hic enim nobis narrantur monstra: copias nostras in Pyrenæis montibus omnes fere cæsas esse. Franciscum ex Eburonibus sese in regnum trepide recepisse. Pont. Max. nova consilia capere. Mediolani res male pacatas esse. Barrensem cum magna Germanorum manu adventare. Helvetios cum Cæsare sentire. Quæ etsi magna ex parte vel omnia potius falsa esse non dubito, atque a Cæsarianis ipsis conficta, facies tamen si me amas, et si quid explorati habes, de omnibus certiorem. Vale. Ex urbe Patavio. Calend. Julii.

Ep. XXXIV.

C. LONGOLIUS SIMONI VILLANOVANO S.

Accepi binas abs te paucorum dierum intervallo literas easque et officii et rerum novarum plenas. Quod ipsum quum dico, non iam exspectas, opinor, ut illas mihi gratas quoque fuisse adiiciam: id enim tu, vel tacente me, certo scire potes. Tu modo fac, ut quam mihi adhuc istic navasti diligentiam, in ea mihi præstanda pari studio atque assiduitate perseveres. Neque vero te cessatio mea deterreat

— scis enim quam sim in scribendo natura piger — sed si me amas, hoc sæpius mecum agito, quod ad excitandam ignaviam nostram crebrioribus literis opus esse perspicis. In eo etiam mihi veniam abs te dari velim, ut mea posthac causa sis paulo quam adhuc fueris, istiusmodi rerum curiosior. Ego enim, qui a spectaculis et ludis non valde abhorream, principum nostrorum turbas et motus, quasi scenam aut theatrum aliquod πολύανδρον mihi libenter propono. Sed hæc tuo tamen commodo omnia. Nunc ad literas tuas: in quarum posterioribus quod significes exercitus nostri cladem maiori nobis esse infamiæ, quam fuerit rebus illis detrimento, paucos enim omnino in ea pugna cecidisse, velim ita sit: sed tamen hic pro certo habetur, quum copiarum nostrarum ducem in hostium manus vivum devenisse, tum vero regnum universum ab Hispanis eodem victoriæ cursu recuperatum esse. De Pompelona quidem, quæ ipsa Vasconum caput esset, quin in hostium potestate sit, hic dubitat nemo. Fanum autem Joannis, quod est in saltus Pyrenæi faucibus oppidum munitissimum, a nostris adhuc teneatur, necne, nondum exploratum habemus. Ea igitur de re certiores nos quam primum feceris, simul et qua pace, quibusque præsidiis Mediolanum firmatum teneamus. Nam ne illa quidem quæ vellemus afferuntur, tametsi Lautrecum cum non contemnendis Aquitanorum et Helvetiorum copiis in Italiam adventare audimus. De militari Bellæi nostri tribunatu, bene velim ominere. Quamquam enim Marti cum Musis haud ita belle conveniat, sunt ea tamen illæ vel prudentia vel suavitate, ut ferociam eius nihil difficulter in potestate sua habituræ videantur. Mitto tibi literarum fasciculum, quem velim Lutetiam diligenter perferendum cures. Id autem facillime ex sententia nostra confeceris, si in eo Rubrii nostri vel opera, vel auctoritate uti voles. Quod ut facias, et ut ei plurimam meis verbis salutem impertias, a te vehementer peto, et si pateris, etiam rogo. Quotiescumque a me tabellas, cuiusmodi hæ sunt, exteriore sui parte rubrica oblitas accipies, scito tibi nihil earum nomine tabel-

lario persolvendum esse: me quod opus erat, hic erogasse. Vale. Ex urbe Patavio. II. Calend. Sextil.

Ep. XXXV.

C. LONGOLIUS PETRO BEMBO S.

Redditæ mihi sunt hodie tuæ literæ, et cum iis a Pont. Max. Lutherianæ causæ commentarii, quod ad summi quidem Pontificatus rationem attinet, pleniores omnino illi: in eo autem in quo maxime urgemur, plane nudi et inanes. Nihil enim facile in iis reperias, quod vel ad manium expiationem, vel ad lustricam vivorum confessionem, vel ad innocentiæ restitutionem, vel ad cætera quæ ille in disceptationem vocans multa miscet, quicquam pertineat. Quinetiam ad maximi sacerdotii confirmationem alia ibi fere afferuntur nulla, nisi quæ in Pontificum libris, et in pervulgatis istis theologorum disputationibus iactantur. Ea autem esse eiusmodi omnia, ut quum per se infirma sint, et imbecilla, tum vero ab adversariis iamdiu explosa, nec tu ipse quidem ignoras. Sic tamen dabimus operam ut ne quis a nobis boni civis officium recte desideret. Quamquam hac in re, novo quodam et adhuc inaudito molestiæ genere distrahor: qui non possum, neque istorum, quorum et probo et scripturus sum causam, ita laudare mores: neque illorum quorum odi partes et improbo consilia, vitam quoque magnopere damnare. Quid enim illis præter causam deest? quid nobis præter ius a maioribus traditum superest? Pro eo tamen iure, quod ego plane divinum esse mihi persuadeo, nobis non modo stilo, verum etiam, si res cogat, pilo et hasta dimicandum esse censeo. Sic igitur ad scribendum descendo, ut omnes facile bonos intellecturos sperem, me nullis in hunc sensum, neque beneficiis esse allectum, neque cuiusquam iniuriis compulsum. Tametsi mi Bembe, iam nunc animo perspicio, ut neque istis pugnandi cupidis, ullo

sim modo satisfacturus: ardentius enim me, scio, et contumeliosius vellent scribere: neque ab iis quorum potissimum salus agitur, ullam omnino gratiam relaturus. Neque enim me sua umquam causa huc descendisse, sed temporibus servire voluisse existimabunt. Verum hoc Deus viderit. Ego enim qui quam personam sustineam, non ignoro, quum Christiani hominis officio functurum me confido, tum vero quicunque fuerit exitus, consiliorum meorum conscientia me sustentabo. Quod me in Patavium tuum non invitas, facile patior. Nec enim fortasse tibi istic satis est tecti, et quædam etiam hic a nobis perpoliuntur opera iam olim instituta. Sed tamen te propediem videbo. Vale. Ex urbe Patavio, prid. Calend. Quintil.

Ep. XXXVI.

C. LONGOLIUS FLAM. TOMAROTIO S.

Brevitate literarum, qua mihi tecum per te uti licet, eo nunc utor libentius, quod nihil eiusmodi possim ad te scribere, quale et tu exspectabas, et ego mehercule optarem. Nam quum mihi *δυςωπία* illa mea liberum nihil adhuc reliquit, tum vero hominem tam graviter ægrotantem offendi, ut mandata tua ei exponere alienum putarim, præsertim quum de angustiis eius ex Grimoaldo nostro aliquid odoratus essem: et mihi in sermone iniecisset, nihil esse quod vel ipse hoc tempore a Leonte exspectarem, quem quidem tanta pecuniarum angustia premi constaret, ut ne suis quidem parceret, et pontificatui iam olim consecrata prædia proscriberet, et factum argentum omne aurumque in stipendium militare iam signasset. Itaque mihi limacum ritu, meo victitandum esse succo vides: tibi vero polyporum modo brachia tua circumrodenda, atque adeo nisi te Deus aliquis respexerit, plane devoranda. Non sunt hæc ridenda omnino, quæ studiis et otio nostro tam sunt inimica. Sed

nosti ingenium meum, qui malim omnia ridere, quam flere. Vale. Venetiis, VI. Calend. Octobr.

Ep. XXXVII.

C. LONGOLIUS OCT. GRIMOALDO S.

Quum iam sextum diem literas tuas exspectassem, calamumque sumpsissem, ut te ad promissorum exsolutionem invitarem, redditæ mihi sunt epistolæ a te duæ, officii scilicet et rerum novarum plenæ. Gallos eam accepisse cladem et doleo, et mehercule etiam lætor: doleo, quod eius turmæ fortissimum quemque cecidisse reor, et inter eos Montanum Gronium, hominem mihi non solum vetusta necessitudine, sed etiam quadam literarum societate coniunctissimum: lætor, quod haud ita magna mercede iam didicerint, non esse temere oppugnanda hostium castra, præsertim loci natura et hominum ingenio munitissima. Itaque Helvetiorum probo consilium et Venetorum, qui se Gallo socios ad eam oppugnationem adiungere noluerint. Sedunensis Antistitis copias esse collectitias, mihi facile persuadeo: pugnaturas autem adversus Gallos, et decem esse millium numero, non item. Qua enim aut fiducia aut etiam spe Gallus eodem se loco contineret, nisi se vel numero parem, vel illos contra civitatis suæ decretum civesque suos minime pugnaturos esse, certo sciret? Mediolanum præsidio tum externo, tum domestico firmatum esse audieram. Carolum Cæsarem et Franciscum Regem signa collaturos minime putaram. De eiusdem Cæsaris angustiis iam olim exploratum habebamus. De Grolerio gratum fecisti: utque in eo, quemadmodum cœpisti, diligentiam tuam mihi præstes, te etiam atque etiam rogo. Non ut numaria res nostra tibi curæ sit, te ne admonendum quidem puto. De Bembi nostri valetudine aliquid scribes, nonnihil item de mira ista prolivie: quæ et forum Marcianum, et urbem pæne totam aquis obrutam esse audio. Hic certe flumina alveos suos

egressa agros totos inundarunt, ac propediem futurum speratur, ut quum assiduis imbribus, tum ipso anni tempore domita utrarumque partium pertinacia, exercitus aut dimittantur, aut in hiberna certe deducantur. Tu cui literas tuas des, posthac videto: proximas enim, si quidem illis diem recte ascripsisti, longiore multo quam par erat intervallo accepi. Quod ad me attinet, studeo quidem ut quum maxime: sed numquam neque mihi pituita molestior fuit, nec astricta alvus plus negotii exhibuit, credo quo te auctore, ac duce abstemius esse cœperim, quamquam id non tam ea causa, quam vel temporis intemperie, vel puteanæ aquæ cruditate accidisse arbitror. Quare vereor ad vinum mihi redeundum ut sit, aut pluvia certe, decoctave utendum. Vale. Ex urbe Patavio. Ad IX. Cal. Novembr.

Ep. XXXVIII.

C. LONGOLIUS OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Ex iis literis quas a te heri et hodie accepi, cognovi id scilicet quod coniectura quadam ductus futurum prædixeram. Non igitur descendet cis Padum in aciem adversus Gallos Helvetius, sed neque Parmam — nisi me fallit opinio — circumsedebit. In Ferrarienses, opinor, tota belli moles vertetur: nec tamen quid illic, hoc quidem tempore spei istis ostendatur, facile dispicio: contraque omnia ipsis infesta video, paludes, flumina, hiemem, urbem denique ipsam quum sua sponte munitissimam atque copiosissimam, tum vero omni bellico apparatu instructissimam. Addo ducem vigilantissimum, et rei militaris scientissimum: aperta Gallorum auxilia, occulta Venetorum subsidia: quos ipsos quidvis potius, quam ut ea urbs in Pontificis potestatem deveniat, perpessuros esse mihi persuadeo. Quod ut tam magnis copiis obsideri Ferraria possit, trahatur tamen obsidio necesse est, idque alienissimo anni tempore. Nam ab

oppugnatione infelix ad Parmam conatuum exitus eos deterrebit. Sed unde interea in tantis Cæsaris Pontificisque angustiis, tot legionibus, tanto equitatui stipendium redditum iri putas? Dilabetur, mihi crede, miles Italicus, partim hiemis difficultatibus victus, partim non persoluto stipendio iratus: Helvetius autem vel ad Gallos transibit, vel etiam ducibus suis manus afferet. Nosti eius gentis insolentiam, maxime si pecunia qua declinatur, præsto non sit. Omnino eorum adventum Pontificis Cæsarisque exercitui exitio tandem futurum arbitror: gravem quidem certe iam nunc esse non dubito, quum et duorum mensium stipendia sibi repræsentari postulent, et se Gallorum rebus hostes fore pernegent. Atque hæc quidem de citeriore Gallia. Nam quod in ulteriore omnia Francisco Regi secunda, Carolo Cæsari adversa esse narras, sunt eadem hic quoque nobis audita, sed fama obscuriore: nec enim quæ oppida Gallus in potestatem redegerit, quasve Germaniæ provincias invaserit, huc affertur: tantum ferro et flamma ab eo omnia longe lateque vastari, civitates partim sponte, partim coactas deditionem passim facere. Eadem est nimirum Hispaniensis belli ratio: nam ibi quoque accisas esse Cæsaris res, captamque a Gallis Ponpelonam cum tota Vasconum regione et Cantabria: sed nec ubi, nec quo eventu pugnatum, aut etiam an omnino pugnatum sit, adhuc intelligo. Tu si me amas, ut certe amas, ista exquires, et facies me *κατὰ λεπτὸν* de singulis rebus certiorem. Vix enim dici potest, quam mihi iucundum sit eiusmodi spectaculum, in quo sine ullo nostro periculo, tam varios tot stultorum Regum casus, tot populorum insanias contemplari liceat. Cogita Navarræ regnum abhinc mensem tertium nullo a Gallis negotio captum, idem paulo post ab Hispanis receptum, idem nunc iterum Gallorum teneri imperio. Cogita totidem ante mensibus pressos in Aquitania Gallos ab Hispanis, in Belgarum finibus a Germanis, in Italia a Thuscis, Appulis, Siculis, et ab iis etiam ipsis quibus imperarent, Insubribus. Rursus propone tibi eosdem

Gallos nunc longe summotis hostibus depopulari intimam Hispaniam, vexare Germaniam, imminere Hetruriæ et Appuliæ, fidelissimis amicissimisque uti sociis, et delectu provinciali niti. Hæc quum integro ubique adhuc bello spectare liceat, an non magnos et quasi gladiatorios quosdam a fortuna nobis edi ludos iudices? Verum, ut ad coniunctiora mihi veniam, de valetudine nostra disputas tu quidem diligenter, et mehercule peramanter, sed nondum tibi tamen assentior. Quamquam enim a summis medicis destillationi accommodatum esse aquæ usum traditum scio, non semper tamen eius potum probandum existimo, præsertim in ea quæ me adhuc exercuit, gravedine. Nam quum crassiore pituita nares obstruantur, extenuandam illam omni ratione censeo, idque potissimum vino, eoque meraco et copiosiore: quod sua vi quum intestinum calorem excitare potest, tum vero pituitam ipsam tenuiorem reddere. Sin vero aut in fauces aut in pulmonem destillet humor, nescio an tum frigidam dare conveniat: ea certe et caput perfundere, et os subinde fovere non inutile arbitror. Hæc est enim frigoris natura, ut quod fluxum sit, eius vi cogatur atque concrescat. Sed hæc huius non sunt loci. Sic tamen habeto, depulsum esse statim a me repetito vini usu morbum, sed non item solutam alvum: cui tamen malo nihilominus medebimur, si corinthiam uvam passam saccaro accurate conditam mihi miseris. Confirmata autem plane valetudine vel ad aquam redibimus, vel multo quam ante dilutiore vino utemur. Salutem Ant. Marcilio: qui cur in medio mari Vulcanum iratum timeat, Neptunum sibi propitium fore putet, non satis perspicio. Vale. Ex urbe Patavio, prid. Calend. Novembr.

Ep. XXXIX.

EIDEM.

Consumpsi hesternum diem fere totum cum Fr. Chæregato, viro, qui nec a literis nostris abhorreat, et multis magnisque de rebus a Pont. Max. ad Cæsarem sæpe legatus sit. Is quum mihi multa de Cæsaris imperii magnitudine atque opibus narrasset, ostendit ad extremum monstrificas quasdam rerum species, quas ab Indorum regibus ad Cæsarem missas, atque sibi ab eodem Cæsare donatas esse affirmaret. Eæ magna ex parte gemmæ quædam ampliores fuerunt, tam confusis metallorum generibus, ut neque discretum quicquam in eis appareret, et multarum etiam animantium simulacra exprimerent, eaque non tam fortuito linearum colorumque concursu, quam ipsa exstantis materiæ mole conformata. In iis erant anatum nostra, gallicorum canum capita, pavonum pennæ, atque alia id genus pleraque. Verum omnium admirationem facile vicit, eius quæ apud Indos religiosissime colitur, Furiæ persona, non nativa quidem illa, sed hominum ingenio pretiose et affabre deformata. Audisti enim puto, mira iis gentibus superstitione esse persuasum, Deam et Furiam sic mundi imperium inter se initio divisisse, ut illa cœlitibus, hæc inferis et manibus ius diceret: atque ita fieri, ut dum hanc unam sibi placatam trepido metu cupiant, eam omni etiam divini cultus honore prosequantur. Lignea igitur eius est persona, sed cui tenuissimum vermiculati operis emblema ita inductum sit, ut penicillo depicta non gemmeis tesselis ornata videatur. Mentum, superiusque et inferius labrum cyanei lapilli segmentis enitent. Nasus, genæ, malæ, buccæ saphiri micis splendent. Supercilia a fronte tenui ex iaspide tenia distinguuntur. Frontem latior e smaragdo fascia præcingit, quæ secundum aures leviter demissa ad mentum usque utrinque porrigatur. Superiora rutilo iaspidis nitore collustrantur. Os hians dentes ostentat quatuor, latos, continuos, candidos, ac item duos, qui rictum hinc atque

hinc claudant, exertos, nec aprugnis absimiles. Eburnei quoque oculorum orbes, ex electro ruffa fenestrantur pupilla, speculi vim tam absolutam reddente illa, ut totam hominis imaginem exprimat atque repræsentet. Quæ ad superciliorum et nasi commissuras subsidet lacuna, ea vero eburneola bulla expletur. Tempora autem iisdem quibus oculis, electrinis speculis illustrantur, sed teretibus iis, non orbiculatis. Auriculæ pro personæ modo grandiores ex iaspide effulgent. Omnino res visenda quidem illa, sed structura potius et opum magnitudine, quam ulla liberalis faciei dignitate. Mihi quidem ut primum eius spectandæ potestas facta est, Furiam videre sum visus, aspectu barbaro tetram et horridam, ore hianti, exertis utrimque dentibus, colore partim cæruleo, partim viridi, partim rutilo, nec eo tamen usquam satis florido, sed vel austero, vel diluto, vel pingui, vel etiam, quod umbrarum concursu evenit, obscuriore et ingrato. Vale. Scripseram iam, ecce tibi rumor, Gallos a Mediolanensibus in urbem receptos esse: nec eo contentos cives, Cæsariani quoque illinc expulsa factione, constituisse cum Gallis omnia circumsessionis incommoda perpeti. Si verum, ducetur hieme tota bellum, et quam sperabam diutius istorum insania fruemur. Verum metuo ne repentina illa Mediolanensium benevolentiæ ostentatio, Gallis magno tandem constet. Ex urbe Patavio. XII. Calend. Decembr.

Obsignata iam epistola redditæ mihi sunt tuæ literæ, quibus ad superiores meas binas diligenter et peramanter rescribis, ac simul ut de mea valetudine certiorem faciam, petis. Est ergo apud nos, ut te cupere video, idque uvæ passæ tuæ acceptum refero. Tu etiam cura ut valeas, et quam certis in rebus prudentiam adhibes, hanc in depellendis istis capitis doloribus adhibe. Excusationem tuam de literarum intermissione accipio: nam altera minime necessaria fuit, nec enim præter aptiorem firmioremque in ea re capsulam, quicquam desideravi. Vale.

Ep. XL.

C. LONGOLIUS ST. FR. CHÆRECATO S.

Redditæ mihi sunt hodie tuæ literæ, et cum iis item epistolæ duæ, quarum alteram ad te Erasmus Roterodamus alteram ad Carolum Cæs. Emanuel Rex Lusitanorum dedisset. Ex tuis duplicem cepi voluptatem: quod et significationem tuæ erga me voluntatis haberent non obscuram, et id scribendi genus nobis exprimerent, quod haud scio an tui ordinis alius quisquam sit adhuc consecutus; mihi quidem certe ita probatur ut nullum facile magis. Omnino puræ sunt, faciles, ac summa elegantia præditæ: quam quidem tibi in isto scribendi impetu constare sum admiratus. Sed hoc scilicet naturæ debes tuæ ab omni liberali doctrina instructissimæ: quæ ipsa ut ad dicendum, sic etiam ad cogitationes suas scriptis eleganter commendandas est aptissima. Ex Erasmi epistola cognovi, primum id quod mihi dubium numquam fuit, esse illum optimo erga Pont. Max. et amplissimum collegium animo. Deinde, quod ab hominis ingenio non abhorreat, tanti te ab eo fieri, quanti literarum studiosi omnes facere te debeamus. Emanuelis Regis literæ, nihil non plane regium, et Lusitana illa pietate dignum mihi polliceri atque etiam spirare sunt visæ. Velim quam ille graviter et religiose Carolum nostrum ad coercendos Martini Lutheri conatus est cohortatus, tam bona et constanti fide in opprimendo religionis hoste Cæsar Pont. Max. auctoritatem ac vires suas præstet. De citerioris Galliæ rebus novi nihil pæne quod ad te pro certo scribam, habeo. Galli se oppido etiam nunc continent. Exercitus Pontificis ad septimum ab urbe lapidem castra posuit. Gallus spem omnem in delectu provinciali habere dicitur: neque tamen eiusce rei causam ullam sane reperio, qui sciam Insubrum et reliquorum sociorum auxilia, propter acerbitatem atque Gallicæ dominationis iniurias non esse aut ita magna, ut eis præsidio esse possint, aut ita firma et fida, ut iis quicquam temere sit committendum. Sed hoc ipsi viderint. Audio

duodecim illas, quæ in agro Mantuano consedissent, Helvetiorum cohortes, aliquando tandem ut cum Gallis manus conserere vellent persuasas, Parmam, aut certe Placentiam versus iter fecisse, ibique illis omnia Æmyliæ Flaminiæque præsidia affore. Contra non desunt, qui affirment, Helvetios omnes, qui quidem Pontificis copias trans Abduam secuti essent dilabi, ac sese domum recipere. Tu si quid exploratius vel ex castris, vel ab urbe, vel etiam aliunde habes, fac, amabo te, sciam. Vale. Ex urbe Patavio. XI. Cal. Decembr.

Ep. XLI.

C. LONGOLIUS OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Est omnino quemadmodum scribis: fugerunt turpiter Galli, amissis pæne impedimentis omnibus, amissis magna ex parte tormentis: sed multo mehercule turpius sociorum perfidia sunt proditi. Eidem in iis nullam fuisse, in quibus esse debuit maxima, et quibus Galli confiderent maxime, literæ quoque tuæ declarant. Ita non tam Galli, quos tu accusas, quam fides ipsa et æquitas in fugam actæ sunt. Neque vero hæc eo dico quasi Gallos ab omni errore vindicare velim, quos quum semper flagitiose imparatos hic vidi, tum etiam stulta quadam arrogantia præditos cognovi, qui a se, unius semiplenæ legionis et mille equitum præsidio, contra pæne totius Italiæ consensum, universæ fere Hispaniæ et Germaniæ conspirationem, provinciam retineri posse confiderent. Sed ne eos sua ignavia Mediolano pulsos esse arbitrere, hæc nunc disputo, a quibus nec illud omnino commissum esse oportuit, ut alieni potius auxilii spe quam copiarum suarum numero et virtute niterentur. Nam quod adscribis, ob sumptum de Christ. Palavicino, et Fœder. Bonromæo supplicium, alienatum a Gallis populum ad hostes defecisse: possit in eo quoque fortasse Gallorum re-

prehendi consilium: sed occasio, mihi crede, illa fuit defectionis, non causa. Ex composito acta sunt omnia, et repentina illa studii simulatio ad opprimendos improviso malo Gallos nuper colligebatur. Ac Cæsarianos quidem illorum cædem spectasse puto: Pontificem vero eo rem sensim perduci voluisse, ut consternati fugere potius cogerentur, quam dimicando aut vincere aut vinci. Ne me hic oblitum putes spectaculi nostri: fruor tamen etiam quum ii cadunt, quibus maxime faveo. Deo tantum id nobis hac hieme eripi, et trans Alpes totum transferri, sed non transferetur profecto, siquidem vera sunt quæ huc afferuntur. Audio enim Gallum prorsus hominem cecidisse nullum, fuga sibi strenue sane consuluisse omnes, etiam militem velocitate equitem æquasse. Lutrecum et fratrem cum equitibus quadringentis et cohortibus octo iam Bergomi esse: Valerianum Cremæ cum quatuor equitum turmis, alios alio, sed in pacatum tamen omnes incolumes sese recepisse: firmo teneri præsidio Cremonam, firmiore Parmam: magnam cogi Ligurum, magnam Gabienorum et Forovibiensium manum: maxima adventare ex ipsa ulteriore Gallia auxilia: Alphonsum Ferrariensem omni bellico apparatu instructissimum Gallis suppetias ferre: denique Venetos ipsos ad eas quas sub signis habent copias, duas conscribere legiones, levis autem armaturæ equites mille, qui ex Epiro recens venerunt, Gallis subsidio iam misisse. Ni falsa sunt hæc, et tantum victis superest vel animi vel consilii, ut Agathoclis et Scipionis exemplo, aliena cum sua tueri non possint, audeant invadere, non modo cum Gallis in Italia debellatum non est, verumetiam periculum, ne Tusci et Appuli pro focis et aris propediem pugnare cogantur. Ad superiores meas literas quid rescripturus sis, exspecto: sed multo magis de rebus transalpinis aliquid, et quidnum victores victosque consilii in Italia capturos ipse coniicias. Vale. Ex urbe Patavio. VII. Cal. Dec.

Ep. XLII.

EIDEM.

Miror nihil adhuc abs te de Decimi Leontis obitu mihi esse missum, præsertim quum iam quartum hic diem constanti rumore fama percrebuerit, oppressum improviso morbo illum Calend. Decembr. Romæ concidisse, et e vita postridie eius diei excessisse: Grimanum antistitem ad comitia istinc eo iam devolasse. Equidem statim, accepta a Gallis illis epistola tua, ipse scripsissem, nisi mihi dum tu aliquid tanta do rescriberes, exspectandum duxissem: qui, ut scis, tantum me huiusmodi rerum scire puto, quantum ex literis tuis cognitum habeo. Quantum autem mea intersit, si verus est is nuncius, ut de rebus meis tecum deliberem, ignorare te non arbitror: quamquam mihi sic non tam consilio quam auxilio tuo est opus. Quare per Deum scribe, et si quidem ille obiit, cum Petro Bembo de nobis communica, cauteque quid is de me futurum speret, exquire. Scriberem ad eum, si aut quid certi haberem, aut ab eo literas meas libenter vel hoc tempore, vel tam infirma valetudine legi posse existimarem. Carol. Brachetus, et Matur Galiardus incredibili mihi, nec minus tamen tibi apud me gratias egerunt. Nec liberalius se nec humanius a quoquam tractari potuisse affirmant. Qua quidem ex re quum ego quoque maximam capio voluptatem, qui eorum causa volo, tum vero etiam ipse tibi, ut debeo, gratias ago maximas, qui mea commendatione adductus, homines tibi plane ignotos, et prorsus alienos, non modo officiis tuis sis complexus, sed hoc difficillimo tempore, in tantis angustiis, re etiam familiari tua prolixe iuveris: idque vulgari tantum adhibita cautione. Hoc sane neque horum est temporum, neque morum, sed proprium tuum. Exspecto abs te aliquot uvæ passæ pondo, eius enim quam mihi superiore mense curasti, iam ne acinus quidem reliquus est. In eo illud quoque videbis, paulo firmior capsula ut sit, et uva ipsa aliquanto liberalius condita. Nam ut plenior sit, atque recentior, a me ne admonendus quidem

es, qui abs te ea de re sum admonitus. De diligentia, quam in permutanda pecunia nostra adhibuisti, multum te amamus: sed tamen scire velim cuinam illam scribendam curaris, ut quum dies venerit, nisi rescripta tum sit, a quo argentum petatur, habeamus. Quæ porro sit in rationibus vestris perscriptionis et numerationis differentia, velim, cum vacabit, accuratius me doceas. Non quo nesciam aliud esse omnino et facilius perscribere pecuniam, aliud et difficilius numerare præsentem: sed in facienda versura quantum collybi et usuræ, præterea ratione numeratum sumentibus decedat, cognoscere cupio. Adscribes illud item, quot si unciarum ista vestra Marca; nam Libram esse unciarum duodecim, Unciam quatuor et viginti scrupulorum, Scrupulum rursus obolorum duorum, Obolum denique in semiobolos, quos caratos vulgus appellat, dividi, nemo ignorat.

Comum ab Hispanis et Germanis magna vi bis oppugnatum fuisse, sed aliquanto maiore a Gallis defensum, hic quoque audieramus. Lautrecum in Vincentino agro hibernaturum minime putaram. Fœder. Gonzagam Bosulanum Cremonæ præsidio fore non despero. Fulgosios in retinenda Genua perseveraturos video, præsertim si quæ de Pontif. Max. obitu nunciantur, vera sunt: de quo ut me quam primum facias certiorem, a te vehementer peto; cætera per otium. De Villanovano nostro Egnatium appellato: dignus est adolescens, cui etiam tu, non modo ille et ego, plurimum faveas. Nos etsi in tanta rerum omnium perturbatione, atrocissimo quoque hoc nuncio sumus perculsi: tamen in studiis nostris libenter vivimus, atque ea ipsa tueri a nobis possse ad annos quinque non desperamus. Tu modo fac, quemadmodum cœpisti, ut rationes nostras tibi curæ esse intelligam. Vale. Ex urbe Patavio. VI. Idus Decembr.

Ep. XLIII.

EIDEM.

Accipio cessationis tuæ causam: sed ita, ne quid eiusmodi quod mea intersit, ad me scribere posthac vereare, ne si permolestum quidem id mihi fore videbitur. Satis erit rem ad me pertinere, ut mihi officium tuum gratum sit: ut etiam iucundum, tu quidem præstare non potes, neque vero debes, qui non quod vis ipse, sed quod res cogat, id meo mandato ad me mittas. Itaque si non quam cupis iucundos, qualescunque certe poteris, mihi afferto nuncios, etiam ut eos non satis exploratos habueris. Nec enim, quod vereris, temere commovebor, præsertim si nihil affirmaveris ipse: et in omnem partem rebus meis maturius consuluero, si quid modo tale fuerit, cui consilio provideri possit. Ex Leontis Pontificis morte magnum accepi dolorem, magnam plagam: qui quum auctoritatem promissaque eius secutus contra meorum voluntatem in Italiam redierim, nunc me plane destitutum hic videam, illic etiam ludibrio fore intelligam. Sed his malis aut non succumbemus, aut etiam aliqua ratione medebimur. Omnino nihil iamdudum tam præter opinionem meam accidit, quam ut ille ætate optima, valetudine firmissima, ratione victus exquisitissima, sub ipsum brumæ tempus, idque saluberrimum, repentino morbo exstingueretur, atque tum maxime nobis eriperetur, quum ut viveret ei quoque maxime expediret, sive Remp. compositurus fuit, sive etiam hac recenti sua victoria fruiturus. Scilicet ad hæc ludibria nascimur, ut tum potissimum nulli simus, quum nos maxime florere arbitramur. Atque hoc ipsum est, mihi crede, quod me consolatur, Nihil esse in istis quæ vulgus admiratur, certi. De uva passa valde te amo: veruntamen quum capsulam, in quam illa coniiceretur, firmiorem vellem, non funiculo multiplici arctius vinctam illam, quod a pueris tuis diligentissime factum simul et risi et mehercule probavi, sed materiæ solidiorem, atque aptius compactam desiderabam.

Sed redeo ad Remp. Trans Alpes, ut video, frigent omnia: tametsi non desunt, qui Tornacum arctissime obsideri etiam nunc contendant, et cohortem Helvetiorum unam a Belgis illic esse concisam. Francorum Regem in hac tanta gerendarum rerum occasione minime cessaturum puto, nisi forte is quoque transalpino frigore congelavit. Comum ab Pontificiis copiis captum esse, hic auditum est: sed vine an pactione, adhuc incertum. Franc. Sfortiam Barrianum ab Helvetiis Italia prohiberi, quum iidem Helvetii Gallos Mediolano in eius gratiam nuper expulerint, mihi quidem est mirum, sed non ab eius gentis ingenio prorsus alienum. De Julii Medicis opibus tibi facile assentior: aut ipse, aut factionis eius aliquis Pont. Max. creabitur: idque propediem futurum spero: sin aliter, de eo vehementer timeo, et diuturniore quam homines existiment, interregno comitia prolatum iri video, neque sic tamen ea gratuita fore puto, nisi nos Deus extremis his pæne temporibus respexerit. Quid interim Bentivolos putas? quid Balliones? quid Æstenses? quid Franc. Roborianum Urbinatem? Nam a Bononiensibus ipsis præfectum suum cæsum iam esse, hic nunciatum est nonnihil Ravennæ tumultuatum. Gallos quidem et Venetos Mediolanum versus iter facere, pro certo hic habetur: neque tamen qua id fiducia, satis adhuc perspicio. Rescribes ad omnia. Mitto tibi, quas petis, Gallorum literas eodem exemplo conscriptas. Vale. Ex urbe Patavio. Id. Dec.

Ep. XLIV.

C. LONGOLIUS JAC. SADOLETO S.

Ex literis meis, et iis quæ M. Caballo ad te nuper dedi mandatis, intellexisse te puto, et qui rerum nostrarum hic esset status, et qua mihi in re auctoritata tua tum quidem opus. Nunc vero quum omnem spem, et omnia

tuendi otii nostri consilia nec opinata et improvisa ista Leontis Pontif. Max. morte perversa videas, ineunda tibi nova aliqua tuendi nostri est ratio. Mihi enim deest consilium, neque hic sane spes ulla ostenditur. Petrus quidem Bembus, cuius potissimum opibus, si quid tale accidisset, me sustentatum iri arbitrabar, longo illo et difficili morbo ita etiam nunc implicatur, ut nec ipse mei meminisse possit, nec ego ei hoc tempore molestus esse velim. In te reliqua spes est; qui etsi non satis exploratum habeo, quantum me hoc in genere iuvare possis, tamen quia vel rationes meas nosti, vel etiam multos istic familiaritate et amicitia coniunctos habes principes viros, a quibus aliquid studiis nostris adiumenti afferri posse et opis confido, peto abs te pro singulari tua erga me benevolentia, ut si quid tibi venerit in mentem, quod nobis commodo et otio nostro usui videbitur, eiusce rei cogitationem aliquam atque actionem suscipias. Agerem tecum pluribus verbis, nisi quum te mea causa velle non dubitarem, tum vero res ipsa per se satis loqueretur. Tantum habeto, si mihi hoc meo tempore abs te consultum intellexero, percepturum te aliquando magnam ex officio tuo voluptatem: neque vero eam laudum tuarum fore ultimam, quod Christophorum Longolium aliorum omnino opera in altum delatum, sed in ipsis mediis fluctibus misere destitutum, ipse tu ex omnibus unus commendationis tuæ aura in portum perduxerit. Vale. Ex urbe Patavio. Idus Decembris.

Ep. XLV.

C. LONGOLIUS OCT. GRIMOALDO S.

Congelarunt, opinor, istic quoque non modo trans Alpes, omnia, nos tamen hic magna sumus in exspectatione, qua de comitiis Pontificiis qua de Sfortiæ Barriani adventu qua de Cremonæ obsidione: quam tamen nullam fore tibi

affirmo; nam Balliones, Roborianos, Æstenses, Bentivolos etiam conglaciasse video. Te vero nescio fiuo veterno torpere, qui tamdiu taceas: neque hoc saltem, an tibi Gallorum eodem exemplo sint redditæ literæ, significas. Ego enim statim ab accepta uva corinthia rescripsi, simul et quemadmodum postularas, illas tibi misi. Si nihil erit quod scribas aliud, de eo certe me velim certiorem facias, Gallorum literas acceperis, nec ne. Vale. Ex urbe Patavio. IX. Calend. Jun.

Ep. XLVI.

EIDEM.

Accepi binas a te literas ad XVII. alteras X. Cal. Jan. datas. Superioribus statim non respondi, quod tu uni meæ epistolæ nihil dum rescripsisses, nunc igitur ad ambas tuas. Tornacum in Cæsaris potestatem venisse iam sciebamus: sed id mihi tamen ex tuis literis factum est notius, qui etiam quibus illi conditionibus deditionem fecerint, adscripseris. Verum ea res non tam Francorum rebus adversa est, quam Belgis commoda, qui Tornaco et Morino quasi quibusdam compedibus vincti tenebamur. Quamquam de capta Morinorum Terravana nihil adhuc scriptum. In eo potius magnam accepisse plagam Franci videntur, quod in ipso ardore belli medio illic quoque Helvetiorum perfidia proditi esse dicuntur. Quod ipsum si verum est, quo iam militum genere sint usuri, plane non video, præsertim adversus Germanum et Hispanum peditem. Nam ut ex suis legiones conscribant, nulla ratione adduci possint: neque vero si tutum iam sit, satis in iis fuerit præsidii, quos neque militaris disciplina, neque usus armorum ullus aptos bello reddiderit. O si fortuna sua Carolus Cæsar uti sciat: sed nesciet profecto, nisi quis fortasse deus omnia ad veteris imperii formam revocare constituat: verum hoc optare licet, hisce temporibus spe-

rare non licet. Numariæ permutationis ratio spissior est et operosior, quam ut ea per literas aut a te satis expediri, aut etiam a me percipi possit. Digitis tantum opus in ea esse putaram, ut iam video, non modo oculis, sed acutissima etiam mentis acie præstet is necesse est, qui æstimationes tam subtiles, aliaque et alia subinde se facie pro temporum conditione ostentantes animo complexurus sit; quare in congressum nostrum tota reiiciatur. Habes ad priorem epistolam; nam ex posteriore falsum id esse cognovi, quod de Julii Medicis cæde istinc allatum fuerat, falsum id item, quod de Bononiensium ad arma itione nunciatum. Continuit eos in officio quum Helvetiorum legionis unius præsidium, tum vero illius ipsius præfecti auctoritas, quem ab eis initio trucidatum audieramus. De Gallorum in hibernis petulantia, doleo equidem tum Cremonensium, tum vero etiam Gallorum ipsorum causa. Sed nosti militarem insolentiam, quæ tamen ipsa hoc minus in istis ferenda est, quod durior eorum conditio nunc est: sed hoc ipsi viderint. A Roboriano Pisaurum et Umbriam puncto temporis recuperatum esse miror, idque eo magis, quod Bentivolis, Æstensibus, Ballionibus, otium adhuc agentibus, ad rem tantum aggressus sit. Quid Veneti in tanta gerendarum rerum occasione quiescant, non sane perspicio, maxime quum receptam esse a Ballionibus Berusiam, ab Alphonso Æstensi Mutinam et Lepidi Regium, pro certo hic habeatur. Lautrecum vero, cum optima Gallici equitatus parte et evocatorum reliquiis ad Parmam consedisse, non tam spe, opinor, illa potiundi oppidi parte, quæ ab Hispano teneatur, quam ne quid Mediolano suppetiarum in Æmyliam mittatur. Huc accepit, quod præter Cremonam, et eam Parmæ partem, quæ Francorum præsidio firmata sit, in Gallorum fide etiam nunc est Alexandria, Placentia, Novaria, Asta, Dertona, Hallecum, Pisquitonum, Trecium: et alia pleraque transpadanæ Galliæ munitissima oppida. Habebam in animo quicquid mihi esset gemmarum annulorumque reliquum, id omne tibi mittere, ut quod ex eo confecisses, ad veterem istam summam adiiceretur. Tum enim iam avidior

ad rem quam putes, speroque ut ad XI. Calend. Febr. duplici sors nostra accessione cumulata, fructuosiore aliqua negotiatione per te adaugeatur. Sed prius de te scire velim, quam sint istic pretiosæ gemmæ, et numquid ante eum diem confici cogique possit. Supersunt mihi etiam nunc sestertii numi fere mille, quibus me ad annum tueri posse confido: ita enim rationes nostras constitui, ut ad id tempus nihil neque vestiarii, neque librorum, neque adeo alimentorum nomine sumptus nobis faciundum sit. Tu de eo diligenter rescribes: nec illud, nescio cuius, interim verebere:

Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, et digito mendicat Pollio nudo.

Eos enim distrahimus ne mendicemus, et otium nostrum commodius tueamur. Omnino facile patiar iis me carere, quorum in secundis rebus possessio nullum afferat fructum, in adversis alienatio, magno nobis sit adiumento. Exspecto tuas ad omnia, etiam ad illud, ecquid Egnatius Villanovani nostri rationibus adhuc prospexerit. Vale. Ex urbe Patavio. VIII. Calend. Januarii.

Quum epistolam hanc Natalibus scriptam, duos postea dies in manibus habuissem, mira huc quædam allata sunt de incredibili Gallorum apparatu, atque etiam inopinato tumultuosque eorum in Italiam adventu: sed quæ tum denique pro compertis habiturus sum, si ea ipse tuis literis confirmaris. istinc enim missa dicuntur. Veruntamen ne dubites, subieci codicillorum exemplum, quos ea de re Martinus Becichemus ad me dedit.

Ep. XLVII.

E I D E M.

Deus Hispanos istos male perdat, homines qui quum literarum tuarum iter mihi tamdiu intercluserunt, tum vero in

diripiendis sociorum rebus tam sunt perfide rapaces atque importuni. Sed ea, ut spero, aliquando recuperabis quæ amisisti, vel etiam aliunde damnum resarcies. Ego quidem de Lugdunensis mercati prolatione, quamquam ea res magnam exigendis nominibus nostris moram afferat, tamen tali ut debui, hoc est, quemadmodum abs te quoque rei familiaris iacturas ferri velim. Mensem quidem meo incommodo quasi intercalatum perspicio: sed in eo id mihi videor percepisse commodi, quod posthac cautius negotiabimur, neque temere commissuri sumus, ut pro regis cuiusquam arbitratu, vel potius libidine, rationes nostræ conturbentur: tametsi in eo tuæ præcipuæ sunt partes. Sed de his coram.

Fr. Roboriani diligentiam et virtutem satis admirari non queo: Alphonsi vero Æstensis otium ac formidinem potius hic omnes quidem accusant, ego autem nihil ab eo neque timide, neque temere fieri puto. Julium Medicem a Pompeio Columna tam male acceptum esse doleo. Neque id vero ipsum tam Julii causa, quem quidem suam in ordine dignitatem facile obtenturum spero, quam Christianæ Reip. gratia, quæ ne turbulenta ista comitiorum ratione labefactetur, valde timeo. Tornacensem arcem Francorum præsidio etiam nunc teneri nesciebam. Mediolanenses in armis esse, hic iam auditum erat: sed quantum urbanæ multitudini in acie committendum sit, non ignoras. Quantæ sint Francorum opes, magnus iste et repentinus, et alienissimo anni tempore instructus, et in Italiam missus eorum exercitus, declarat: consilio autem et virtute ecquid valeant, gerendi belli ratio propediem docebit. Tametsi ne illud quidem mihi iam probatur, quod eius gentis adhuc sequantur fidem, quam esse perfidissimam omnium, magno suo malo vel nuper didicerunt. Sed plane stultus sum, qui Gallos sui dissimiles nunc denique esse cupiam. De Adorniorum conatibus semper abs te aliquid exspectavi, nec tu adhuc ea de re verbum. Villanovani nostri lentum est negotium: sed quando tu aliquid de eo speras, mihi non desperandum arbitror. A Marcilio nihil adhuc literarum: quod tibi homini qui æmulum ferre non possis, iu-

cundissimum esse non dubito, atque ea re scilicet tibi significo. Quum hæc maxime scriberem, nuntiatum est Polo nostro Thomam Vulsenum, Eboracensium illum dico antistitem Britannum, Pontificem Max. esse factum. Id si ita est, nihil profecto neque nostra neque patrum, neque adeo avorum nostrorum memoria accidit mirabilius: habitam esse Romæ in tanta amplissimi collegii frequentia eius hominis rationem qui non modo et novus, et Britannus, et absens, sed omnino in Italia numquam visus esset, nec ulli pæne eorum a quibus creatus est, de facie notus. Tulit ille nimirum consiliorum suorum fructum, maximum quidem illum, sed plane debitum, utpote cuius fere unius, hoc tempore actiones omnes et cogitationes, ad Christianæ Reip. otium atque pacem pertinuerint. Extremum illud erit, quod fortasse primum omnium esse oportuit. Ego etsi mihi de te pollicebar omnia quæ ab homine amicissimo exspectari solent, tamen incredibilem ex illa literarum tuarum particula cepi voluptatem, in qua facultates tuas omnes mihi liberalissime detulisti. Itaque ne te istius erga me voluptatis umquam pœniteat, dabitur a nobis opera, eaque, mihi crede, optima. Vale. Ex urbe Patavio, prid. Id. Januar.

His perscriptis literis redditæ mihi sunt tuæ, ex quibus non Thomam Vulsenum, sed de nostris hominibus, Hadrianum Florentinum Traiectensem Pontific. Max. renuntiatum esse cognovi. Ea res quam mihi iucunda sit, et forte aliquando grata futura, tu satis per te existimare potes. Summum apud nos imperium, summum Pontificatum video. Quid iam nobis optandum sit, plane non intelligo. Pax inquies, ne huius quidem spem adhuc abieci, eo præsertim Pontifice, qui quum Britanno illi, otii cupiditate numquam concessit, tum etiam ingenio atque natura est, multo mitiore, tum vero omnibus pacis artibus longe instructior. Omnino nihil tam neque præter spem, neque ex animi mei sententia cecidit, quam ut is Pontifex Romanus declararetur, de quo hoc toto comitiorum tempore, nihil mihi in mentem venerat cogitare, ut qui longe gentium abesset, nec Romæ umquam fuisset.

Nam de Thoma, nescio quid obscure initio iactum fuerat. Non hoc sine numine divûm. Reliqua exquires, qua et quando in Italiam venturus sit, an vero ad se amplissimum collegium in Hispaniam accersiturus: quod ipsum ad sedandos ulterioris Hispaniæ motus Cæsari commodissimum esse intelligis. Quod de Francorum rebus te iam desperare significas: ego vero, hoc Pontifice difficiliora illis omnia fore video, actum de illis non video. Tantis opibus si mediocrem modo prudentiam adiunxerint, pares nobis erunt, præsertim accedentibus eodem Venetis et Helvetiis, et fortasse Britannis: quos hoc accepto nuntio, nunc denique societatem coituros cum Gallis firmissimam auguror. De Marcilio risi, sed tamen si tibi videbitur, cubiculare istud negotium meis verbis ei gratulabere, et ad rerum nostrarum procurationem eum adhortabere. Habes ad omnia.

Ep. XLVIII.

E I D E M.

Theatrum nostrum, ut ex literis tuis perspicio, non modo clausum adhuc non est, sed nunc primum frequentari atque celebrari magis incipit, idque maxime singulari prope virtute et Cæsariana quadam Franc. Roboriani tum celeritate, tum vigilantia, qui quum nuper exsul, egens, abiectus esset, evasit repente maximarum copiarum imperator, tot populorum victor et princeps, totius Hetruriæ terror et fulmen. Omnino mira sunt quæ de eo narrantur: illud præsertim, vi captam esse Perusiam, tanto militum, tanto equitum præsidio firmatam, tam munitam, tam copiosam. Quosnam vero potissimum exsules Senam reducat, haud equidem scio, non magis hercle, quam quid in tanta gerendarum rerum occasione Veneti et Æstenses otiosi etiam nunc desideant. Nam de Bergomo hic omnes valde timent. Unus est Sallasorum reguli frater, qui quadringentorum Gallorum equitum

præsidium illuc iam venisse affirmet. Si ita est, res ab Hispano et a Germano tuta est: sin aliter, vereor ne plagam Veneti accipiant, et se parum præclaras illas inducias iuvare sero cognoscant. De Helvetiorum adventu rumor hic iam nullus: nam Gallos copias suas parare, armare, instruere audio: nec quid tamen sine Helvetiis aggressuri sint intelligo, nec si ii venerint, an eis quicquam committendum sit prospicio. De Pompeio Columna et Alex. Cæsarino, quos ab amplissimo collegio ad Hadrianum Pont. Max. legatos esse missos scribis, gratum mihi fuit cognosse. Homines sunt nobis amici, quique tristissimis illis meis temporibus causæ nostræ propugnatores Romæ exstiterunt acerrimi. De isto armamentarii incendio, tuli scilicet ut debui, hoc est molestissime: vix enim credas quam isti civitati faveam. Nam præter damnum quod in præsentia ab ea factum est, portendere etiam aliquid res ipsa gravius videtur. Deus omen avertat. Sed superioris belli mala haud ita dissimilem casum consecuta sunt: nuper vero paucos ante menses quam Galli Mediolano pellerentur, arcis turris quædam munitissima de cœlo tacta conflagravit. Sed redeamus domum: tametsi ne hic quidem est quod magnopere scribam, nisi me opinione mea celerius ad numos esse perventurum. Quas enim ego, in Cal. Martias regis edicto, collatas arbitrabar solutiones, has tu in Non. Febr. tantum sustentatas esse significas.

De Pont. Max. bene coniicis. Rationibus nostris accommodatior alius creari potuit nemo, quamquam ne hoc ipsum cuiusmodi futurum sit, plane intelligo: sed tamen comitiorum exitus mihi optatius cadere non potuit. Valebit, puto, apud eum aliquid patris mei memoria. Valebit quod ego ipse cum Philippo Caroli patre vixerim. Denique communis linguæ usus, patriæ vicinitas, civitatum nostrarum communio, studiorum societas, spem mihi afferunt non contemnendam. Verum hoc fortuna viderit. Ego enim eum, in quo nunc sum, tamdiu tenebo cursum, quoad me ingenuarum artium cognitione Romana dignum civitate præbuero. Quo utinam semper sint animo, et Hadrianus ad tuendam Chri-

stianæ religionis pietatem, et Carolus conservandam augendamque Rom. imperii maiestatem. Rides? Atqui scito neutri de his deliberatius esse, aut etiam facilius, Romanæ Reip. statum constituere: quam mihi ea, quæ orationis lumine adhuc indigeant studia, Romanis literis illustrare et perpolire. Respondi duabus tuis epist. Vale. Ex urbe Patavio. XIV. Calend. Febr.

Ep. XLIX.

EIDEM.

Narro tibi: cessationem tuam amplius ferre non possum, neque vero causam eius ullam reperire: nisi hoc ipsum fortasse ais, rescriptum esse mihi a te. Si ita est, vide quibus tuas literas dederis, ego enim iam dies fere quindecim ne schedulam quidem abs te: sin eo taces, quod de Villanovano ex animi nostri sententia conficere non queas: ad hoc ipsum scribito. Inibitur forte nova a nobis tuendi iuvenis ratio: sed tamen si quid adhuc speras, urge quæso Egnatium, de quo nihildum spem abieci. Novi hominis humanitatem, et in studiosos omnes liberalitatem. Omnino tanta sum hac de re in sollicitudine, ut quidvis potius, quam literarum tuarum silentium videar perlaturus. De Repub. Audio nescio quid de Mantua a Gallis proditione tentata: quod ipsum nihil esse reor. Item de Alexandria ab Hispano capta: quod non difficulter credo: nam Cortonam et Sancti spiritus fanum, duo copiosa et munita Florentinorum oppida, a Franc. Roboriano direpta esse iamdiu huc est allatum. Quod autem nihil neque a Germania, neque a Gallia, neque de Pont. Max. neque adeo de Helvetiis, quos Gallis subsidio adventare nuper audiebamus: Alpes in causa esse arbitror, quas hac hiemis asperitate clausas esse simile mihi vero videtur. Vale. Ex urbe Patavio. V. Calend. Febr.

Ep. L.

EIDEM.

Ad eum quem ex tam longo literarum tuarum silentio percepi dolorem, accedet etiam mittendi ad te pueri mei impensa. Quid enim aliud capiam consilii, si nec ego aliter de te quicquam possum cognoscere, et tu sex continuis a me provocatus epistolis mihi scribere etiam nunc gravare? Atque utinam is ea de te referat, quæ a nobis libenter vel legi vel audiri possint. Jam enim tibi scribendi onus imponere nullum audeo: satis abs te habebo, si me per hunc internuncium hac sollicitudine liberaris. Omnino magnum quiddam sit necesse est, quod te hominem tam officiosum, mihi tam amicum tam diu tacere cogat: quod ipsum quoniam cuiusmodi sit, coniectura nulla assequi possum, si literis consignare id noles, puero meo recte commiseris. Atque ne quibus de rebus certior fieri cupiam ignores, præter taciturnitatis tuæ causam, scire velim primum, numquid apud te sit ut volumus. Deinde, quodnam ex XIV. die Calend. Februar. meas acceperis epistolas. Tum ecquid Egnatio nostro suas reddideris, et de Villanovano confeceris. Tum vero, ad descriptum Steph. Saulio fasciculum Genuam miseris. Postremo de rationibus nostris si quid addideris, gratissimum mihi feceris. Nam de Repub. quid ego te rogem, qui hæc quæ mihi coniunctissima sunt, tam leviter hic attingam? Vale, et mihi puerum meum statim remittito. Ex urbe Patavio. Calend. Febr.

Perscriptis his non sine magna animi mei molestia literis ecce tuæ, breves illæ omnino, et exiguam de Villanovani negotio spem afferentes, sed quæ me tamen ab eo, qui me debilitarat, valetudinis tuæ metu liberarunt. Itaque pueri istuc mittendi causa iam nulla est: nam quum tu valeas, nec maiore ullo impeditus sis negotio, his lectis ad omnia, uti spero, respondebis. Sed quod ais nihil in Villanovano præter ætatis maturitatem desiderari: ea vero corroborata est, atque mea quidem sententia eiusmodi, quæ hoc in genere

maxime optanda sit. Annos natus est sex supra viginti: idque meis ad Egnatium literis tum significavi, quum eum dixi ea esse eruditione, cuius pæne extremi adolescentiæ anni capaces essent. Quare si hoc unum adhuc obfuit, facile est conficiendæ illi conditionis ratio: sed celeritate opus est, ut ante ad te scripsi. Sumptus enim tamdiu sustinere non possum, neque rursus eum ab omni alia humana ope desertum dimittere. Literas tuas sic exspecto, ut nihil avidius. De flagitiosa Gallorum in servanda Alexandria negligentia, vel ut tu scribis, vinolentia, alias videbimus. Nunc enim præ cura libere iocari non queo. Illud tantum miror, sex modo amissis militibus incolume præsidium omne dilapsum esse. Ad reliquas Franc. Roboriani victorias Senam accessisse gaudeo, et de Florentina valde timeo.

Ep. LI.

EIDEM.

O iucundas et gratas literas, quas mihi a te Flaminius noster attulit. Sane non dici potest, quam me earum sermo delectarit, atque illud in primis, quod de rationum nostrarum procuratione scripsisti. Equidem, etsi difficile factu esse video id quod polliceris, tamen tum ingenio, tum industria, tum usu, tum vero etiam singulari tuo erga me amore fretus, sperandum id mihi censeo. Tu contra velim ea a me exspectes omnia, quæcunque ab hac studiosa vitæ nostræ atque consuetudinis parte proficisci possunt. Etenim si hoc tu præstiteris, mihi Leontis liberalitas non magnopere desideranda ut fuerit, ad quemnam potius omnem studiorum meorum fructum detulero, quam ad te, cuius unius opera, fide, diligentia, otium meum honeste copioseque tueri potuerim? Sic itaque tibi velim persuadeas: me, si quid posthac legendo, audiendo, commentando, scribendo, assecutus

fuero, daturum operam, ut amicitia nostra haud paulo sit illustrior ea familiaritate, quæ Nicol. Grimoaldo Sebæ avo tuo cum Franc. Philelpho viro doctissimo intercessit. Non auderem hoc tibi tanta polliceri fiducia: nisi et eodem apud te esse loco bonas artes viderem, quo apud avum tuum exstiterunt: et quam opinionem de studiorum nostrorum exitu conceperis, ex literis tuis perspicerem. Quamquam maior hæc omnino iam est, quam ut ei a me satisfieri possit. Equidem mihi iam navasse operam videor nonnullam, quod unum ex omnibus M. T. Ciceronem dicendi magistrum mihi delegerim: sed nondum me tantum profecisse sentio, ut eo tibi nomine ipse gratulari debeas, atque te his temporibus natum gaudere: quod quidem vel ex eo comprobari potest, quod te qui tanti eloquentiam nostram facias, crebris meis literis ad paulo vel diligentius vel sæpius scribendum nihildum potui perducere, nullo id sane impetraturus negotio, si ut ais, illum consectando, vim eius affingerem atque exprimerem. Remoto ioco, mi Grimoalde suavissime, quantum in eo imitando adhuc profecerim, me quidem non pœnitet: sed tamen tantum abest, ut me illi parem umquam fore sperem, ut mecum præclare actum iudicaturus sim, si tenuem modo aliquam divinæ illius eloquentiæ similitudinem adumbraro. Id enim scilicet nunc molior et scribendo persequor. Sed hac de re nimis multa. Tantum velim existimes, si studiorum nostrorum rationi fructus responderint, perfecturum me, ut non modo hæc hominum ætas, sed etiam tota forte posteritas, quam bene apud me studium, operam, officia tua collocaris, intelligat atque cognoscat. Sed redeo ad spectacula nostra, luctuosa quidem illa, sed quæ hoc tempore essent plane nulla, nisi citerior Gallia quotidiano Hispanorum latrocinio infestaretur. Nam transalpinis gentibus otium, anni tempus attulit. Certe illinc ne levis rumor quidem. Tu vero de Hadriano nostro nihil. Atqui Bacinone de Pontificatu suo nuntium accepisse fertur, et Gregorii nomen secutus: illo videlicet ipso nobis indicans nomine, quanta vigilantia in hoc obeundo munere sit usurus, ac profecto summa ea sit

oportet atque mirifica, si modo, uti spero et opto, is ipse est, qui superiorum Pontificum partim ignavia, partim scelere labefactatam Christianæ pietatis religionem instauraturus est et confirmaturus. Deum quæso Opt. Max. consilia eius Reip. Christianæ salutaria sint, neque otio nostro parum accommodata. Vale. Ex urbe Patavio, XVI. Cal. Mart.

Ep. LII.

E I D E M.

Ergo non fugam Barrianus meditabatur, sed stratagema illud fuit, quo deceptis noctu hostibus se cum Prospero commodius coniungeret. Ego vero quid ea coniunctio illis profuturá sit, non dispicio. Nam si dimicandum est, Gallos a tergo et fronte ancipiti prælio destinari fuit satius: sin bellum ducendum, Ticino eis omnia infestiora reddi potuerunt. Sane ne illud quidem mihi probatur, quod ipse cuius maxime peteretur caput, rebus adhuc dubiis vel adversis potius, tanto periculo se in tantum periculum coniecerit. Aut Gallos plane cæcos esse fateamur necesse est, aut omnem eos daturos operam, ut ne is e manibus elabatur, quo aut in potestatem redacto, aut cæso, belli finem sibi statim fore non dubitant. Quare non modo omnes præsidiorum suorum exitus posthac diligentius custodient, sed maioribus etiam, si res coget, animis depugnabunt. Neque tamen, si sapient, in aciem descenderint, non quia Mars sit communis, sed quod assidendo incruentam victoriam consequi possunt: nisi fortasse eorum castra ad extremum oppugnaturi sumus: quod ipsum a Prospero minime commissum iri certo scio. Sed si Galli eo quo dixi consilio pugnam detrectabunt, qui omni tum copiarum, tum opum genere hostibus longe præstant, quid Imperatoris nostri prudentiæ relinquetur loci? Non tantum, inquies, in Gallos homines cadit, vel consilii, vel constantiæ. Si ita est, summis utrimque pugnabitur odiis,

idque inter Helvetios et Germanos, qui de virtute sua hoc prælio decretum iri arbitrantur. Quem porro sit acies habitura exitum, dici non potest: sed tamen, nisi quis Panicus exsistat casus, magno victoribus stabit victoria. Nam Hetrusci belli rationem ab eius, quæ hic instat, pugnæ eventum totam pendere video. Ego certe animi vehementer pendeo, nec quid ad te scribam magnopere iam reperio, nisi hic vituperari Hispanos in Vigevanæ arcis deditione, quod quum Italis commilitonibus suis non minus ac sibi consulere potuissent, irati hostis arbitrio eos reliquerint. Nam de Alexandria a Gallis recepta, hic iampridem audieramus. Vale.

Ep. LIII.

E I D E M.

Quam perturbato ad me animo scripsisses, etiam tacente, vel ex eo facillime collegissem, quod nihil de iis quæ potissimum abs te exspectabam, mihi misisses. Ac profecto ea perturbationis istius est causa quæ vel fortissimum quemvis de statu suo deiiciat. Nos tamen hic ea de re nihil omnino accepimus. Contra potius heri, Adornios nostros male acceptos et repulsos, sese in citeriorem Galliam trepide ægreque recepisse: nam vel Prospero vel Piscariano Genuam cum exercitu proficisci, salvis Gallorum pactionibus non licuit. Sic enim iis nominatim cautum audio, ut neve Prosper, neve Piscarianus, neve eorum exercitus quinque passuum milibus Cremona longius discedat. Quod ipsum a Gallis quum aliis de causis exceptum esse suspicor, tum vero ne sine iusto exercitu turpissime obsessi viderentur. Sed quæcunque vel his id postulandi causa fuerit, vel illis eo descendi: certum est, si quidem vera nunciant ii, qui illinc veniunt, neque Prosperum, neque Piscarianum cum omnibus copiis in Liguriam profectos esse, et haud ita a

Cremona longe, nudius etiam tertius castra habuisse. Sed hodie, cras ad summum, firmiora sciemus. Nec enim res tanta diu celari potest. Confirmavit mihi nuper iterum P. Bembus, te hic propediem futurum: quod si erit, erit id mihi optatissimum, qui coram cupiam de rebus communibus tecum commentari. Sin minus, agam per literas accuratius, aut ipse etiam ad octavum Idus isto me conferam. Literas tuas simul atque accepi, statim ipsi Panegarolæ reddidi. Rogatus a me numquid ad te vellet, constitutum sibi esse respondit tabellarios suos tibi hodie mittere. Vale Patavii. III. Non. Jun.

Ep. LIV.

C. LONGOLIUS PETRO MACHIAVELLO S.

Quum ipsius Antonii Francini adventus mihi per se iucundissimus fuit, tum hoc iucundior, quod ex multo et accurato eius sermone facile cognovi, eam mihi abs te adhuc præstari memoriam atque benevolentiam, quæ sit ab homine amicissimo et longo usu coniunctissimo exspectanda. Omnino enim verebar ne diuturna mea cessatione offensus, alieniore a me esses animo: præsertim qui nec in eo quod tibi anno superiore per literas pollicitus essem, fidem meam liberassem. Verum ea, ut nosti, repente inciderunt tempora, quæ mihi non modo istuc veniendi, sed mittendi facultatem omnem prorsus eriperent. Quibus ipsis rebus, etsi me tibi satis purgatum esse debere arbitrabar, tamen optatissimum mihi fuisse scito et gratissimum, quod de tuæ erga me voluntatis constantia atque perpetuitate Francinus noster mihi nunciavit. Nam de me sic tibi velim persuadeas, ita a me absentis tui coli memoriam, non modo ut quicquam de meo in te amore imminutum non sit, sed id ipsum quod fuit, etiam longo consuetudinis tuæ desiderio sic auctum

atque incensum, ut nihil hoc tempore, quam ut te videam, mihi sit longius atque antiquius. Perscriberem hic tibi omnem vitæ studiorumque nostrorum rationem, nisi eam Francino ea sane lege aperuissem, ut te eo de genere toto certiorem ipse faceret. Ex ipso igitur subtilius singula: hæc a me summatim pauca. Sic Dei benignitate valeo, ut quum maxime, sic otio fruor, ut suavissime: ea denique tum conscientia sustentor, ut si homini Christiano in animo sint omnia, neque miser, neque sane sim infelix. Vale. Patavii, septimo Calend. Julii.

Ep. LV.

C. LONGOLIUS ANDREÆ NAVAGERIO S.

Quum ad XV. Calend. Jul. hac potissimum de causa Venetias venissem, ut ab Rhamnusio naturalem C. Plinii historiam auferrem, intellexi nihil ei abs te ea de re adhuc missum esse. Ego vero iisdem quibus ei Clementem Britanum literis commendasses, promissi tui rationem complexam esse arbitrabar, quod ipsum quando non accidit — festinanter enim et eo tempore properante Clemente scripsisti, ut mihi mirum non sit, te, de eo quod mihi pollicitus esses, fugisse tum scribere — fac, si me amas, ut ex literis tuis, liber is nobis primo quoque tempore curetur. Vix enim credas quantam nobis illius inspiciendi cupiditatem excitaris: simul et hoc tempore nactus sum aliquid otii, quod libenter in eius generis lectione sim omne positurus. Narravit mihi Calceranus noster, te totum esse in literis: quod equidem non sum miratus, qui scirem te isto profectum ut studiis tuis fruerere liberius. Quod autem addidit, te etiam suavissima Baptistæ Turriani doctissimi hominis consuetudine uti: istuc vero ipsum tibi et gratulor, et pæne etiam subinde video. Sed si quando in ista loca venero, quod quidem primo auctumno futurum spero, faciam ut tu item mihi for-

tasse gratulere. Interim hominem meis verbis vel salvere iubeas, atque ipse tu valetudinis tuæ rationem in primis habeas. Apud Bembum est, ut volumus. Vale. Patavii. IX. Calend. Jul.

Ep. LVI.

C. LONGOLIUS LAURENTIO BERTOL. S.

Numquam fore putavi, ut aut res de qua ad te scriberem, aut etiam verba quibus tecum agerem mihi deessent, præsertim si tam longo intervallo literas darem: sed plane nunc desunt, nec quid scribam, nec quomodo scribam satis occurrit. Equidem etsi ipse me non ab omni culpa omnino vindico, qui commiserim, ut qui sit rerum tuarum status etiam nunc ignorem, atque ex eo genus scribendi nullum reperiam: tamen tuum fuerat, etiam tacente me, de eo ipso mihi aliquid mittere. Nam de vitæ meæ ratione, tum istic, tum Romæ vel ex Bembo certior fieri potuisti: de te vero quem rogarem adhuc habui neminem, præter Verardum fratrem tuum, qui me anno superiore tuis verbis quidem salutavit, sed eo sane tempore, quum hinc profecturus, equum iam admitteret. Idem quum nuper fecisset Antonius Francinus, et numquid ad te vellem rogasset: quamquam quod scriberem non habebam, tamen hæc tibi breviter significanda existimavi: Primum, eo me adhuc erga te esse animo, quem quum singularis tua probitas atque humanitas, tum vero innumerabilia tua in me officia mereantur et postulent. Deinde fixum meum manere consilium, quod tibi Lugduno decedens aperui, quum mihi decretum esse dicerem quidvis potius perpeti, quam a sperata studiorum meorum laude ante aliquot annos discedere. Postremo ea me frui, tum corporis valetudine, tum animi tranquillitate, ut si nobis res paulo sit uberior, beati plane et esse et numerari possimus. Sed hoc fortuna viderit. Tu si posthac literas meas voles elicere,

mitte ipse aliquid unde mihi epistolæ argumentum nascatur et sententia, Joanni Zenobio, Verardo, fratribus tuis, viris optimis, plurimam velim a me salutem impertias. Vale. Patavii. VI. Calendas Julii.

Ep. LVII.

C. LONGOLIUS BAP. ANT. FRANCINO S.

Solveram istinc eo, ut scis, animo atque consilio, ut simul ac Patavium appulissem, exararem literarum aliquid quum ad alios nonnullos, tum vero ad Philippum Strozam, Alexandrum Paccium, Verardum Bertolinum, de quibus nobis multus tum hic, tum istic fuisset sermo. Verum quum nihil in mentem veniret, quod hoc quidem tempore illis a me recte mitteretur: supersedendum putavi, non ullo quidem scribendi labore, qui mihi vel omnino nullus, vel certe fuisset suavissimus, sed inepta potius et odiosa, et a me profecto aliena inanium literarum ostentatione, præsertim quum tu is esses, qui et mea causa velles, et rationem consiliorum rerumque mearum omnium, ad eos aliquando elegantius deferre posses, quam id ego ullis exsequi literis. Sic igitur, ut spero facies, hoc est eos meis verbis diligenter salutabis: simul et si nostra audire cupient, dabis operam, ut ne ulla in re literas meas desiderent. Nosti enim omnem status mei conditionem. Literas porro, quas ad Laurentium Bertolinum, et Joannem Petrum Machiavellum do, velim primo quoque tempore eis reddendas cures, nisi tu forte ipse Florentiam propediem cogitas: id si est, malim eas abs te accipiant, ut earum sermonem ipse oratione tua statim subsequare. Sic enim ad eos scribo, quasi ex te plenius omnia cognituri sint, quæ literis meis leviter attingenda existimavi. Sed hoc commodo tuo. Illud te etiam atque etiam rogo, ut quum

illo veneris, mandata nostra tibi curæ esse velis. Ego quidem hic et memoriam tui summa benevolentia tuebor, et literas tuas ea, quam mihi ostendisti, spe exspectabo. Vale. Patavii. Ad III. Calendas Jun.

Ep. LVIII.

C. LONGOLIUS OCT. GRIMOALDO S.

Cum Ludovico Stephaniano, qui tibi has literas reddidit, nulla mihi quidem intercedit familiaritas aut consuetudo, sed ea est necessitudine atque amicitia Nicolao Leonico, cuius me causa omnia tum velle tum etiam debere non ignoras, coniunctus, ut si amicorum communes sunt etiam amici, mihi non possit esse non necessarius. De hoc ipso mecum egit accurate Leonicus, ut eum diligenter commendarem: quod facio, teque vehementer etiam atque etiam rogo, ut si quid umquam honoris mei causa factum esse voluisti, in ipsius Stephaniani negotio quanti a te fiam declares. Quibus rebus ei possis commodare, nec tibi obscurum esse arbitror, qui rationes eius iampridem consolidaris; et si forte dubitas ab ipso diligenter edocere. Librum Rudolphi Agricolæ de Inventione dialectica, quem, ut scis, diu sum oblitus Egnatio mittere, et ipse aliquando tandem quum ad eum pertulissem, oblitus quoque sum istinc discedens auferre, velim mihi referendum cures. Videtur enim Egnatius noster tam in eo remittendo indormire, quam ego in eo mittendo immemor fui obliviosus. Veruntamen ipsius commodo: hoc est, si eo, ut constituerat, et ut ego opinor, iam satis est usus. De Rep. mirum in tanta rerum omnium pertubatione silentium; quod tamen diuturnum fore non puto. Sed nihil in his malis tam horreo, quam Turcarum Classem: quæ quum in cursu esse dicatur, quo tamen cursum teneat, adhuc ignoratur.

Tu si quid de Regum nostrorum insania vel furore potius habes exploratum, fac, amabo te, sciam. Vale. Patavii. prid. Cal. Jul.

Ep. LIX.

C. LONGOLIUS FRANCISCO BELLINO S.

Nescio quam tu hodie mei visendi cupidus fueris, qui, ut me domi in adventum continerem tuum, heri non difficulter impetraras. Me quidem longa tui exspectatione suspensum acriter torsisti: sed non impune feres, neque ullam sane maximi imbris excusationem accipiam. Quo enim dies ipse tempestatibus extitit fœdior, hoc scilicet fuit ad horas multas, suavissimo sermone consumendas aptior et accommodatior. Nunc autem commisisti, non modo ut tua, qua quidem delector, plurimum, sed ut Bembi etiam iucundissima consuetudine hoc otioso die carerem. Omnino enim ad eum aditurus fui, nisi ut te domi operirer heri tam diligenter mecum egisses. Hoc te scire volui, quum ut ne me posthac adventus tui exspectatione frustrere, tum ut ad querelam meam, si quid forte potes præter nimbos et tonitrua, meditere. Nolo enim te imparatum et mutum offendere, quamquam ea tua est ratio, ut quid causæ afferre possis, non despiciam: nisi hoc fortasse ais, tanti tibi sermones nostros non esse, ut pluvio ad me cœlo, ac lutulenta via accedas, qui sericatis calceis utare. Atqui perpetuis porticibus tectus venire potuisti, et fuerunt nonnulla nimborum intervalla. Sed hæc ex te malo cognoscere. Tu, si commodo tuo potes, fac statim a cœna congrediamur: est enim quod te velim.

Ep. LX.

C. LONGOLIUS BERNARDINO CORTONÆ S.

Incredibilem cepi ex literis tuis voluptatem, neque eam tamen ex ea potissimum parte, quod et honorificæ et amoris erga me tui essent plenæ: quamquam id sane ipsum quoque mihi fuit gratissimum: sed quod commendatione mea adductus cum fratre tuo in gratiam statim redieris, atque omnes eius in te sive iniurias, sive ineptias appellare oportet, mihi condonaris. Qua etiam de causa maximas tibi, ut debeo, gratias ago: simul et ut de ipso bene sperare velis: a te postulo. Mihi enim subvereri videris, ne is rem ad verba non conferat. Depone, quæso, hanc suspicionem, quæ quid tibi profutura sit, non video: mihi certe gravis et molesta est, qui te ista prudentia virum, eo quod numquam fortasse futurum est, malo iam laborare sentiam. Omnino enim aut quod spero, in officio erit, aut, quod Deus avertat, ad pristinos mores redibit. Si quod mihi pollicitus est, exitu præstiterit, gaudebis tu unus ex omnibus vel maxime: sin indulgentia abutetur: sibi totum, nihil tibi peccarit. Deinde etiam illud tibi erit solatio, quod in eo sanando, quæcumque potuerint adhiberi remedia, ea ipse tu adhibueris. Et quando medicinæ facta est mentio, tu velim eo sis in fratrem tuum animo, quo clementes medicos erga ægrotos esse non ignoras, etiam eos qui sua culpa in morbum de integro inciderunt. Neque enim corporis humani magis esse arbitror sæpius ægrotare, quam animi ipsius persæpe falli, labi, errare. Atqui morbos curare, vel alicuius sit non contemnendæ industriæ et artis, nullius est tamen virtutis: concedere autem delinquentibus, et se tam lenem deprecantibus præbere, quam placatum vitiis nostris Deum optamus: hoc vero quiddam plane divinum est, id est, tuum, qui quo minus vel ætatis vel Dei ipsius beneficio iam delinquis, hoc te magis eos miserari, non odisse decet, quos aliquibus animi perturbationibus vexatos et occæcatos huc illuc temere raptari atque ferri videamus. Quare te quum de Fulvio tuo spem etiam

nunc abiicere nolim, tum vero ita posthac animatum esse velim, ut si is iterum atque iterum offendat, ei tamen sæpius ignoscendum esse putes: ego quidem ipse iterum atque iterum deprecabor, et si bene te novi, etiam fortasse veniam ei impetrabo. Sed de his nimis multa, præsertim ad te, qui si fraternæ pietatis vi et sensu nihil tangerere, Francisci quidem Assisiatis viri sanctissimi, cuius te æmulum profiteris, exemplo commoverere, quem quidem omnium mortalium mitissimum fuisse, atque lenissimum omnes prædicant. Quod autem in extrema tua epistola studere te ostendis, ut idem frater tuus apud me vivat: de eo ipso ille mecum prius egit, quam me auctore istuc proficisceretur. Ac tum quidem eam attuli causam, quam ipse mihi visus est facile accipere: nunc vero nihil verebor me tibi indicare, atque illud simpliciter fateri, tam longum mihi fuisse cum eo consuetudinis usum, tantam intercessisse familiaritatem, ut nullum mihi in eum, neque arbitrii ius relictum esse intelligam. Huc accedit, quod ea vestra est fortuna, ut nihil ei mecum vivere sit necesse. Mihi autem huiusmodi aliquo est opus, cui quum omnia adsint fratris tui ornamenta, tamen ea desit facultas, ut se hic suo sumptu commode tueri possit. Nec enim ullo æque alio ac necessitatis vinculo ministros in officio contineri iudico: hoc est, si illis exploratum sit, se suis rationibus sine eo quicum vivant, recte non posse consulere. Habes consilii mei rationem, quam tibi probatum iri confido, spero quidem certe. Cæteris autem in rebus quibuscumque tibi commodare potero, faciam ut mihi tua voluntate nihil esse cognoscas antiquius. Fulnio quidem ipsi neque monendo, neque hortando, neque si res coget, meo labore etiam subdocendo, nullo sum loco defuturus. Vale. Patavii. Decimo sexto Calend. August.

Ep. LXI.

C. LONGOLIUS NICOLAO DRACONI S.

Iam literas tuas desiderare incipiebam, quum mihi opportune ad IX. Cal. Sextil. epistola est a te reddita, in qua illud mihi sane iucundum fuit, atque haud scio an etiam iucundissimum, quod te M. Tulii Ciceronis studiosiorem iam factum esse cognovi. Certe enim non modo quædam aspersisti, quæ mihi eiusce rei significationem darent minime obscuram, sed etiam genere toto Ciceronianum quiddam mihi visa est redolere. Laudo consilium, ac simul te pro mutuo inter nos amore, ad eius scriptoris lectionem etiam atque etiam vehementer cohortor, vel currentem potius incito. Etenim si Latina lingua non iam domestico aut forensi ullo usu, sed tacita quadam mutuorum doctorum consuetudine percipienda est, cui nos tandem potius ad discendum demus, quam illi qui omnium ætatum iudicio habitus sit omnium eruditorum eloquentissimus, eloquentium eruditissimus? Equidem sic ipse statuo, primum fieri non posse, ut quis cogitata sua præclare satis et ornate Latinis verbis complectatur, qui non Ciceronis scripta diligenter et attente perlegerit. Deinde eum qui illius libros multum et studiose volverit, si quidem mediocri aliqua sit prudentia præditus, ea ipsa multis aliquando fore admirabilem: sin modica vel etiam exigua tinctus, sic tamen inventa sua literis mandaturum, ut in his nihil neque putidum, neque ineptum a quoquam deprehendatur. Nec enim ego Ciceronem ex ea solum parte solitus sum mirari, quod accurata quadam orationis ubertate et copia omnes, qui umquam usque floruerunt oratores facile superarit; sed quod ea sit, tum in excogitando ingenii subtilitate, ut nemo acutior: tum in collocandis et distribuendis rebus prudentia atque iudicio, ut nihil ne fingi quidem possit cautius atque omnino aptius. Huc accedit non iam humana illa, sed plane divina quædam orationis forma, quæ quum elegantia et dignitate sit præstantissima, tum vero ea est facilitate atque venustate condita, ut quæ gravissima,

sunt et ornatissima, et certis numeris studiosius astricta, illaborata tamen et simplicia et soluta liberius fluere videantur. Hunc tu igitur, quod facis, et admirabere in primis, et quoad eius fieri poterit, etiam imitabere. Ut enim nulla eius laudem consequare industria, magnum tamen id erit et egregium, quod assequere, si optimo, quamvis magno intervallo, fueris proximus, aut etiam in tertiis, atque adeo in quartis constiteris. Sed alio delapsus sum, qui ad literas modo tuas rescribere in animo haberem. Non potui scilicet facere, quin tibi paulo uberius explicarem, quam mihi in Cicerone persequendo consilium probaretur tuum. Ergo ad literas tuas: in quibus quod ais Fulvio nihil auctoritate tua fuisse opus: idem ille mihi quoque scripsit. Qua ex re duplicem cepi voluptatem, et quod tu ea molestia caruisses — molestum enim tibi scio futurum fuisse, tum in urbem venire hoc tempore, tum vero magis ab institutis studiis tuis abduci — et quod affines illi tui, sese fratri suo æquos et faciles præstitissent. Veruntamen est quod tibi gratias nihilominus agam, qui te mea causa omnia fuisse facturum, et adhuc esse, si res coget, ostendas. Fulvium ipsum velim in hac studiosæ vitæ voluntate oratione tua confirmes, confirmatum et viatico instructum ad nos primo quoque tempore remittas. Nam tu quidem, si sapis, ex istis locis migrabis numquam, qui eam istic degas vitam, præ qua meum mihi iam ingratum sit otium: de quo tamen vix credas, quam ipse me beatum aliquando existimarim. Avium concentu e lectulo ad literas mane excitari: a libris circumflorida prata, circum amœnissimos colles oberrare: ab ambulatione, convivis istiusmodi et sermonibus perfrui dum calor se frangat, aut in opaca suaviter umbra meridiari, aut altiore in loco, levioribus balistis et scorpionibus certioris dexteræ et obtutus periculum facere. Inde admissis equis ad venandum exire, postea se in bibliothecam abdere, ubi lectioni modum non satietas, sed ratio ipsa statuat. Adiicis ad hæc lautas et magnificas nescio quas cœnas, ab iis vero ipsis molliores quasdam alias ambulatiunculas et literatas collocutiones: postremo suaves et delicatos illos somnos.

Ne vivam, nisi ista eiusmodi sunt, ut ad ea vel spectanda transiturus fuerim, si quid usquam tale exsistere suspicatus essem. Quid nunc censes quum me isto, ad tantæ coeundam felicitatis societatem tam liberaliter invitatum vocetis? Noctes, mihi credes, ac dies istuc cogito, vel potius evolare cupio. Quare fac me circiter Id. Septemb. exspectes. Adero enim ad eam diem, Deo iuvante, nec ante ad reliquum peregrinationis obeundum progrediar, quam omnem vitæ studiorumque rationem penitus perspexero, id est, ipse me vobiscum aliquot dies in ista agrorum amœnitate oblectaro. Vale. Patavii.

Ep. LXII.

C. LONGOLIUS RAYNOLDO POLO S.

Etsi summis totius corporis doloribus oppressus, dubia spe vitæ spiritum misere duco, fecit tamen summum meum et perpetuum de te iudicium, ut hos cruciatus nescio quo modo frangerem, dum supremo hoc literarum munere ad te perfungor. Nam postridie, quam ad te scripsi, sævissima me febris arripuit, quæ ita me hoc triduum torsit, ut nihil umquam acerbius in vita sim perpessus: scilicet quasi divinarem ita futurum volui quemadmodum tibi proficiscenti ostenderam, ut bibliotheca mea omnis tibi obveniret, si quid mihi in ea, quam adornabam, peregrinatione accidisset. Verum, ut vides, propius erat, quam arbitraremur, summus ille noster dies. Peto igitur abs te per amicitiam nostram, quam ad summum pervenisse existimo, ut mortuo mihi memoriam benevolentiamque quam necessitudo nostra postulat, humaniter ac pie præstes. Da operam ut valeas: et Paccæo meis verbis salutem impertias plurimam. Vale. Patavii. VIII. Calend. Sept.

Hæc epistola, qua continetur Budæi et Erasmi comparatio, in quibusdam editionibus non legitur: nec certe hic eius esse locus videtur.

Ep. LXIII.

C. LONGOLIUS JACOBO LUCÆ DECANO AURELIANENSI S. D.

Numquam nobis sane non deerit scribendi argumentum, nisi, ut te olim monui, mutuis id interrogationibus excitemus: quo nomine scripsi ad te haud ita pridem, mihi adeo gratum fore, si plenius ex te intelligerem cur princeps vester Erasmum Budæo prætulerit, Germanum Gallo, exterum civi, ignotum familiari. Nam quod ad eruditionem pertinet, non video qua in re Budæus Erasmo cedat: sive humaniores sive Christiano dignas homine literas æstimare libeat. Quod vero ad dicendi facultatem pertinet, parem, mea sententia, in tam diverso dicendi genere laudem merentur. Beatissima in ambobus et rerum et verborum copia: sed ita ut alter latius exspatietur, alter angustiore quidem alveo, verum altiore, ingentem aquarum vim trahat: fluit ille plenior, hic fertur rapidior. In Budæo videor mihi agnoscere plus nervorum, sanguinis, spiritus: in Erasmo plus carnis, cutis, coloris; in illo plus diligentiæ, in hoc plus facilitatis. Creber ille sententiis, hic facetiis: ille omnia utilitati, hic plurimum delectationi tribuit. Pugnat Budæus cura, ingenio, gravitate, dignitate: Erasmus arte, subtilitate, lenitate, iucunditate ad victoriam contendit. Hunc amare possis, illum admirari: huic favere, parere illi. Profecto ille me violenter cogit, hic suaviter allicit. Ducit alter blanditiis, alter viribus trahit, verborum delectu religiosus, proprietate perspicuus. Si res tralationem expostulat, in metaphoris felix, sententiis gravis, figuris varius, summa orationis specie honestus, sublimis, severus, grandiloquus. Contra Erasmus, venustus, modestus, popularis, floridus, verborum suppellectile dives, compositione simul expeditus, simul nitidus, frequens exem-

plis, densus argumentis, gratus salibus. Ille in oratione sua totus quidem semper est, sed tum potissimum tonat, tum fulminat, quum materia temporum nostrorum obiurgationem admittit: hic, etiam quum moribus convicium facit, magis instituto suo servire atque dolore videtur, malagmatis, collyriis, cerotis, et cæteris id genus leniorum medicamentorum remediis sanitati consulens: ut ille amarulentis quidem illis, sed hac tempestate necessariis potionibus, sectionibus, cauteriis alte grassantem vim morbi insectatur. Breviter, si historiam scripturi sint, Budæus Thucydidem, magis quam Sallustium, Erasmus Livium, quam Herodotum retulerit: Si poema pangendum, hic tragicum et heroicum quiddam verborum sententiarumque pondere altius intonabit: Ille comœdiam urbanius, lyricos suavius, elegiam mollius inspirabit. Assurgit tamen et hic quoque alieno ingenio, suo vero tam difficulter, quam ille numquam, etiamsi velit, sese demittere queat. Alioqui superiores illæ virtutes ut neutri desunt, sic in altero magis patent, in altero magis latent: effectu pares, habitu dissimiles, ut haud prorsus aberret quisquis hunc concioni, illum iudiciis natum dixerit: alterum Palladis numine afflatum, alterum Gratiarum choro stipatum. Cæterum ut intelligas nihil esse quod sit ab omni, ut ille ait, parte beatum, aut certe quod omnium stomacho satis possit facere: audi quid in eis desiderant, qui se aliquod operæ pretium in re literaria fecisse arbitrantur. Budæus hoc illis peccare videtur, quod nihil peccet: Erasmus quod vitiis suis faveat. Illum enim, dum scrupulosius omnia ad veterum normam exigit, sæpe oblitum eorum quibus scribit, sibi tantum et Musis canere: hunc dum ingenio suo nimis indulget, nihilque putat esse tam vulgare, quod non aliquando in oratione suum sibi locum honeste vindicet, turbidum interim fluere. Illum potius nobis significare quid velit quam dicere: hunc immodica sermonis ubertate, veluti læto gramine sato strangulare. Illum oratione nunc obliqua verticosum, nunc figurata elatum sæpe intumescere, hunc recto nudoque ductu humiliorem, plerumque humi serpere: hunc lascivia mollio-

rem, illum austeritate duriorem. Denique alterum doctis mirum in modum posse placere: alterum etiam imperitis, si in tam secunda, ut illorum verbis utar, facundia modum tenerent, et suo semper freti ingenio, alieno nonnumquam essent diserti, vel iudicio, vel consilio. Nam quum præstare possint quicquid volunt: Par est, inquiunt, ut optima quæque velint, nec sese ambitiosius nobis venditent: eo res nostras recidisse, ut mature potius iuvandi, quam intempestive delectandi simus: pro suscepto operis instituto fideliter docendi, non crebris licentiosissimisque excursionibus ambagiose suspendendi: digredi quidem Senecam et Plinium, sed alterum parce, alterum raro, nec sic quoque quæsito, nec nisi oblato argumento. Hæc Critici, quorum sententiæ quo minus statim subscribam, faciunt quum alia multa, tum quod non defuere clari oratores, qui non grammaticos, sed populum eloquentiæ iudicem statuerint. Esto, sit porrigendus doctis modo calculus, sint soli literarum principes de re in consilium mittendi, quis nam, amabo, hac ætate dignus, cui tam superba censura iure credatur? Tuebuntur se uterque haud magnis solum exemplis, sed etiam validissimis argumentis. Dicent se non perperam scribere, sed illos corrupte iudicare: in orationibus suis non nasci, sed ab imperitis spinas afferri: Erasmus se omnium rationem habuisse, Budæus paucorum theatro contentum esse. Itaque ipse nihil decerno, vel, ne sutor, ut aiunt, supra crepidam: vel quod apud me paria faciant, hoc est, virtutibus, si qua sunt vitia pensent, atque adeo superent. Habent enim plus quod laudem, quam quod ignoscam. Illud tantum miror, quod ab initio dicebam: Cur princeps vester in tanta Budæi probitate, doctrina, eloquentia, Germanum Gallo, exterum civi, ignotum familiari prætulerit. Nec hoc dico, quod Erasmi fortunæ invideam. Studeo namque homini, si quis mortalium alius, tametsi de facie numquam mihi viso, idque ob communem patriam — sumus enim eiusdem, ut nosti, et linguæ et ditionis — colo autem ob eximias illas animi dotes, quas in eo ita suspicio, ut votorum meorum summa sit, hinc ad annum

etiam alterum supra vicesimum, quo me ætate superat, si non illum, quem nunc tenet, saltem proximum eloquentiæ gradum attingere. Improbum, inquis, votum, improbum sane, sed quod nec ipse plane improbet. Ego nec existimatione, nec commodis tanti viri invideo, cuius eloquentia apud me pluris est, quam totius Galliæ opes. Sed in hoc ista scribo, ut si quid habes, actutum me certiorem facias, cur semper neglectis Gallorum, nunc primum fastiditis Italorum ingeniis, Germanica tam ambitiose assectemini. Vale. Ex urbe Roma. IV. Cal. Febr.

PETRI BEMBI

ET

JACOBI SADOLETI

AD

CHR. LONGOLIUM EPISTOLÆ.

Ep. I.

PETRUS BEMBUS C. LONGOLIO S.

Curavi mandata tua Florentiæ diligenter: idque amplius quod Pronotario Bartholino, qui mihi visus est mirifice de te et sentire, et loqui, Defensionum tuarum librum dedi. Cum Julio Cardinale multus de te sermo. Is mihi significavit, quod ad te Jacobus Sadoletus de Florentinorum erga te voluntate scripserit, se auctore factum. Romam quum venissem, Cardinali Columnæ defensiones tuas misi: Sadoletum ipsum, Paccium, Adornium, Lælium, reliquosque, de quibus me tuis in literis admones, tuo nomine salutavi. Postremo etiam Leonis X. Pont. Max. pedibus, quum is e Manliano rediisset, dedi osculum tuis verbis: nam me in Urbe, propter imbecillitatem valetudinis meæ Apennini traiectu viæque tædio et laboribus auctam, decem ipsos dies continueram. Ille vero me, ubi esses, quid ageres, quid cogitares, satis quidem familiariter, atque, ut mihi visus est, etiam amanter interrogavit. Aderat Paccius, qui et ipse de te, deque illo ipso tuo libro, quem iam legerat, multa præclare. Idem quum ego Principi respondissem, te Pata-

vium esse profectum eo consilio, ut consumandis iis studiis, quibus te totum tradideras, biennium vel certe quantum ad id temporis satis tibi esset, impenderes: habere dixit se abs te literas, in quibus erat scriptum, te Florentinorum conditionem velle accipere. Quæ quidem ad verba nihil omnino Princeps, quum antea adeuntibus illum Romanis Consulibus, ut eius sententiam elicerent, num te donatum esse vellet civitate, quum alia multa singulari cum tui commendatione, tum illud etiam dixisset, fovere se tua studia, annuamque ad id pecuniam tibi curari iussisse: ut quod statueras Patavium secedere, ut ea in Urbe doctissimorumque hominum conventu, institutis iam abs te commentationibus aliquot annos dares, eius tibi conficiendi facultas ne deesset, totumque illud consilium profectionis tuæ vehementer a se probari significavisset. Quod eo tibi scripsi, ut scires quam iam ille opinionem atque spem de te otioque tuo isto Patavino conceperit. De rumoribus, qui hic iactabantur, male te de Romanis sentire, quum hos montes nihil solidum crepare diceres: plane nihil est quod labores. Primum incerto auctore, deinde parum adhibetur fidei: postremo quicquid est, id omne nostro adventu iam evanescit. Amicos quidem habes omnes, vel doctos, vel bonos, præter unum Simonem illum tuum: quem tamen doctum esse numquam iudicavi, bonum credebam: in quo quam me fefellerit, vides. Itaque oderit, diligat, æque habendum, nisi tibi etiam iucundum esse debet, te ab illo non diligi, quem tua causa nemo bonus diligit. De Bembini catelli mærore suscepto ex discessu nostro quod scribis, vide quid egeris: auxisti tu quidem desiderium, vel etiam dolorem meum. Valde me pœnitet illum domi reliquisse tam fidum, tam nullius oneris comitem: tantæ sedulitatis, festivitatis, ioci, ut omnibus deliciis carere mihi videar, qui eius blanditiis careo. Numos principis sex mensium nomine tibi dependi curavimus, eos habebis cum his literis. Protonotario Saulio, et Lazaro et Flaminio plurimam salutem dicito meis verbis. Vale. Romæ. IV. Cal. Jun.

Ep. II.

PETRUS BEMBUS C. LONGOLIO S.

Respondeo ad tres tuas suavissimas atque amantissimas literas, diversis temporibus datas, et quidem breviter. Teneor enim satietate quadam vel potius tædio scribendi ut nihil omnino difficilius, nihil morosius faciam, quam quum calamum sumo, nihil libentius, quam quum depono. Cur? inquies. Quia, quoniam multos iam annos ea cogor scribere, quæ ad stomachum meum non faciunt, etiam illa quæ mihi grata solent esse, nunc displicent, quum sunt scribenda: ita scriptio ipsa omnis permolesta, nisi forte diuturnus morbus segnem me atque ignavum ad omnia reddidit. Quod si est, spero me ad pristinam meam in scribendo alacritatem brevi rediturum. Satis enim belle, ut nunc quidem est, me habeo, omnesque iam prope morbi reliquias abieci. Sin altera illa causa est, hinc eodem oportet, abdamque me aliquo, in studia scilicet atque in literulas nostras, quemadmodum tu quidem fecisti, dum illa dedisco, quæ initio mihi adhæserunt, ut a me pagellam accipias libenti animo, ne dicam impigro scriptam. Sed venio ad tuas literas. Bolducus noster quod tam in te officiosus fuerit, gaudeo, eoque magis quod nihil eorum quæ commemoras, meo rogatu. Egi tamen illi per literas gratias quum tuo nomine, tum meo, qui quidem quasi Pollux omnia, quæ in te honoris causa, tamquam in Castorem conferuntur, in me etiam conferri puto. De Naugerio meo quæ scribis, mihi grata sunt: ille vero non modo in literarum studiis, sed etiam in amicis colendis mirificus. Qui quod æstatem in suis Muranianis hortis confecerit, valde lætor: neque enim vereor, quin illi constiterit fructus otii tam iucundi, ad quem quidem oblectandum, ab æstuque tuendum, ut audio, etiam e Benaco multæ citriorum arbores suas umbras adduxerint. Respondi fere ad tuas priores literas. In secundis literis, quod de Joanne Pino Gallorum regis legato me admones, id erit mihi curæ. Semel illum conveni, quum

esset domi suæ, ea de causa, ut constitueremus inter nos aliquid, quod tibi esse usui et ornamento posset. Multus quidem de te sermo, sed quoniam erat ei cœnæ tempus, ita ab illo discessi, ut inchoata tantummodo esset effigies negotii tui. Reliqua posita sunt non solum in diligentia, sed valde mehercule etiam in casu. Diligentiam ne adhuc quidem adhiberem, quum Principis in molem Hadrianam secessio , quo ventitare propter imbecillitatem corporis minus sæpe possum, ille vero fere quotidie: tum maximi calores effecerunt, quibus etiam qui valentissimi sunt, a labore defatigationeque absterrentur. Casus quum venerit, eum quantum potero complectar , neque dimittam nisi de picta omnibus coloribus imagine, atque ita confecta, ut ne quid desit. Sed omnino totum hoc sic habeto, nihil ut mihi antiquius futurum existimes iis rebus, quæ ad commodum dignitatemque tuam pertinebunt. Itaque si erit opus, etiam Collegam meum, ut suades, advocabo: sed nunc ut videtur, non est. De tuis obtrectatoribus, quod ad me, quod ad Marcum Antonium Michaelem tam multis verbis scripsisti, plane non probo: te ne nunc quidem eorum causa animo tranquillo esse, quorum rumores et maledicta, non solum refrixerunt tuis responsionibus editis, sed plane iam omnis illa factio prope obmutuit. Itaque tu, si me audies, nullum omnino posthac de illis verbum facies, atque etiam si fieri poterit, ne cogitabis quidem. Neque enim digni sunt, qui tuum istud tam honestum otium, tam præclara studia, vel momentum temporis interpellent. Quamobrem magis miror id, quod erat in postremis tuis literis, te scilicet ab illis in tanta gladiorum licentia tibi interdum timere. Tu vero qui Romæ populum Romanum stantem in te, ac prope armatum contempseris, sustinueris, fregeris, neque interea timoris signum ullum edideris, aut vocem emiseris: ab illo nunc non solum fracto, sed etiam ad tuas partes tractatu, in urbe minime turbulenta Patavio tibi esse timendum duces? Atqui etiam scribis Lerinam te propterea cogitare. Quam vellem istud verbum, tuo ex ore ne ex-

cidisset. Sed nolo tibi molestus esse. Quamobrem abduc animum ab istis cogitationibus quam longissime, teque tuto esse posse existima, ubicumque erunt vel boni, vel docti viri: quamquam te iam omnes prope homines diligunt: habes autem Italiam maxime cupidissimam tui, propterea quod iam est tui fama nominis clarius atque illustrius pervagata. Dedi tamen Marino Georgio, Patavii Prætori, literas hac de re, quemadmodum tibi placere ostendisti: quem quidem existimo nulla in re tibi salutique tuæ defuturum. De eo me velim facias tuis literis certiorem. Prior pars earundem literarum quas ad me novissime dedisti, tuorum studiorum vitæque rationem continebat: quæ me summopere delectavit: cepique ex eo maximam voluptatem, quod te video ita literis, quarum es multo avidissimus, incumbere, ut valetudini etiam servias. Pilæ ludus, quo te ante cibum exerces, mihi valde probatur. Deambulatiunculas vero illas vestras, sermones, concursationes, de quibus scribis, peream, si omnibus Romanis præfecturis magistratibusque non præfero. Consuetudinem autem qua uteris, ut scilicet, ante quam somno te des, reputes tecum ipse atque recolligas, quicquam dignum ea die memoria scientiaque comprehenderis, quis non magnopere laudandam et complectendam putet? Pythagoreo præcepto ille fere germanam atque simillimam *ποῖ παρέβην; τί δ' ἔρεξα;* Nosti reliqua. Sed illa in doctrinæ studiis, hæc in rerum actione versatur. Itaque ea tibi perpetuo utendum censeo. Altera fuit epistolæ tuæ pars minime quidem necessaria, qua mea in te beneficia commemoras: quod quidem in secundis etiam literis fecisti multis atque honorificentissimis verbis. Ea si naturæ tuæ benignitate, amorisque in me tui abundantia impulsus collegisti te eorum esse morum, benevolentiæ, comitatis plane gaudeo: nihil enim potest esse tam suavi liberalique natura amabilius atque præstantius: sin propterea, ut vel te gratum ostenderes, vel me in te amando confirmares, neutrum eorum te adducere debuit in eam commemorationem. Nam neque tu esse ingratus iam ullo pacto potes, qui si nihil

aliud agas, tamen ea de nobis dixisti, scripsisti, nota esse omnibus hominibus voluisti, ut me tibi etiam perpetuo devinctum putem neque ego is sum, qui a te amando rovocare animum atque mentem possim, nisi tu is esse desinas, qui profecto es, moresque tuos atque doctrinam dediscas. Itaque si me amas, ne tu posthac ad me quidem quicquam eiusmodi. Heri quum in ea urbis parte casu essem, quam tu incolebas, et Mariani Castellani hospitis tui domus, mihi a meis pueris ostenderetur, vocari hominem iussi, eumque tuo nomine salutavi, quam quidem ille salutationem mihi visus est libentissime atque hilariter accepisse. Dixi ei de te cupide sane atque amanter quærenti, quæ proxime habueram. A quo quum discederem, petii, numquid vellet ad te literarum dare. Dixit se daturum: veruntamen non dedit. Sed omnino fui longior, quam initio putaram. Collega meus Roma pedem non extulit: Princeps enim retinet, et ut puto retinebit. Exemplum tuarum ad me literarum, quod requiris, erit cum his literis. Saulio, Lazaro, Flaminio multam salutem dicito meis verbis. Tu si me amas, ad nos crebro, ut facis, omnibus de rebus scribe. Incredibiliter enim me tuæ literæ delectant. In quibus illud etiam video, quod mihi est plane iucundissimum, addere te quotidie aliquid scriptioni et stilo. Itaque ταύτην τὴν γραμμὴν suadeo teneas. Quum hæc scriberem, Princeps in Vaticanum se referebat. Sed valebis valetudinique servies. Romæ. XIII. Sept.

Ep. III.

PETRUS BEMBUS C. LONGOLIO S.

Accepi tuas literas Non. Jan. datas, ad XVI. Calend. Mart. heri, quum exercendi mei causa, extra urbem equo vectus, claro et placidissimo die, aprica via domum pervesperi rediissem, ab adolescente illo, quem mihi ipsæ illæ

tuæ literæ commendabant, redditas meis pueris: quum eis, si quid vellem, se ad te postridie reversurum dixisset, atque ubi se convenirent, ostendisset. Itaque quum ipsum non vidissem, has ad te literas dedi ante lucem, qua me quidem somnus hora singulis prope noctibus deserit: adhuc enim vigilia nos exercet, qua una si relinqueremur, essemus plane restituti. Sed venio ad tuas literas. Quod meum de tuorum studiorum ratione iudicium tam diligenter exquiris, in eo et amori erga te meo multum, et auctoritati nonnihil sane tribuere ostendis: quorum in altero, quam recte facias, tu videris: cuius plane interest, si deceptus sis, ab altero ne te umquam deceptum possis dicere, cumulate ipse diligentissimeque præstabo. Ad eam autem partem, in qua scribis, quid tibi causæ fuerit, ut averes scire quid sentirem, ut scilicet intelligeres rectene operam posuisses, an secus: quo vel pergeres ut cœpisses, vel aut aliam ingredereris via, aut in ea ipsa quam es ingressus, cursu corrigeres tarditatem: existimabam satis me quidem superioribus literis respondisse, quibus te literis profecisse quidem multum, scripseram, superesse autem aliquantum etiam quo progrederere. Itaque te hortabar, ut quod reliquum erat conficeres. Quod mehercule etiam nunc te hortor. Hoc est, ut Ciceronem ipsum, quem tibi unum scribendi magistrum, me auctore, proposuisti, eundem universum non solum vores, sed etiam concoquas, ac in succum et sanguinem convertas tuum. Id autem spero te assequi posse, si diutius hoc idem feceris, quod adhuc facis: assecutum omnino esse, quemadmodum tibi antea scripseram, non existimo. Neque hoc ideo dico, quasi tu parum profeceris, annua prope ad id cogitatione laboreque adhibito, multum est enim, adde etiam si vis, maximum quidem illud, quod iam actum abs te est, ut mihi quidem videri solet, quum tuas literas lego, meamque de eo exspectationem atque spem non æquatam modo abs te, sed longe etiam superatam tibi vivere atque persancte affirmo ac denuntio: sed quia nollem eo te maximo esse contentum, et tamquam ad metam

perveneris curriculo confecto conquiescere, propterea dico. Nam quoniam ea est ingenii tui vis atque præstantia, nihil omnino ut sit tam arduum tamque difficile, quo si animum intenderis, non te id posse complecti atque conficere brevi et luculenter putem, nulla te quidem in laudis mediocritate consistere facile patior. Itaque quamquam minus fortasse viæ superest, ut ad excellens illud atque summum scribendi genus atque formam pervenias, quo te voco, quam est id quo perrexisti: tamen nisi tu etiam quod restat confeceris, non tam mihi gratum futurum est, præclare sane ac splendide id te muneris inchoavisse, quam molestum, non absolvisse: quod abs te commissum iri minime puto. Recordor enim quid tibi ad eam absolutionem tute temporis sumpseris, atque hoc quum recordor, magis miror quicquam nunc te quum de commutanda studiorum tuorum ratione, qui rectissima es ingressus, tum vero num tibi sit, quasi tarde adhuc ambulanti, deinceps festinandum, sciscitari. Festines autem? ut quid? incidas in aliquem morbum? Ego vero te, mi Longoli, malo tranquilla navigatione utentem, aliquando serius eum adipisci eloquentiæ quasi portum, quem petis: quam propter nimiam ventorum vim iactura facta celerrime navigare. Quamobrem si meum consilium sequi volueris, quamquam est hæc quidem mentis potius sensusque nostri, quam ullius consilii significatio, neque hunc tu cursum commutabis: cur enim? neque remo ullo plus utere, *σπεύσεις* autem temperate ac plane *βραδέως*, ut dicitur: valetudinique in primis servies. Sed iam satis, aut etiam nimis multa de iis. De Joanne Pino erit mihi curæ, quum ut omnia mandata tua exhauriam, tum illud maxime, ut quicumque percipi ex hominis te amantis benevolentia potest fructus atque utilitas, percipiatur. Id totum quale sit, quoniam satis exploratum non habeo, non committam ut eius te rei exspectatione sæpius excitem. Extremum est, quod erat primum in tuis literis. Eius ad nos epistolæ tuæ exemplum, quæ perlata non est, quod scribis mihi te mittere, scito nullum fuisse cum tuis literis. Id velim describi

mandes, mihique mittas, ne ulla tua lucubratiuncula nobis perierit. Habes ad omnia. Nunc quæ præterea scire te non nolle arbitror, hæc sunt. Apud Sadoletum reliquosque amicos recte est. Thebaldæus et Beatianus etiam fortunis aucti tibi hilarius salutem adscribunt. Ego domum cogito. Quid est aliud? intellexi de Alexandro Capella, viro sane bono et docto, et, ut mihi visus est, etiam amantissimo tui, te cum Nicolao Leonico, homine vere philosopho, singulari benevolentia coniunctum, cum eo familiariter sæpe esse, vel propterea quod non longe ab illius ædibus incolis. O præclaram viciniam, teque hominem mirificum, ad præstantium et clarorum virorum amicitiam conciliandam. Næ ego horum procerum prensationes appellationesque honorificas omnium, una cum vestra deambulatiuncula, et sermone libenter commutaverim. Nunc ei, quod possum, multam salutem volo impertias meis verbis. Etiam Marinum Georgium Patavii prætorem, quem scis a me unice diligi, ex me si salvere iusseris, mihi gratissimum feceris: idque ut facias, plane te rogo, tum et Saulium et Flaminium. Tu valebis, nosque diliges. Romæ.

Ep. IV.

JACOBUS SADOLETUS C. LONGOLIO S.

Ex eis literis quas ad Lælium Maximum das, cognovi te proficisci Venetias cogitare, aut hoc tempore fortassis iam esse profectum: quod nec sum admiratus, et te potius mecum collaudavi, quod more veterum philosophorum, sicut de Platone ferunt et de Pythagora, omnes tibi terras obeundas putaris, unde speres hausturum te, et doctrinarum aliquid et sapientiæ, etsi nonnihil te in eo, Bembo nostro tribuisse arbitror, ut cum eo aliquantum esses, fruerereque et familiaritate illius exoptata, et virtute numquam satis laudata. Sed ego sensus tuos si bene perspectos ha-

beo, statuo te quum amicitiæ vestræ ac illius summi viri suavitati multum, tum huic tuæ perpetuæ voluntati plurimum tribuisse, ut quoad acerrimi vis ingenii cum incredibili diligentia studioque coniuncta progredi in re literaria. potest in te ipso contendendo atque elaborando experiare Sed huic virtuti ut laus debitum præmium est, sic nonnumquam invidia obtrectatrix accedit. Suspicor enim ad te delatam esse concionem, quam hic post tuum discessum in magno conventu, ipso audiente Principe adversarii tui habuerunt, in qua magna laus Celsi Millini optimi atque ornatissimi adolescentis, is enim orationem eam dixit sane quam apposite, et animo, ut facile possumus existimare, non malo: specie enim boni quandoque obtenduntur, quæ suapte natura vitiosa sunt: et ea illius ætas, cui concedatur, ut errare aliquando possit sine reprehensione, certe quod mentis ingenuæ est, idem ipse Celsus affirmat, hæc causa excepta, in qua patriæ suæ dignitati et famæ, ut ait, non adesse non vult, cæteris in rebus honoris tui rationem se in primis habiturum. Atque ut huius, quemadmodum dixi, ingenio laus tribuenda est, voluntas minus reprehendenda: sic qui huic rei ab initio auctores fuerunt, non satis nec animum suum nec consilium probabant: animum quod prorsus apparebat prava conciliatrix iniusti odii obtrectatio: consilium, quod absurdum videbatur, quas ipsi literas sibi laudi sperarent fore, eas damnare atque oppugnare in altero. Itaque non modo non exstinxit studia eorum, qui causæ tuæ favebant, illiusmodi concio, verum etiam ardentius inflammavit. Nam et in circulis subito exorti sunt sermones plurimi, et fiebat in iis, ut quamquam ille visus fuisset dicere præclare, tamen non minus auctoritatis haberent testimonia nostra apud incorruptos: excepta certe principis vox est, quum ita diceret, probare se ingenium actionemque Celsi, causam vero tuam meliorem iudicare. Quare sic quoque inde tum discessum est, ut honorificentius tecum actum putaretur eiusmodi oratione habita quam si omnino nulla fuisset habita. Nostris vero neque sic tacitum

ferendum visum est: sed quum exstaret defensio tua, quam pro te conscripseras, primo decretum est, dandam operam esse, ea uti recitaretur: operam suam ad hoc pollicente Flaminio, adolescente in primis ornato huius civitatis. Deinde quum hoc spissius esset visum, in eam sententiam potius discessum est, edendam illam, et in omnium manus divulgandam esse: quod et factum est, magna non solum approbatione omnium bonorum, sed etiam commendatione eloquentiæ tuæ. Sic enim a cunctis iudicatum est, incredibile quiddam esse, quod de tuo ingenio exspectari possit, quum quod præstitisti, iam sit admirabile. Mihi quidem qui te amo, et gero in oculis, nihil evenire potuit optatius, quam intelligere, cognosci ab omnibus, non frustra nostra de te suscepta esse iudicia, iureque te florere clarissimorum virorum amicitiis: in quibus, si quæris, egregius Paccius, nec solum fide atque amore erga te, sed etiam auctoritate et gratia singulari: vehemens Casalius, ac denique ne infinitum sit, universus ille chorus præstantium ingeniorum, quem tibi amicissimum præsens sensisti, is tui absentis memoriam sancte diligenterque conservat. Quæ ego ad te idcirco scripsi, licet minime invitatus tuis literis: quod profecto conveniebat, quum magis peregrinantium sit eos qui domi remanent, de suis rebus omnibus reddere certiores: sed tamen ob rem scripsi, primum ut forti animo ferres, quod tamen facis, iniquorum hominum iniurias: deinde ut meditarere, quantum tibi in omnem partem connitendum sit, ut incredibili exspectationi, quæ de te concitata est, satisfacias, Quamquam ego arbitror te, quod de Theopompo dicere solebat Isocrates, freno egere magis quam calcaribus: quem ego novi in studiis literarum dies et noctes assidue insistentem, parum habere valetudinis rationem. Sed ego eam tibi, si et te et nos diligis, maximopere tuendam esse censeo. Nam et temporis plus ad hæc eadem studia habebis, et prudentiæ tibi laudem ex hoc quoque genere comparabis: quæ profecto non minoris quam illa ingenii, a docto viro facienda est. Ego pro mea in te singulari benevolentia, omnia tibi

honesta et salutaria evenire cupio. Tu si me mutuo amabis, ad meque de tuis rebus sæpe scribes, perficiam, ut nec te frustra scripsisse, nec amorem tuum perperam collocasse arbitrere. Vale. Ex urbe. VI. Id. Septemb.

Ep. V.

IACOBUS SADOLETUS C. LONGOLIO S.

Dederam diu ante ad te literas, quum te aut constitisse iam Venetiis, aut non procul inde abesse existimarem: quas spero tibi nunc denique fuisse redditas. Longior autem itineris tui mora intercessit, quam putavissemus: nam ea nostra fuerat exspectatio, te quum Venetias pervenisses, hominumque ibidem ingenia moresque cognosses, celeriter ad Urbem esse rediturum, quum præsertim omni depulso periculo, placatis animis eorum qui tibi fuerant infensiores, absens virtutis causa dignissimus esses ea civitate iudicatus, quæ una propter virtutem omnibus semper gentibus præstitisset. Sed etsi nobis desiderio fuisti, tamen hæc tua diuturnior commoratio mihi non ingrata accidit, quando te auctore et interprete nactus sum doctissimorum et clarissimorum virorum amicitias, quorum ego mehercule benevolentiam omnibus fortunis antepono. Itaque literis tuis ad me Lugduno datis, plenissimis illis quidem amoris atque officii, dupliciter lætatus sum: quod et te salvum nobis atque incolumem tot laboribus exhaustis, tot periculis, propediem affore nunciabant: et illud significabant, tres præclarissimos viros, vel potius lumina tria doctrinæ ac sapientiæ, mihi tuis testimoniis amicitiora esse facta: quorum equidem unius Budæi literas accepi una cum tuis scriptas humanissime, reliquorum nondum ad me allatæ erant. Eis ego omnibus responsurus sum, et quidem sedulo: neque propter vim verbi eius, quo tu in scribendo usus es: quasi fuero dignatus inquis: sed quod nihil alienius homine ingenuo esse existimo,

quam non contendere in omni officio, omnique significatione benevolentiæ esse superiorem. Sane talium virorum literis scriptis nullas rescribere, cuius tandem esset superbiæ? qui quum suis summis excellentibus ingeniis, illam doctissimæ antiquitatis gloriam, in nostrum ævum retulerint: sunt quoque omnium opinione ac iudicio, non inferiorem sua virtute laudem consecuti. Habes itaque statim ad Budæum perscriptas; ad cæteros pendeo animi, quo pacto me geram, ne forte me illi suas accepisse, quas non accepi, arbitrentur, accusentque tarditatem in rescribendo meam, meumque officium et mea fides reprehendatur. Cui tu meæ sollicitudini ut subvenias peto: subvenies autem, si illos quam primum certiores feceris, eorum literas adhuc in exspectatione esse, aut ego prior si tibi videbitur scribam, hoc fundamento nixus, quod te teste cognoverim, qua sint erga me voluntate, id mihi esse gratissimum. Verum nihil horum prius quam tuas accepero, quibus me de re tota quid sentias, admonebis. Sed in his ad me Budæi: ille enimvero loculento testimonio confirmat, quod me amare cœperit, tua prædicatione esse factum, et commemoratione meorum in te officiorum, quæ sane commemoratio tuæ pristinæ eximiæ probitatis index est. Nam ego ea in re usurpari officia, quæ prætermitti sine scelere, et sine summa inhumanitatis nota non potuerunt; tu in eis, quæ mihi honori censuisti fore, ita es versatus, ut, quod facile appareret, studium amoris, oratio vero tua honorifica de me effusæ cuiusdam bonitatis fuerit. Quodsi liceret in vera et constanti amicitia subducere rationes, dicerem quantum tibi hoc nomine deberem: sed omnia ad officium referenda sunt: quod unum bonis semper est propositum, cuius unius conscientia contenti sumus. Quamobrem ne illud quidem verendum tibi est, ut ad me parum Latine aut ineleganter scribas. Es tu omnino quidem latinissimus: sed aliud etiam est familiariter, aliud accurate et prope anxie scribere: quod genus scribendi morosius a nostris familiaribus epistolis reiiciendum est. Quod me consulis, num tibi ad Pontificem scri-

bendum esse censeam: ego vero censeo. Quo autem modo? quocumque tibi libeat: in quam enim cumque partem te dederis, literæ illi erunt silentio gratiores. Is porro ut ad bene tui similibus faciendum promptus est, ita bonorum de se memoria testimonioque lætatur. Nec vero ullum scribendi ceperis argumentum, quin ad unam aliquam ex eius præstantissimis virtutibus aptum et accommodatum sit. Si familiariter et domestice scripseris, ad illius summam humanitatem: si cum honore et graviter, ad eminentissimam dignitatem respectum habuisse videbere. Utro autem ille magis gaudeat, difficile dictu est. Hoc quidem haud utique dubium, literas illi tuas cuiusmodicumque futuras gratissimas. Ego quas tuas ad amicos mihi misisti, ad Lælium Maximum ambas curavi perferendas, eique iussi nunciari suas ut continuo redderet Mariano. Camillum Porcium tua salute impertivi, qui te ab se amari mirifice confirmat, multamque tibi renunciat salutem. Ubaldinus aberat Florentiæ matris primo morbo evocatus, dein funere retentus: quoad rem suam explicet familiarem, dies aliquot absumpturus est. Nos levi ægritudine aliquamdiu tentati damus operam, ut valeamus, tibique item faciundum ducimus. Bembo nostro, et Nicolao Tepulo, quem cognosces hominem, ut opinor, tua benevolentia dignissimum, plurimam meis verbis salutem dicito. Vale. Ex Urbe. VII. Id. Decembr.

Ep. VI.

IACOBUS SADOLETUS C. LONGOLIO S.

Binas tuas accepi: quarum ad priores, meas reddidi nullas, non mehercule negligentia, nec quod amoris in te mei, quod tu nescio quo pacto suspicari visus es, facta fuerit imminutio: quod nec fieri ullo modo potest, neque vero suspicari sane decet. Sed quia mihi in studiis literarum vehementer occupato animus alio versum distractus, hanc curam et cogitationem respondendi tibi, vel tamquam

minus necessariam omisit, vel in aliud tempus commodius reservavit. At nunc quod tuæ me recentiores admonuerunt literæ, non patiar a te desiderari officium meum. Ac primum tibi illud prædico, me re tota prius bene consulta ac diligenter considerata, tandem posthabitis sermonibus hominum, et eorum opinionibus, qui me ad ambitionem et vitam negotiosam revocabant, contentum ea fortuna quæcumque mea est, ex his fluctibus. In quibus nimium diu sum versatus, in portum me contulisse, rediisseque cum libris nostris in gratiam: a quibus liberalius acceptus etiam, quam putarem, cogito posthac meam omnem cum illis ducere rationem, nec tantum, ut veterum legendis monumentis eam delectationem capiam, quæ maxime liberalis et digna homine ingenuo est: sed etiam ut promam ex me aliquid, quod si minus eruditis ingeniis propter doctrinam, at propter conatum egregiæ in me voluntatis saltem probatum esse possit. Quamobrem quod ad me scribis, fore aliquando, ut constet apud me ratio studiorum tuorum, eius mihi rei exspectatio ita iucunda est, ut vicissim tibi denuntiem, accipiendam tibi quoque esse rationem meorum: contendamus modo acri animo, et quam inter nos conciliavit studiorum similitudo, eorundem nunc exercitatio augeat benevolentiam: aut si nil addi ad bene constitutam amicitiam potest, erit tamen inter nos consuetudo iucundior, quum de eisdem et tractabimus, et cogitabimus literis: nam quin ad optimas uterque nostrum studium omne direxerit, alteri de altero haud dubium est: idque ita esse tu existimare de me, ego de te polliceri possumus. Sed quod ad me quidem attinet, huius rei atque otii maiorem facultatem videbar habiturus, si mihi egredi ex hac urbe, et in meam ecclesiasticam provinciam proficisci contigisset. Una enim atque eadem opera, et Deo ipsi satisfecissem, cuius iam unius servus sum: et mihi ac tranquillitati meæ rectius consuluissem. Sed quando id mihi de principis voluntate non licitum est, estque hæc civitas in primis ad fallendum et disturbandum animos idonea, robore animi et virtute adnitendum est, ut in mediis ipsis

fluctibus portum, et in tanta morum ac iudiciorum varietate, consilii nostri constantiam teneamus, sed hæc hactenus. Ego te toto pectore vacare incumbereque literis, et gaudeo amicitiæ nostræ causa, et tibi gratulor, auctorque sum, ut nihil potius neque præstabilius ducas. Illud censeo, habere te oportere valetudinis rationem, qua sine omnia corruant necesse est, etiam quæ præclare videantur posita. Legi Budæi nostri literas, scriptas sane quam benevole. Velim Leonicum hominem literis et probitate insignem, meis verbis salutes. Navagerio autem, si erit commodum, etiam gratias agas, quod de me honorifice sit in scriptis suis locutus, etsi me non minus benevolentia eius, quam testimonium delectat. Vale. Ex Urbe. III. Calendas Januarii.

Ep. VII.

IACOBUS SADOLETUS C. LONGOLIO S.

M. Caballus noster quum ad me superiores tuas literas attulisset, quod mandatorum exponendorum tempus præteriisse dicebat, ea ipse quidem narratione supersedit, sed me ipsæ satis commonebant literæ, quo tibi gratia et sedulitate nostra esset opus, quæ certe non defuisset, si aut ille tum viveret, unde opem exspectabas: aut si is tum non iam omnino omnium bonarum artium, vel ornandarum, vel etiam tuendarum curam omisisset. Ergo occasione omissa, literis illis cur responderem causa non est visa. Alteras porro tuas nullas accepi, quin et has recentes serius. Datæ enim ante diem XVI. Cal. Jun. V. Cal. Quintilis mihi sunt redditæ. In quibus quod spem magnam tui otii honeste traducendi in me ipso ponere videris, gratum id mihi admodum, nec te opinio ea fallet, quod ad studium quidem attinet, quod et ad benevolentiam, quæ mea te adversum mirifica semper fuit: verum quæ fortunæ sunt, ab ipsa illa sunt præstanda. Atque utinam nunc tibi de meis facultatibus

prolixe polliceri possem: quod vix ego audeo, ita sum in re mea domestica ac familiari prorsus perturbatus. Sed quod proximum illi est, id mehercule libenter et ex animo facio, ut contubernium offeram, eamque amicitiæ fidem, quæ omnia amicorum communia esse vult. Neque ego tamen consilium tuum capere adhuc potui, quid esset cur tu aut Patavium Romæ, aut denique locum in terris ullum huic urbi, ad tuorum studiorum rationem anteponeres. Quod vero in eisdem adiungis literis, sperare te atque existimare, fore tibi aditum ad summi Pontificis familiaritatem, potissimum operam navante me, hancque de te ut suscipiam cogitationem me vehementer rogas: alterum mihi submolestum, me a te rogari, alterum etiamdum incertum, quid me sim facturus. Quamquam enim in alterius manu videatur situm, qui meæ vitæ status, et quod actionum mearum curriculum futurum sit, tamen non tam id vereor, ut mihi sit ad fortunas uberiores et splendidiores aditus, quam illud fixum in animo etsi tantum gero, nullam auram honoris, nullam spem esse vel amplissimæ dignitatis, quicum putem hanc otii oblectationem, qua in re literaria iucundissime perfruor, debere commutari. Quare, aut hæc quoque mihi salva erunt, aut illa omnia etiam repudiabuntur. Sed de his satis. Ego, quod et nostræ amicitiæ proprium, et meæ erga te voluntatis perpetuum semper fuit, quæcumque ab amicissimo et coniunctissimo homine speranda sunt, iubeo ea te a me non sperare solum, verum pro tuo iure etiam exspectare. Vale. Ex Urbe. Sexto Nonas Julias.

Ep. VIII.

IACOBUS SADOLETUS C. LONGOLIO S.

Accepi tuas quaternis, ut ais ipse, meis literis rescriptas, in quibus omnia me delectarunt, ac præsertim illud, iamdudum te cognosse, te a me diligi: quod equidem tribuo

iure quum virtuti tuæ atque doctrinæ, qua, ut ego mehercule sentio, ita nunc præstas, ut spem quoque nobis præbeas te ad summum huius laudis perventurum: tum vero probitas mihi tua visa est semper amabilis, ac ea in primis animi altitudo, qua reiectis patriis nationibus in Latium te atque ad Italiam, consequendæ ac fruendæ humanitatis causa retulisti: sed hæc satis iam nota omnibus esse et testata debent. Quod de Celso durius ferre visus es, ignosco equidem, nec reprehendo iustam iracundiam. Verum ille præclarissimæ indolis adolescens, subita morte ereptus patriæ atque suis, multorum spem quæ de eius futura dignitate præcepta fuerat, civiumque suorum amorem repente orbum et desolatum reliquit. Liceat ergo eius manes non solum pacatos, verum etiam laudatos ab omnibus nobis quiescere, cuius ego viventis inimicitias contra te susceptas non accusare, ingenium vero et reliquam probitatem non amare non potui, cuius funus incredibile est quantus mæror bonorum omnium, et quæ publica lamentatio fuerit prosecuta. Principis erga te voluntas propensa est: ac vellem in tuis literis adscripsisses, ecquid de tuo adventu in urbem, quodve ad tempus nobis sperandum esset. Libenter enim cum eo communicassem. Nunc suadeo tibi, ut omnino et celeriter ad eum scribas: nec sane apparatu opus est, nihil illo facilius, nihil communius: gratam in primis habet observantiam eorum, quorum apud animos vivere intelligit memoriam nominis, et liberalitatis suæ. Quod ad illud munus attinet, quo ego te vocari omnium exspectatione antea ad te scripsi, disputas tu quidem in utramque partem, sed in eam pronius, quasi vile hoc aliquid et parum homine ingenuo dignum constituas: in quo ego iudicium non interponam meum: satis enim in te statuo esse consilii: in eo utique patieris te obiurgari, si iure nimium mihi asperas et duriores, quam natura fert, res tuas fingere videris, mi Longoli. Habet omnino omnis præclara virtus æmulationem quandam, et afflatu invidiæ attingitur: non usque eo tamen, ut de vita in discrimen veniendum sit: civiles accidunt dissensiones, et comes

gloriæ obtrectatio, oratio etiam quandoque asperior: verum ea citra facinus. Quamquam ego te, si ad eam provinciam dedisses, spem maximam obtinebam, sopitum iri facile omnes illas invidiæ tempestates prudentia tua: nihil enim æque atque facilitate et patientia frangitur contumacia, et ea demum in magnam gloriam vertit, si qui uti sciunt: quod qui ignorant, ii non fortunæ culpam accusent, sed reprehendant suam. Te quidem optimis literis, honestissimis artibus præditum, civitatis eius civem ob honorem virtutis factum, e qua in omnem terrarum orbem, totius humanitatis et sapientiæ non magis præcepta, quam exempla redundarunt, attollere animum decet supra huiusmodi iniurias, et omnem levitatem virtuti obtrectantium, animi tui constantia inferiorem ducere. Quare si in eam sententiam te contuleris, ut tibi illuc adeundum, oblatumque negotium suscipiendum videatur esse, quid dignitatis tuæ sit, statues ipse: non enim audeo monere te in hoc, vel hortari, aut si id quoque nostræ amicitiæ ratio postulat, satis a me superioribus literis factum esse arbitror: capiti quidem et saluti tuæ nullum inde periculum impendere, et ego certum habeo, et tibi fidendi auctor sum. Nam de emolumento quod quæris, spero confici posse in annuum stipendium, aureum numum ad quadringenties: quod mehercule rarum auditu est, vel mirabile potius, in hoc genere dicendi: sed tanta est opinio tui, nostris quoque et aliorum testimoniis corroborata, ut videantur qui te expetunt, quo volemus adduci posse. In quo amplius etiam contendemus, quam diximus, ubi certum scierimus, quod tibi denique de ea re fuerit constitutum. Nam ut constituas primo quoque tempore, ne diutius illi a me exspectatione suspensi teneantur te vehementer rogo: quodcumque certe constitueris, id iudicabo rectum. De oratione tua, quod ægre vulgatam fers, agnosco vim iudicii tui: speras enim te melius scribere et accommodatius posse. Res quidem ipsa plenissima laudis fuit, nec a me scriptum quicquam quod assentationi sit, quam veritati propius: neque eo nunc dico, quin

in ea nonnulla insint, quæ diligentius perpoliri posse videantur: sed totum illud præclarum est, et ingenio, et copia, et quod maxime movendis affectibus, tua omnium celebrationem et laudem meruit oratio. Quocirca bono te animo esse volo, itaque existimare, si quid in me veri et recti esse putas, fuisse eam rem tibi gloriæ. Cætera, si qua restant, quum otium erit, scribemus ad te uberius. Nam ut nunc se res habet, scito nullum mihi diem a publicis vacare curis, ut ne subcisivis quidem, quod aiunt, horis ad mea exoptata studia mihi detur reditus: sed hoc deus viderit. Bembo meo, quem avide exspecto, plurimam meis verbis salutem dic: itemque Nicol. Teupolo. Vale. VI. Calend. Mart. die bissextili.

Ep. IX.

IACOBUS SADOLETUS C. LONGOLIO S.

Tantum literas tuas acceperam Venetiis datas, quum has ad te exaravi tertio loco. Nam binas antea scripseram: unas, te provocans, et de iis quæ post tuum discessum acciderant certiorem tè faciens: alteras ad illas Lugdunenses tuas, quarum exempla tibi misi, postea quam non mediocri mea cum molestia ad te non fuerant allatæ: sed et ad Budæum suas, eodem item exemplo: quæ accipe in bonam partem, neve tabellariorum negligentiam meæ culpæ adscribito. Lælius onus receperat, curaturum se ut recte redderentur. Quæ de Bembi nostri humanitate erga te et liberalitate scribis, mihi nova non sunt. Est enim ille vir omnibus numeris absolutus, princeps optimarum artium: cui te contubernalem factum et mehercule lætor, et subinvideo vobis tamen suavitatem congressus, sermonumque vestrorum. Pontifex te ad urbem exspectabat, ex meque de reditu tuo percontatus est: incidit enim sæpe, ut de te habeatur mentio ab illo sane perhonorifica, et plena amicæ voluntatis: quare ad eundem scribas plane consulo.

Orationem tuam si huc miseris, legetur ea et a me et ab ipso summo Principe perlibenter: ego ex plurimis occupationibus, quibus hoc tempore urgeor, hoc tempus eripui respondendi tibi, idque raptim: tu ignosces literis perperam scriptis, meque amabis, et istis omnibus salutem a me dices. Ex urbe. IV. Non. Jan.

Ep. X.

IACOBUS SADOLETUS C. LONGOLIO S.

Mi Longoli salve. Primum putavi scribi a me tibi oportere, si quid esset quod interesse tua arbitrarer: deinde quid ipse sentirem adiungendum esse. Scis Florentiam quanta sit civitas, ut celebritate frequentissima, ingeniis nobilissima. Quid ergo in ea urbe mens est et consilium totius civitatis, incredibile est quam te unum ad illam præclaram iuventutem optimis artibus publico munere instruendam appetat. In quo non iudicio hercule illi falluntur: sed de tua voluntate dubitant. Quum igitur qui apud me auctoritate plurimum possunt, contendissent a me, ut de te per literas sciscitarer qui tuus esset in hac re sensus: feci libenter ut illorum voluntati morem gererem, et sive conditionem accepisses, magno cum honore et emolumento tuo illustrissimæ civitati esset satisfactum, sive repudiasses, gauderes tamen talia de te tam honorifica fieri iudicia. Percrebuit etiam opinio multorum quoque testimonio et auctoritate corroborata, te unum esse hoc tempore cuius in literis eruditio tanta sit, ut nihil ultra optari debere videatur: tanta in posterum exspectatio, ut quod nunc obtines doctrinæ, parva portio, præ ut consecuturus es existimetur. Non igitur mirum est si te quem talem esse crediderunt, suæ reip. commodo natum optaverunt. Quantum autem sit fundamentum bene moratæ et sapientis civitatis, ab optimo magistro iuventutis eruditio, scimus omnes. Itaque te eo accedere summa ope exoptant, nec exiguis hoc quidem sed amplissi-

mis oblatis præmiis: quæ mihi non visa sunt scribenda donec de voluntate tua habuero exploratum. Quid autem tibi auctor sim in hac re uti facias, ego mehercule hæreo: non enim bene habeo cognitum quem tu vitæ tuæ universæ proposuisti finem. Si enim nihil aliud quam literas, ut missa faciam officia boni viri, quæ in omni statu et conditione vitæ usurpanda sunt: non arbitrarer alienum subire te hoc oneris, quid studiis tuis consentaneum, plurimis hominibus utile est futurum: bene enim de humano genere mereri in primis nobis optabile esse debet. Honor vero in hoc negotio is, cum quo iuncta sit quædam Italiæ contumelia, accersitum trans Alpes qui latinas literas in Latio ipso conserat, quo quidem nomine superba futura est Gallia. Sed ego latinitatem virtuti non patriæ acceptam ferendam puto. Tu quid tibi expediat melius et prudentius. Quod statueris quidem non solum probabo tacitus: sed ut optime deliberatum apud omnes defendam. Cupiebam plura, sed occupationes interpellant. Ignosces meæ in scribendo incuriæ, quum ad virum doctissimum scribenti summa adhibenda didiligentia sit. Vellem equidem ipse: sed negotia me non sinunt. Tu vale, et me dilige. Romæ. XI. Calend. Feb. Erit tuæ humanitatis quamprimum ad me rescribere.

PETRI BEMBI

ET

JACOBI SADOLETI

ALIÆ AD ALIOS EPISTOLÆ.

EX PETRI BEMBI EPISTOLIS PONTIFICIIS, ID EST, NOMINE LEONIS X., PONTIF. MAXIMI SCRIPTIS.

Ep. I.

LEO X ANTONIO CARDONÆ, MARCHIONI PADULÆ.

Tui præsentis iis tractandis rebus quæ ad te magna ex parte pertinent, valde egeo. Itaque te hortor, quod bona cum venia proregis Neapolitani fieri possit, ad nos venias. Dat. Cal. April. MDXIII. Anno primo. Roma.

Ep. II.

LAURENTIO CAMPEGIO,

FELTRINORUM EPISCOPO, ET CORNELIO GALANTI, MEIS APUD DUCEM MEDIOLANENSIUM INTERNUNTIIS.

Mandavi Bernardo Bibienæ, quæstori meo, scriberet ad vos ea quæ scribenda erant hoc tempore et erant illa quidem non minimi ponderis. Quamobrem eius literis fidem omnem habebitis : quæque volo per vos fieri sic ea conficietis ut

de vestra diligentia et studio vos et laudandos et ornandos putem. Dat. VI. Id. April. MDXIII. Anno primo. Roma.

Ep. III.

RAPHAELO BESALU

ET SOCIIS APUD VENETOS MERCATORIBUS.

Mando vobis ut omnem pecuniæ summam quam habetis ex rationibus Michaelis episcopi Monopolitani, eam Petro Bibienæ internuncio meo quamprimum curetis. Datis tertio Id. April. MDXIII. Anno primo. Roma.

Ep. IV.

JOANNI PAULO

BALIONI.

Mittimus Perusiam Matthæum, familiarem nostrum, ad perquirendum Nicolaum Foroliviensem, quem istic latere certiores facti sumus: curandumque ut is in custodia, quamprimum fieri potest, habeatur. Quamobrem magnopere te hortor, proque nostra dignitate etiam atque etiam moneo, ut Matthæum, cura, studio, favore tuo iuves, omnibusque in rebus illi præsto sis, ut facilius atque celerius ea quæ volumus curare atque conficere possit. Dat. prid. Id. April. Anno primo. Roma.

Ep. V.

MAGISTRATUI

BONONIÆ.

Demonstratum mihi est, nostra interesse, ut Regii Lepidi forum aliquot peditum tutela muniatur. Quamobrem mando tibi ut ex iis militibus qui apud te sunt, viginti quinque pedites, qui præfectum suum habeant, strenuum aliquem

ac idoneum virum, illo mittas. Ante tamen quam id facias, nostrum hoc consilium cum Rufino Regiensium magistratu communicabis. Qui si etiam equitatu peditatuque opus esse dixerit ad reliquum oppidum eiusque agrum muniendum, vigintiquinque equites levis armaturæ cum peditibus alteris totidem eorumque præfectis ad eum mittes. Dat. Cal. Maii. MDXIII. Anno primo.

Ep. VI.

MONACHIS

NEAPOLITANIS.

Intellexi velle vos Gasparis Hispani præfecti militum cadaver ab illo quo illatum consentientibus vobis fuerat loco, in alium minus idoneum locum transferre. Quam rem quoniam eos quorum interest, ægre molesteque ferre audio: vos hortor ne eorum animos ea de causa mærore afficiatis, cadaverque ne amoveatis. A quo si religione impedimini, vel aliqua alia mutandi loci satis iusta causa vos movet, id omne ad nos defertote: qui quod erit æquum atque iustum, statuemus. Dat. VII. Calendas Junias. MDXIII. Anno primo. Roma.

Ep. VII.

M. ANTONIO

COLUMNÆ.

Mando tibi ut Cotignolam oppidum in deditionem nostri nomine recipias, itaque tractes ut eius municipibus atque incolis nihil detrimenti tuis a militibus inferatur. Cæterum quod ad arrogantiam ipsorum attinet, mulctamque ea de causa decurionibus statuendam, quid fieri oporteat, scribam ad Bononiæ magistratum propediem. Datis III. Non. Maias. Anno primo. Roma.

Ep. VIII.

MAGISTRATUI
BONONIÆ.

Mando tibi ut Achillis Taurellii, cui nuper præfecturam militarem contuli, eiusque militibus stativa des eo in loco qui tibi esse opportunior videbitur: eisque dari mandes tectum, liquum, stipulam, uti solitum est, maximeque convenit. Datis quinto Id. Maias. Anno primo. Roma.

Ep. IX.

MAGISTRATUI
BONONIÆ.

Ex tuis literis intellexi, Cotignolæ oppidum sese nostri militibus dedidisse: itaque postulas ut tibi mentem meam in eo significem. Qua in re volo et tibi mando ut oppidanos ita mulctes itaque punias, ut arrogantiæ qua in nos sunt usi, eos pœniteat, discantque se gerere reverenter: exemploque cæteris sint nihil temere faciendi. Datis prid. Id. Maias. Anno primo. Roma.

Ep. X.

MAGISTRATVI
BONONIENSI.

Mando tibi ut Petro Flisco Cesenæ magistratui eum militum numerum mittas quem is abs te petierit, ad factiosos sceleratosque latronum duces, quos illis in locis impune versari audio, compescendos et comprehendendos. Is enim animi nostri sensus est, ut qui male vivant, flagitiosique sunt, suorum scelerum pœnas luant. Dat. XII. Cal. Jul. Anno primo. Roma.

Ep. XI.
MAGISTRATUI
BONONIÆ.

Quoniam satis confidimus, omnes nostros militum præfectos paratissimos esse, quocumque opus est, sine ulla mora proficisci: mando tibi ut eos omnes eorumque vicarios qui istic sunt adhibeas: eisque meis verbis denuncies ut ad urbem Veronam Maximiliano imperatori contra Venetos defendendam se quamprimum conferant: qui quidem meritus de nobis est, ne eius ditionem ullis ab hominibus vexari diripique permittamus. Quod ut etiam facere libentius aggrediantur, recipere te eis volo quartam alteram unius anni stipendiorum partem per quæstores eis nostros propediem datum iri. Dat. XIV. Cal. Jul. Anno primo. Roma.

Ep. XII.
ALPHONSO,
DUCI FERRARIENSIUM.

Magnopere te hortor ut si Raimundus, Neapolis prorex, qui exercitum fœderatorum cum imperio habet, tormenta ulla bellica, quæque ad ea exercenda usui sunt, abs te petierit, eum tua ope iuves, commodesque ei quibuscumque in rebus poteris. Quod eo facere libentius debebis, quod is tormentis ad defendendum Maximiliani imperatoris oppidum Veronam uti vult. Id si feceris, quemadmodum te facturum confido, quum Ferdinando Hispaniæ regi, tum erit mihi plane gratissimum. De Maximiliano vero ipso optime præclareque merebere.

Ep. XIII.

FRANCISCO MARIÆ,

URBINATIUM DUCI.

Scripsimus ad eam nostram militum equitumque manum quæ Bononiæ atque illis in locis hiemavit, ut quamprimum Veronam se conferrent, eamque urbem, quam velle aggredi Venetos intelligo, tueantur et muniant. Quoniam autem puto fore ut te quoque cum tua manu illuc accedere oporteat, volo ut te tuosque omnes viæ atque itineri compares: nequid moræ per te sit quin ei profectioni, quum advenero, præsto esse possis. Dat. quinto Cal. Jul. Anno primo. Roma.

Ep. XIV.

MAGISTRATUI

PERUSIÆ.

Heri media in urbe Carolus Gratianus, sicariique qui cum eo erant quinque, Gentilem Marcianum districtis gladiis aggressi trucidaverunt. Quæ res tam mihi molesta accidit ut omnem curam adhibendam statuerim ut illi latrones sui sceleris pœnas luant. Quamobrem mando tibi, quum indignationis nostræ tum aquæ et ignis interdicti pœna, ut nihil prætermittas eorum, quæ ad illos omnes capiendos conferre, iuvareque te poterunt. Itaque si de me bene mereri postulas, cura, enitere, confice: primum ut Carolum ipsum tanti facinoris, caput, deinde reliquos quinque comprehendas, tradasque custodiæ. Id si assequi poteris, statim ad me ea de re mittito. Scribo autem in hanc fere sententiam, Malatestæ Balioni, quicum rem omnem communicabis. Spero enim ipsum, pro ea qua illum prosequor, charitate, proque eius in me studio omnia facturum, quæ ad ea, quæ volumus, conficienda pertinebunt. Tu vero si ulla in re alia studium, diligentiamque in me tuam ostendisti, aut ostendere concupivisti, hanc ipsam mihi te in posterum commen-

dandi occasionem, ne prætermiseris. Datum quarto Cal. Sept. Anno primo. Roma.

Ep. XV.

MAGISTRATUI
FOROLIVIENSIUN.

Attulerunt mihi non mediocrem molestiam ea quæ scribis de parricidio isto in agro perpetrato. Quamobrem non diligentia solum tua, quam adhibes in conquirendis eius sceleris sicariis, mihi magnopere probatur: sed mando etiam tibi, ut in illis puniendis, si eos comprehendes, nihil remittas severitatis, quæ cum iustitia coniuncta sit, sed ita agas, ut id quod egeris, exemplum cæteris præbeat, quo exemplo ab eiusmodi concipiendis facinoribus absterreantur. Dat. prid. Cal. Sept. MDXIII. Anno primo. Roma.

Ep. XVI.

REGII LEPIDI
MAGISTRATUI.

Legi permoleste tuas literas, quibus me de duobus civibus isto ipso in foro trucidatis, certiorem facis. Itaque quoniam municipes istos et magnopere diligo, et esse cupio quam tutissimos, ages contra illos, qui tam audax tamque atrox facinus atque scelus perpetraverunt, non solum iuste, sed etiam severitate summa, ut exemplum cæteris statuas ab eiusmodi facinoribus se continendi. Itaque nihil addam nunc quidem. Tu vero mandata nostra conficies, curabisque diligenter, quæ curanda sunt. Dat. prid. Non. Sept. Anno primo. Roma.

Ep. XVII.

CAROLO

HISPANIÆ REGI.

De tua tam egregia in vos voluntate ago tibi quas debeo gratias: hoc est, maximas atque amplissimas spondeoque me eius rei memoriam meo ex animo numquam deleturum: daturum autem operam, ut parem in me voluntatem persimilemque semper experiare iis in rebus, quæ ad dignitatem tuam vel sustinendam vel amplificandam pertinebunt. Dat. XIII. Cal. Mart. MDXVIII. Anno quarto. Roma.

Ep. XVIII.

MAXIMILIANO

MEDIOLANENSIUM DUCI.

Proficiscitur Mediolanum is cui has ad te literas dedi, abs te petiturus, ut sibi emere istic liceat thoracas ferreos quater mille, quibus nostri pedites uti possint. Qua in re te hortor des ei atque commodes, non id modo, ut emere thoracas illos, sed etiam ut sine portorii solutione educere de tua ditione possit. Dat. quarto Cal. August. Anno II. Roma.

Ep. XIX.

FRANC. MARCHIONI

MANTUÆ.

Quoniam ad sacra conficienda, precesque divinas celebrandas, cantore mihi opus est, qui graviore voce concinat: velim, si tibi incommodum non est, ut ad me Michaelem Lucensem cantorem tuum mittas: ut eo nostris in sacris atque templo, quod est omnium celeberrimum atque sanctissimum, communemque totius orbis terrarum pietatem et lætitiam continet, uti possim. Dat. tertio Cal. August. Anno secundo. Roma.

Ep. XX.

LAURENTIO MALVITIO.

Excusationem tuam, qua mecum per literas uteris, de tuo ad nos adventu, eatenus admitto, ut te bono in animo esse plane existimem. Volo autem, et tibi mando, ut reiectis omnibus impedimentis Romam venias. Cæterum ad eas literas, quas hac de re tota magistratui Bononiæ dedi, te referes: quæque tibi is meo nomine mandaverit, sine ulla tergiversatione aut mora. Dat. XVIII. Cal. Sept. MDXIII.

Ep. XXI.

JANO PARRHASIO.

Quum id magnopere optem, ut Romanus literarum ludus a præstantissimis doctoribus exerceatur, ut ii qui se bonis artibus dediderunt, ex ea re fructus uberrimos percipiant: de tua in studiis mitioribus doctrina certior factus, ad ea publice docenda Romæ te sublegi, stipemque tibi dari iussi annis singulis ducentorum aureorum nummum. Quare volo ut ad urbem quamprimum venias: libenti enim te animo atque paterno videbo. Dat. tertio Calend. Oct. Anno secundo. Romæ.

Ep. XXII.

JOANNI PAULO

BALIONI.

Hortor te, atque abs te plane peto, vel, si opus est, mando etiam, ut Sibiciani dominos fratres ulla molestia neque afficias ipse, neque affici permittas a tuis. Cures autem potius, desque operam, ut eorum agri atque oppidula tuis a militibus tuta sint: quemadmodum quidem convenit ea omnia per te esse, quæ nostra sub tutela conquiescunt. Id enim magnopere volo, ut eius fratribus negotium ullo ab

homine temere atque iniuria ne adhibeatur. Quodsi tibi ius eorum in bonis competit, dabo ipse operam ut tibi, quem unice diligo, modo id iuris via postules, non vi atque armis appetas, quamprimum quamque ampliter satisfiat. Dat. VII. Cal. April. Anno secundo. Roma.

Ep. XXIII.
JOACHIMO MARCHIONI
BRANDENBURGENSI

Literæ tuæ, quibus mihi de Pontificatu Maximo gratularis, pergratæ mihi perque iucundæ fuerunt. Nam et tuum in Rempub. obsequium atque cultum, et in me ipsum veterem observantiam et studium præ se tulerunt. Itaque si quid erit in quo amplificare tua commoda tuamque dignitatem possim, meam tibi operam in eo libentissime polliceor. Quod autem mihi Joannem Planchefelem iurisperitum, procuratorem tuum, doctum sane hominem, et prudentem virum, et agendis rebus in primis idoneum, diligenter commendas, facis et ex more boni principis, et ex ipsius, ut mihi videtur, meritis. Quamobrem et complector iam illum libenter per me ipse, et posthac tua commendatione mihi erit etiam carior. Dat. V. Non. Jul. Anno primo. Roma.

Ep. XXIV.
ALPHONSO
DUCI FERRARIENSIUM.

Jacobum Sadoletum, civem tuum, cuius egregia et fideli opera scribendis epistolis quotidie utor, ob eius excellens atque præclarum ingenium, optimarumque artium singularem doctrinam, et præstantem omni virtutum genere animum, magnopere amo, facioque sane plurimi. Eius sororis vir Tadeus Gilinus cupit impetrare abs te magistratum aliquem tuis in locis, quem triennium aut biennium exerceat: ut et

honestius eos dies traducere, et familiam suam alere facilius atque commodius possit. Itaque te non solum hortor, sed etiam rogo, velis præclari hominis, mihique carissimi propinquo, prudenti, ut intelligo, viro et virtute prædito, satisfacere: qui tamen rem omnem desideriumque suum tibi coram ipsemet diligentius explicabit. Dat. V. Idus Septembr. Anno secundo. Roma.

Ep. XXV.

HANNIBALI BENTIVOLO.

Allatum ad nos est, te quædam contra meam et reip. dignitatem libertatemque moliri. Quod quidem ut crederem non potui adduci. Excidisse enim ex animo tuo, qua in te liberalitate usus sum, non existimo. Itaque potius a malevolis hominibus ea iactari et fingi putavi. Verum ne illis, si qui sunt, tui ulterius criminandi des locum, tuque eas calumnias diluas, te hortor, ut una cum filio tuo Constantio ad me quamprimum venias: te enim ego atque illum amico, ut soleo, animo paternoque videbo: tuque iis de rebus quæ tibi obiiciuntur, præsens melius et facilius nobiscum transiges. Dat. V. Cal, Sept. Anno primo. Roma.

Ep. XXVI.

JOANNI SAXATELLO.

Intellexi te ab Hannibale Bentivolo possessiones cum molis frumentariis, quas ille in Rheni vico habet, nuper emisse aut certe emere statuisse. Eam emptionem contra Bononiensium decreta esse, certior factus sum. Itaque quoniam nolo ulla in re eorum legibus præiudicium fieri, mando tibi ut ab ea emptione prorsus abstineas. Quodsi aliquam in eo pecuniæ summam expendisti, aut fortasse totum iam pretium

persolvisti, dabo operam ut ab ipso Hannibale tibi omne persolutum restituatur. Dat. XVI. Calendas Octobr. MDXIII. Anno primo. Roma.

Ep. XXVII.

MAGISTRATUI

RAVENNÆ.

Allatum ad nos est, Federicum Gonzagam, Francisci Marchionis Mantuæ filium, dum a me, ad quem quidem officii causa venerat, in patriam rediens, iter per agrum Ravennatem faceret, ab agricolarum magna manu, qui se insidiis locaverant, ita exceptum fuisse, ut parum abfuerit quin ab illis trucidaretur: ancipitique fuga atque cursu extra illius agri fines se celeriter eripientem, equos, vestem suam atque suorum, vi ab armatis interceptam disceptamque amisisse. Quod quoniam indignissimum factu est, et a nostra dignitate meoque studio alienissimum: qui non illum modo optime de me meritum, sed omnes etiam qui bene vivunt homines, in huius reip. ditione tutos esse magnopere volo: mando tibi ut super ea re quæras diligentissime, perscruteregue eius sceleris omnes partes, atque in reos animadvertas quemadmodum tibi æquum et iustum videbitur, in primisque ut ablata omnia restitui cures Federici procuratoribus, si reparari poterunt: vel eorum pretium, si distracta fuerint. Quibus in rebus omnibus administrandis conficiendisque ita te geres, ut egregii adolescentis, qui quidem a me, propter suam indolem iam et mores regios nobilitatemque generis, paterne diligitur, detrimentis per te atque iniuriæ recte atque abunde consulatur. Dat. VIII. Cal. Jul. Anno primo. Roma.

Ep. XXVIII.

OCTAVIANO FREGOSIO

GENUENSIUM DUCI.

Mitto ad Ludovicum Galliæ regem Sebastianum Pistoriensem, familiarem meum, qui iter isthac faciet. Quare abs te peto ut eum in itinere conficiendo quibuscumque rebus poteris iuves. Et quoniam certior factus sum, in tuæ ditioni vicinis locis magna hoc tempore latronicia fieri, per mihi erit gratum des operam ut Sebastianus in Galliam transalpinam tuto atque celerrime se conferat. Dat. VI. Id. Octobr. Anno primo. Roma,

---

Ep. XXIX.

MAGISTRATUI PLACENTIO

ET PAULO SUMONTIO.

Mando vobis ut aqua et igni interdicatis nequis ex ea pecunia quæ ratione decimæ a sacerdotibus qui in regno Mediolanensi sunt, exigitur, quicquam capere habereque apud se audeat: præter eum quem vos eius rei curatorem esse iusseritis: cuius eligendi vobis unis facultas esto. Volo enim ut is tantummodo qui a vobis erit lectus, eam pecuniam administret. Dat. quarto Cal. Novemb. MDXIII. Anno primo. Roma.

Ep. XXX.

BONONIÆ MAGISTRATUI.

Quoniam certior factus sum, his diebus eiusmodi motum istic animorum fuisse, sic ad arma concursum esse, ut mirum propemodum fuerit, plurimorum civium cædem et optimorum virorum interitum non fuisse consequutum: mando

tibi ut quum aliquid excitari audieris inter istos cives, edicta gravissima constanter atque intrepide proponas: operamque des ut omnes te homines timeant, auctoritatemque vereantur tuam: ne tibi quisquam illudere, vel nostræ potius dignitati, tuo sub nomine, audeat: sed tibi pareant, hoc est nobis, quorum tu munus in isto magistratu geris. Itaque volumus ut omnia agas, cures, prævideas, ne armatorum hominum conventus a quopiam excitentur. Et, si verum esse compereris quod a nonnullis affertur, Antonium Volteium eius de quo dixi tumultus atque motus causam occasionemque dedisse, acriter eum reprehendes, monebisque ab armis se abstineat, ne gravius aliquid in illum decernere vel inviti compellamur. Dat. VI. Id. Jan. MDXIII. Anno primo. Roma.

Ep. XXXI.

PROREGIS NEAPOLITANI VICARIO.

Quum maxime nostra intersit ut Franciscus Mariani Scortii filius, civis Romanus, quem esse Capreis intellexi, mihi dedatur: te etiam atque etiam hortor, des operam ut eum quanto celerius fieri potest, habeas in custodia, semoto aliquo et secreto in loco. Id si feceris, quod ut facias magnopere abs te peto, spondeo tibi, te in eo non solum mihi sed regi etiam tuo gratissimum esse facturum. Tota autem de re quid egeris facies me quam diligentissime certiorem. Dat. XIX. Cal. Feb. MDXIIII. Anno primo. Capranica.

Ep. XXXII.

ANDREÆ BURGIO.

Scribimus Maximiliano Mariæ, Insubrum duci, ut quicquid Paulæ Gonzagæ, Alberti Pii Sorori, ratione dotis debetur, id ei curet quamprimum quamque integrum atque solidum reddi: quemadmodum ex literarum mearum ad ipsum

ducem exemplo cognosces. Hortor autem te, ita rem apud illum iuves, ut mulier vidua ius suum sine mora sineque diminutione consequatur. Dat. sexto Cal. Mart. Anno primo. Roma.

Ep. XXXIII.

MAGISTRATUI

ARIMINI.

Varii atque difficiles fortunæ casus, quos egregia mulier, Violantis Bentivola Malatestis, quatuordecim fere annos est perpessa, dum mariti sui ditione pristina excussa, novem liberos alienis opibus nutrit, me commovent ut eius ærumnas atque labores parte aliqua sublevem. Itaque certior factus bona quædam in Ariminensi, ratione dotis illi deberi: mando tibi des operam, ut ei pro iustitiâ satisfiat: eoque magis, quod intelligo Ariminenses ipsos eam satisfactionem non impedituros. Dat. tertio Nonas Maias. MDXIV. Anno secundo. Roma.

Ep. XXXIV.

MAGISTRATUI

PLACENTIÆ.

Venit istuc, nobis mandantibus, ad eos perquirendos et puniendos qui novas res isto in oppido molientes tumultus maximos excitaverunt, Bonifacius Vallensis iureconsultus, familiaris meus: non sane quia tua prudentia, diligentia, rerum gerendarum scientia, atque in primis probitate magnopere, ut soleo, confidere non possim; sed ut tuum tibi munus atque onus aliquanto levius faciam, illo ad partem oneris tecum ferendam adhibito atque addito. Quare volo ut, si tibi videbitur, omnibus gerendis rebus una cum illo adsis, præstesque ei tete socium, ut communi utriusque vestrum consilio negotium administretur. Itaque si homi-

nem et libenter exceperis, et accurate iuveris, erit mihi gratum. Dat. XV. Cal. Apr. Anno primo. Roma.

Ep. XXXV.

DECURIONIBUS ET MAGISTRATUI MUNICIPII ASCULANI.

Quoniam intellexi Firmanos exules magna armatorum hominum coacta manu Firmanum oppidum vi ingressos esse: veritus, vestros quoque exules, exemplo illorum permotos atque percitos, idem ausuros, in Asculumque invasuros: volo, ac vobis mando, ut et arma ipsi capiatis, et propinquos clientesque vestros armari celerrime iubeatis, ad defendendam urbem vestram, vestræque urbis eum statum qui nunc est, conservandum atque muniendum: ne vestri exsules, nobis nolentibus, vobis autem etiam invitis, oppidum aggredi atque adeo ingredi possint. Caveri autem a vobis præcipue volo, curamque omnem et diligentiam adhiberi, ne tumultus aliquis eo nomine intestinumve malum possit exsistere. Itaque ad novam vim atque iniuriam vestrorum exsulum repellendam promptos vos atque paratos esse iubeo: non autem vel ad veteres iniurias ulciscendas vel ad potentiam extraordinariam exercendam: ut quum improbi cives vestri flagitiosique homines armatos vos atque animatos ad commune bonum senserint, a male cogitando maleque agendo absterreantur et conquiescant. Dat. prid. Cal. Apr. Anno secundo. Roma.

Ep. XXXVI.

MAGISTRATIBUS SENENSIUM.

Mittimus, ad sedandos compescendosque tumultus vestrorum exsulum, qui ut civitatem vestram perturbarent, manum armatorum hominum coegerunt, Pindarum Santesium,

familiarem meum, hominem et virtute præditum, et nobis in primis gratum et probatum. De quo mentem et consilium super ea re meum cognoscere facile poteritis, quamque vos urbemque istam diligam. Dat. VIII. Cal. Jul. Anno secundo. Roma.

EX

PETRI BEMBI

FAMILIARIBUS EPISTOLIS.

Ep. I.

VENETIAS.

PETRUS BEMBUS BERNARDO BEMBO PATRI S. P. D.

Messanam venimus ad quartum nonas Maias, navigatione usi perincommoda: quod viæ, quum discedens a te, pedibus me facturum putarem, mutavi consilium quum essem Neapoli, propter hospitiorum infrequentiam, tum ipsa hospitia ab omnibus rebus imparatissima. Itaque naviculum nacti, decimo die Siciliam tetigimus nauseantes: sed abstersit nobis omnem molestiam Constantini Lascaris humanissima congressio, qui nos excepit libentissime, et liberaliter est pollicitus, idque re præstat. Erudimur enim mira ipsius diligentia, tum amore prope paterno. Omnino nihil illo sene humanius, nihil sanctius: reliqua etiam omnia satis ex sententia. Urbs præclaro loco posita ad mare, portu amplo atque tutissimo: aeris mira temperies: annona rerum ad victum omnium quum vilis, tum luculenta. Quæ tibi nota esse volui, ut confideres nos hic, etiam cum voluptate futuros. Helenæ matri meæ multam salutem, et Carolo fratri, et Antoniæ sorori. Vale mi pater optime atque optatissime. III. Cal. Jun. MCCCCLXXXXII.

Ep. II.

AD FORUM JULII.

P. B. HIERONYMO SAORNIANO S. P. D.

Accepi cum tuis literis puerum quem ad me misisti, mihi iam propterea gratum quod abs te venit. Eius indoles satis ingenua est et libero digna: animus, ut mihi visus est, quum mei studiosus, tum ad discendum multo promptissimus. In quo alterum diligo: alterum curabo, ut si quam ille de me spem ceperit, ea ne frustretur. Magdalenæ tuæ velim dicas, subiratum ei me esse quod tibi semper filias pariat. Opto Hieronymum parvulum dari mihi, quicum ludam. Vale. IV. Cal. Jan. MCCCCLXXXXIV. Venetiis.

Ep. III.

VENETIAS.

P. B. NICOLAO DOMINEO S. P. D.

Accepi cum epistola mel et placentas abs te, vel potius cum placentis mellitam epistolam tuam. Rides? Sic profecto erat, nihil assentatione utor. Quæris qui? Belle sane. Epistola enim in mel ceciderat: credo quia puer in manibus eam habuerit, dum liguriret, atque ita ceciderit. Jam mihi videor placentas tibi persolvisse, hoc ænigmate soluto. Mel ipsæ tuæ literæ combiberunt: itaque nihil tibi debeo nisi epistolam. Eam tibi nunc dependo his literis. Vides ut tecum iocer? Quod ais de Ruzerio, ego ad illum scripsi statim ut mihi tuæ literæ sunt redditæ. Epistolam reliqui Angelo Gabrieli meo huc proficiscens, Cypriano dandam ad eius fratrem. Ille statim dedit: quare Cyprianus in culpa est si redditæ meæ literæ non sunt. Vale. Patavio. Nonis Novembris MCCCCLXXXXIV.

Ep. IV.

BERGOMUM.

P. B. PAULO PISANO, EQUITI, PRÆTORI BERGOMATUM, S. P. D.

Quia non est obscurum quam me ames, neque ipse possum facere quin tibi commendem eos qui, quum optimi viri sint et mihi aliqua necessitudine coniuncti, putant se abs te suum ius, me petente, assequi posse facilius: neque tu debes recusare quominus multos tibi obliges honestos homines, pro quibus veteres tui familiares te rogant: præsertim iis in rebus in quibus, quæ tua est humanitas, non tu illis quidem deesses, etiamsi te nemo rogaret. Itaque Petrum Franciscum Manzonium, patre orbatum, optimo sane viro, commendo tibi diligentissime. Is contra patruos agit: qui in petitione summæ quam ei debent, Bergomatum cuiusdam legis auxilio, satis imbecillæ quidem ac levis, rem iniuste impediunt, contra Patavinorum leges gravissimas, quorum ille municeps est. Peto igitur a te ut rem cognoscas, et quum primum poteris, iudices: nec patiaris probum hominem et mihi in ea necessitudine qua cum Patavinis habeo, coniunctissimum, eludi et frustrari ab iniquis viris. Non dicam plura, ne aut amici causæ videar aut amori erga me tuo diffidere. Unum addam: quantum tuæ operæ Manzonio præstiteris hac in re, tantum me amari abs te posthac existimaturum. Vale. VII. Cal. August. MDII. Ferraria.

Ep. V.

FERRARIAM.

P. B. HERCULI STROTIO S. P. D.

Rogarunt me quidam mei, qui scirent me abs te amari, et quidem multis precibus, ut peterem abs te ut mihi canem aliquem istinc mitteres ad aves capiendas idoneum, et bonarum narium, et dignum qui a te proficisceretur. Ego autem,

qui negare illis nihil possum, magis quam tibi possem, si me rogares, peto a te ut eis satisfacias meo rogatu: mittasque mihi de tuo canum grege aliquem quam optimum, et quam primum potes. Erit id mihi sane gratissimum. Patri tuo, viro amplissimo, et fratribus salutem plurimam dicito meis verbis, et nostro Leoniceno. Vale. Prid. Non. Jul. MD. Venetiis.

Ep. VI.

PATAVIUM.

P. B. ANGELO GABRIELI S. P. D.

Tribus tuis literis brevi respondebo. Quod non veneris, eo consilio ut te istic cures, mihi gratum est. De re tua habes literas a matre tua, femina prudentissima quam sum hodie alloquutus. Antonium exspecto, cum iis rebus quas scribis eum adducturum. Vestem tuam habebis quam primum erit cui dem. De tabellis barbaris sic habeto, me in magna spe esse conficiendi negotii ita ut volumus. Te hic esse ea de causa, necesse nihil est: si erit, faciam te certiorem. Ego quod efficere hac in re possim, cura, diligentia, studio, auctoritate, precibus, pollicitationibus, neque destiti agere neque desistam. Omnino tu bono es: *οὐ πτερυγίζω* sic tamen ut, si assequar quod cupimus, non erit id præter spem: si non assequar, ita me defendam, *ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται.* Vale. Decimo Calend. Decembr. MD. Venetiis.

Ep. VII.

FERRARIAM.

P. B. HERCULI STROTIO. S. P. D.

Cœnanti mihi heri cum fratre tuo, redditæ sunt abs te literæ, perbreves illæ quidem, uti quum hominis occupatissimi, tum cui nihil esset fere quod scriberes, præter salu-

tem. Scripsisti tamen, atque ita scripsisti, ut amore erga me tuo, tuaque benevolentia, pagella etiam ipsa redundaret. Itaque valde te amo, quod des operam ut esse me tibi quam carissimum, non dictis tantum, sed etiam singulis codicillis intelligam. Quod scribis, exspectatum me ad prandium a Neæræis, valde miror, qui neque ad cœnam quidem cogitarim. Nam statui nihil mihi cum urbanis. Volo enim, et quidem magna cum perseverantia, rusticari. De Brandini carcere Lycus, esse te auctore factum, nihil mihi retulit scisse se, et ipse numquam existimavissem. Sed nihil te puto fecisse temere. Ego, quum tibi istinc evolare per negotia tua licuerit, te exspecto. Vale. XIII. Cal. Non. MDII. De Strotiano tuo.

Ep. VIII.

VENETIAS.

P. B. BARTHOLOMÆO RICCIO S. P. D.

Gratus mihi tuarum literarum sermo, elegans doctrinæ plenus, fuit: quibus literis gratularis me a Paulo Tertio Pont. Max. in Cardinalium collegium, quos pontifices appellas, fuisse cooptatum: tametsi tu quidem parcior multo continentiorque debueras in me laudando esse. Sed tuæ te eloquentiæ flumen altum profecto atque latum, ut a ripa solvisti, liberius rapidiusque vexit quam oportebat. Qua de re maiores tibi gratias et nunc ago, et referam quum potero. Vale. Nono Cal. Junias. MDXXXIX. Patavio.

Ep. IX.

VENETIAS.

P. B. LAZARO BAIFIO ORATORI REGIS GALLORUM S. P. D.

Mitto ad te dialogos aliquot meos, nuper quidem editos, verum a me partim iuvene, partim etiam adolescente,

confectos: ut, quantum te amem, ex hoc possis cognoscere, quod eos ad te venire volui prope nudos, qui de re vestiaria tam luculenter conscripsisti. Mitto etiam eosdem alios, quos peto a te, ut per tuos tabellarios perferri mandes Lugdunum: desque negotium alicui tuorum vel amicorum, vel hospitum, qui Lugduni sunt, ut eos mittant Carpentoracte, Jacobo Sadoleto reddendos. Erit id mihi abs te supra quam dici possit gratum. Vale. III. Id. Junias. MDXXX. Patavio.

Ep. X.

P. B. CAROLO UTENHOVIO S. P. D.

Iis in literis mittendis quibus ad Erasmum rescripsi, nulla celeritate te uti volo. Quicumque primus te adierit, qui Basileam cogitet, is erit aptissimus cui eas literas des. Nihil enim continent præter id unum, eius de te commendationem magnum apud me pondus habuisse, idque me tibi rebus omnibus ostensurum. Amari me abs te valde gaudeo. Cæterum quod petis, ut te destitutum omni auxilio tuear: ego vero id non libenter modo, sed etiam cum voluptate sum facturus, si, quid illud sit in quo mea vel ope vel benevolentia indigeas, quodque me velis facere, abs te cognoro. Vale. XVII. Cal. Maias. MDXXIX. Patavio.

Ep. XI.

P. B. TORQUATO BEMBO FILIO S.

Horologio e mea bibliotheca tibi allato, a quo expergefieri qua hora voles possis, te libenter uti, non moleste fero: modo te id non intemperate a somno avocet. Valetudinis enim tuæ curam habere in primis volo. De tuorum studiorum ratione nihil tibi mando nunc quidem, nisi unum. Fac ut in tuis quas ad me das literis Ciceronem accuratius exprimas, moremque illius scribendi, verba, numeros, gravi-

tatem, lenitatem diligentius imitere. Hoc si feceris, omnia te assecutum putabo. Præceptori tuo multam salutem, Tufeto etiam. Vale. XVI. Cal. Feb. MDXLIV. Roma.

Ep. XII.

P. B. DAMIANO LUSITANO S. P. D.

Delectatus magnopere sum literis tuis, quæ me tui cupidissimum de omni statu tuo erudierunt. Itaque gratulor te uxorem duxisse, atque ita consulere posteritati voluisse. Quam tibi rem Deum Opt. Max. fortunare volo. De me quod scire optas, nihil possum dicere, præter hoc unum, me in Cardinalium collegium a Paulo tertio Pontific. Max. non modo non petentem, sed ne cogitantem quidem ea de re quicquam, fuisse cooptatum. Nunc me comparo ut ad illum proficiscar. Id enim me quam primum facere vult. Te amantissimum mei esse, ut scribis, valde gaudeo. Idem de me tu ut cogites, exploratumque habeas, a te peto. Resendii literæ si venerint, erunt mihi gratæ. Vale. Non. April. MDXXXIX. Venetiis.

Ep. XIII.

P. B. REGINALDO POLO CARDINALI S. P. D.

Dolebam antea te a nobis discessisse: quum tamen esset spes aliquando reversurum: nunc autem quum te Paulus Pont. Max. in amplissimum Cardinalium ordinem legerit: neque posthac his in locis te videndi facultatem mihi datum iri ullam putem: lætor tamen tuam virtutem ea dignitate auctam et honestatam fuisse, quam te posse consequi, incredibili Pauli prudentia iudicioque freti, sperabamus. Qua de re tibi vere atque magnopere gratulor: utque perpetuæ solidæque voluptati tibi sit iste magistratus, quæso et opto. Ac meum quidem tu absentis desiderium nostræ necessitudi-

nis memoria facile solabor: tu vero longe ornatior atque illustrior factus, non Italiam modo, sed Britanniam etiam tuam, atque ipsum cœli verticem, tuarum laudum splendore fac impleas. Vale. Tertio Cal. Januar. MDXXXVI. Patavio.

Ep. XIV.

P. B. CARDINALIS, ANTONIO PERRENOTO, EPISCOPO ATREBATENSI S. P. D.

Joannes Joachimus, Vaulxi dominus, perantiquus est amicus meus, et quidem maxime intimus. Eius ego virtutem et ingenium excellens atque in omni vitæ genere singularem industriam feci semper, facioque sane plurimi. Qui quum clarissimi illustrissimique viri patris tui patrocinii magnopere indigeat: peto abs te diligentissime ut Joachimi causam, quam cum Imperatore habet, ei commendes: atque ita commendes ut quod illi multos iam annos a fisco Mediolanensi debetur, consequi aliquando tandem possit: ne Imperatoris æquitas, quam quidem unam eius virtutem omnium maximam omnes homines experiuntur, atque in cœlum ferunt sibi uni semper sit desideranda. Id si feceris ad tua priora erga me merita magnus cumulus accedet. Vale. Patri tuo multam salutem. Sexto Cal. Octobr. MDXXXIX. Patavio.

Ep. XV.

BONONIAM.

P. B. ANDREÆ ALICATO JURECONSULTO. S. P. D.

Gratulatio de Cardinalatu meo tua valde mihi grata et iucunda accedit: tametsi tu in recensendis tuæ lætitiæ causis, longius proveheris, quam a me agnosci possit te non decipi. Sed est eiusmodi lapsus non perferendus modo, verum etiam amplectendus. Amoris enim abundantia provenit: quæ quo maior est, eo minus recte iudicat. Amore

autem nihil est homini datum suavius, nihil fructuosius. Itaque de officio isto tuo, elegantissimisque tuis atque humanissimis literis, valde mehercule te amo. Mea vero hæc, de qua lætaris dignitas, erit mihi etiam iucundior, si in te ornando afferre aliquid poterit quo meus erga te amor quum tibi tum reliquis hominibus esse notior atque testatior possit. Quamquam ea tua excellens præclaraque doctrina, eæ sunt tuæ plurimæ præstantissimæque virtutes, ut alienæ opis minime omnium egeas. Vale. Decimo Cal. Maias. MDXXXIX. Venetiis.

JACOBI SADOLETI
EPISTOLÆ SELECTÆ.

Ep. I.

J. SADOLETUS ROMULO AMASÆO S.

Non erat opus mecum tot uti excusationibus: non enim umquam dubitavi quin tu me diligeres. Sed tamen in te quodammodo excusando quum adhibuisti non mediocrem diligentiam, simul et illud, quanti tu me faceres, ostendisti. Quo ego tuo vel de me iudicio vel erga meo animo mirifice delector. Virtutem tuam, quam amabam, et excellens ingenium, quo es præditus, totum expressum vidi in tuis literis. Quibus nihil elegantius nec eruditius legi a me potuit. Omnino egregie sustines nomen quod adeptus es: de quo tibi non minus gratulor quam tu honori me es gratulatus. Cui ego honori utinam par esse possim, ut ne obruar exspectatione eorum qui magna a me postulant, et maiora quidem quam queam præstare, Sed in hoc misericors Deus nos adiuverit. Ego te diligo Romule, et de tuis virtutibus honestissime sentio: meque vicissim cupio a te amari, paratus, si quid forte uti opera mea volueris, ea tibi præstare quæ ab amicissimo homine iure exspectanda sunt. Pompilium tuum hic sæpe video, eiusque probitate et ingenio, ac in me ipsum observantia, summopere delector. Vale. Romæ.

Ep. II.

J. SADOLETUS HERCULI II. DUCI FERRARIÆ S.

Quoniam habeo te inter eos quos mihi eximie semper colendos observandosque proposui, ideo putavi mihi faciendum esse ut ad te mea manu scriberem, nunciaremque id quod mihi contigit. Heri enim nihil cogitans, ac ne cupiens quidem, sed præter omnem opinionem meam, creatus sum Cardinalis. Cuius honoris magnum onus et splendidum, meis tamen humeris perquam grave est; non enim videtur meæ fortunæ tenuitas id posse perferre. Sed tamen feram ut potero: et, si copiis opibusque deficiar, in eo elaborabo, ut fide, integritate, amoreque in Remp. muneri meo satisfaciam. Tibi vero, præstantissime Dux, cuius nomini clarissimæque familiæ iampridem valde deditus sum, ita mea studia officiaque polliceor ac defero, ut tibi cupiam persuasum esse, ea tibi in primis præsto semper fore: meque eorum nemini qui te amant et colunt, quorum, pro amplitudine et nobilitate tua, magna copia est, numquam concessurum: semperque ea libentissime facturum quæ honori tibi et ornamento esse possunt. Sed hæc, quum usus venerit, re magis præstabo quam verbis. Tu ut me diligas habeasque in numero tuorum, vehementer a te peto. Vale. Ex Urbe X. Cal. Ian. MDXXXVI.

Ep. III.

J. SADOLETUS REGINALDO POLO CARDINALI S.

Post discessum tuum nihil adhuc dedi ad te literarum quod de publicis rebus acta omnia ad te mitti sciebam. De tuis autem nihil mihi nominatim mandaras proficiscens, quod me tua causa facere aut sentire oporteret. Quod si fecisses, benevolentiam tibi meam et præstitissem re ipsa, et literis sæpe declarassem: etsi ad meum tibi amorem testificandum non opus puto esse literis. Hic nos in magno metu Turcarum assidue sumus: præsidia tamen adhuc nulla, quæ

quidem appareant, comparata habemus: nisi illud unum maximum nobis est præsidium, quod positum est in principis consilio, et sapientia: qui iam sæpius nobis confirmavit, se in communi tuenda salute, animo excubare. Et tamen arbitror a rerum peritis dictum, nisi extremo Sextili mense liberum ad nos cursum classem habere hostium non posse. Tuos conatus non eum habuisse exitum quem cuperemus, doleo equidem vehementer: sed hoc æquiore fero animo, quod ita fore prævideram. Tu modo salvum te nobis exhibeas, atque restituas, occasiones aliæ non deerunt: non enim eundem tenere statum diu possunt, quæ tantopere sunt commoda. Nos hic in fortuna tenui sustinemus tamen onus dignitatis, quoad possumus. Rectam adhibemus voluntatem, reliqua Deo permittimus. Te amamus et colimus, ut debemus, amarique item abs te cupimus. Tu si quid forte mihi per literas mandaveris, efficiam ut te non frustra id fesisse intelligas. Episcopum Veronensem nostrum plurimum verbis meis salvere iubeas velim. Vale. Romæ, IV. Nonas Julii. MDXXXVII.

Ep. IV.

NIC. ARCHIEPISC. CAPUÆ S. R. E. CARD. S.

Literæ tuæ perbreves, sed amoris humanitatisqne plenissimæ, hoc mihi etiam fuerunt iucundiores, quod manu tua scriptæ, illud ipsum testimonium de quo scribis nostræ perpetuæ et constantis amicitiæ, gravius multo faciebant. Etsi illud in eis nimis liberaliter, quod mihi ea honorum cognomina attribuis quæ ego urbis summatibus libenter facileque concedo. Nam mihi sane parvitas mea est voluptati, quæ in tranquillitate animi otioque literario posita lætatur. Florere autem amplis titulis, et honorum ea insignia obtinere quæ cum magnis curis et negotiis coniuncta sint, magis in te cæterisque amicis meis, quam in memet ipso, gratum mihi est. Vestro enim patrocinio, vestro labore et

opera nos vivimus pacatiores. Quamquam nullus quidem mihi amicus est te antiquior, ac ne benevolentior quidem. Ita enim et ad me scripsit, quoad in urbe mansit Paulus: et reversus ad nos illud idem vehementius confirmavit, nullum sibi a te studium, nullum indicium amoris, quod quidem optare potuerit aut debuerit, defuisse; quum et in deferenda ope tua insignem in se benevolentiam, et in communicandis maximis rebus summam fidem, et in omni sermone usuque familiari, egregiam tuam comitatem se expertum esse, plurimumque adamasse testificetur. Quæ mihi omnia, iucunda auditu, ipsa re pergrata, non quidem præter spem, sed tamen supra spem mihi tributa sunt: ut tantum tibi pro illis gratiæ debeam quantum nostra amicitia patitur. Ea porro vult ut animo magis quam verbis gratam memoriam officiorum comprehendamus: quod tibi quidem a me et amplitudini tuæ numquam deerit. Tu quando mihi omne tuum studium et auctoritatem et operam amantissimis verbis polliceris atque defers, summo me omnium beneficio afficies, si amorem istum tuum erga me conservaveris. Vale. III. Idus Martii. MDXXXVI. Carpentoracti.

Ep. V.

J. SADOLETUS NICOLAO PEITELLIO S.

Paulus ad me scribit, in eo obeundo munere, quod rogatu meo suscepisti, te et ipsi et Carpentoractensibus civibus usque eo satisfacere, ut in sacris illis concionibus quas ad populum habes, nec religionis studium ardentius, nec rerum copia uberior, nec orationis subtilitas maior desiderari posse videatur. Itaque admirabilem ad te audiendum hominum cuiusque generis, ætatis, ordinis, concursum fieri: ut prorsus numquam istic quisquam maiore hominum vel frequentia, vel admiratione, eius generis conciones habuerit. Quod mihi quidem, qui præstantissimum ingenium tuum, pari vitæ integritate ac pietate coniunctum, istic quum

essem facilem perspexi, minime mirum visum est. Non possum tamen facile verbis consequi, quam id gratum mihi et iucundum acciderit. Nihil enim vehementius studeo atque opto, quam illos homines, quos fidei meæ commissos, paterno plane amore prosequor, his tam turbulentis temporibus, quibus multi quotidie a vera religione abducuntur, in recta erga Deum fide atque officio manere. Itaque quum tu ad eos continendos tam fidelem tamque egregiam operam mihi absenti naves, incredibili quadam voluptate afficiar necesse est. Tibi vero eo nomine tantum debere me intelligo, quantum equidem vix posse umquam videor persolvere. Sed tamen et is primum qui pias hominum actiones cœlestibus præmiis remuneratur Deus, cui tu imprimis deservis, tam præclari officii tui amplissimam tibi mercedem reddet: et ipse non desistam quin tibi pro tantis tuis in me meosque cives meritis aliquam aliquando gratiam referam. Tu ut civitati isti pergas rectam, quemadmodum facis, salutis et immortalitatis viam ostendere: meque apud Deum precationibus tuis iuves, uti mihi ad ecclesiam meam regendam redire illius benignitate contingat, abs te vehementer peto. Vale mi Peitelli. Romæ. MDXLVI.

Ep. VI.

J. SADOLETUS GEORGIO DUCI SAXONIÆ S.

Quod non tam cito tuis literis rescripserim, præsertim tam accurate tamque prudenter scriptis, ignosce, quæso, mihi. Non mea fuit culpa: sed quum emergere cœpissem ex gravi morbo, quo quatuor pæne mensibus oppressus, periculum vitæ non semel adii, allatæ eæ mihi sunt, meque summa et incredibili quadam voluptate affecerunt. In eis enim non solum recognovi tuam pristinam virtutem et sapientiam, quam semper antea sum admiratus: sed singularem etiam et novam quandam humanitatem cognovi. Sic enim benigne atque amanter me in amicitiam tuam recipis,

ut mihi, qui hoc summe semper concupivi, ut tibi aliquo amoris vinculo coniunctus essem, nihil accidere potuerit optatius. Non enim ego, Georgi præstantissime, divitiarum aut pecuniæ amator sum, nec honores et potentiam magno studio requiro: sed amo viros animo et virtute excellentes, inque eorum amicitia et mutua erga me benevolentia incredibiliter acquiesco. Itaque tua nunc erga me voluntate perspecta, crede mihi, tanto in te studio sum accensus, ut nemini umquam concessurus sim, qui aut ardentius te diligat, aut maiore cultu atque honore tuas præclarissimas virtutes prosequatur. Quodsi locis disiuncti, congredi una et colloqui coram inter nos non possumus, literis tamen et crebris scriptionibus idem propemodum assequemur. Sed de rebus, quæ in tua epistola graves, et magnæ, et graviter scriptæ sunt, nunc tibi respondebo quum summum Pontificem fuero allocutus, atque ipse quoque factus ero firmior. Nunc quum nec mente adhuc nec corpore satis consistam, accipe, quæso, brevem hanc epistolam, testem animi et amoris erga te mei. Quum primum facultas dabitur, uberius ad te scribam: nec te patiar officium in eo meum desiderare. Tu ut valetudini operam des, nosque diligere pergas, magnopere a te peto. Vale. Romæ, IV. Cal. Jan. MDXXXVII.

Ep. VII.

J. SADOLETUS ROMULO AMASEO S.

Venienti istuc Jacobo Bordingo, qui scholæ Carpentoractensi triennium præfuit, optimo viro, et Græcis Latinisque literis eruditissimo, non potui nihil ad te literarum dare: tum ut commendarem tibi hominem, quem medius fidius ego singulari benevolentia complector: tum etiam, tu ut agnosceres, memoriam me tui cum summa item benevolentia retinere. Is ea de causa Bononiam proficiscitur, ut, quoniam dedit aliquot annos medicinæ operam, id studii et laboris in ista urbe perficiat, doctorumque iudicio statuatur

dignus, qui ipse quoque possit eam civibus suis artem et scientiam profiteri, quod illum magna cum ingenii et doctrinæ laude adepturum esse confido. Nunc etsi non dubito, mi Romule, quin quem a me et diligi et probari intelligis, eum sis tuis studiis atque officiis omnibus persecuturus: tamen sic volo existimare, vix quicquam inveniri posse in quo mihi tua officia accidere possint gratiora, quam in Bordingo, cui omnibus de causis merito amicissimus sum: cupioque eum quam maxime et celebrari et ornari. Quod tu præter cæteros egregie mihi præstare potes, qui præes Bononiensi iuventuti, et elegantibus ingeniis dominaris, in ea urbe natis, e qua eruditio et optimarum artium disciplina in has transalpinas nationes dimanasse creditur. Porro autem hæc sunt quæ ego te posco: Primum, ut diligas hominem ipse, et carum habeas: deinde, ut eidem doctos istic viros concilies, reddasque eum et meo et tuo testimonio omnibus notum. Postremo, ut quum publice iudicium de dignitate Bordingi per doctorum collegium fiet, tu cum tuis omnibus vestro eum comitatu frequentiaque honestetis. Quamquam summa postulatorum meorum hæc est, te uti ita geras adversus Bordingum, amore, studio, diligentia, ut intelligat ipse, meam hanc sibi commendationem apud te plurimum profuisse: egoque in hoc homine experiar, id quod tamen iam pridem scio, me abs te non solum diligi, sed etiam vehementer amari. Vale mi Romule. Carpentoracti. IV. Calend. Octobris. MDXL.

Ep. VIII.

J. SADOLETUS ALEXANDRO FARNESIO S. R. E. CARDINALI S.

Gratæ mihi tuæ literæ. Tantumne? imo vero et peroptatæ et dulces, quæ aliquam mei memoriam residere apud te mihi indicarunt. Quod ego quanti faciam, non nunc scribo, aliud erit tempus ista commemorandi. Hoc dico,

in tuis iucundissimis literis illud tamen offensionis fuisse, quod hæ tardissime ad me perlatæ sunt. Scriptæ enim a te VII. Idus Septembris, tertio Idus Octobris mihi sunt redditæ, sexto et trigesimo die videlicet postquam tu eas dederas. Sed quod ad rem pertinet, utinam, Farnesi amplissime, vobis vocantibus, quemadmodum quidem cuperem, subito parere possem: neminem profecto promptiorem ad obtemperandum vobis inveniretis. Sed quæ me impediant causæ quo minus statim accedam, scribo ad Pontificem Max. scriboque non tam sapienter, quam ingenue et libere. Quod Pontifex ipse pro sua perpetua præstantique humanitate in bonam partem accipiet. Earum ego literarum exemplum ad te misissem, nisi illas communes tecum fore existimassem: quod certe ita futurum est. In iis ego peto atque oro ut tempus meæ absentiæ mihi prorogetur usque ad proximum mensem Aprilem: quo tempore in Italiam reverti mihi in animo est. Hac in re, Farnesi optime, te mihi advocatum esse cupio, ut facilius impetrem quod æquissime a me petitur. Neque tamen recuso, si vos omnino ita statueritis, quin primo quoque tempore istuc veniam. Sed quum neque magnum fructum ex me istic percipere possitis, quod in tot sapientissimorum patrum consiliis et prudentia parum eminere opera mea potest, et ego magni mea interesse sentiam, aliquamdiu hic manere: erit humanitatis et liberalitatis vestræ, faciles vos præbere in eo, quod vobis parum admodum, mihi autem plurimum profuturum sit. Sed de his reiicio me ad eas literas, quas Pontifici scribo, futuras, ut dixi, tibi etiam communes. Te quidem ipsum rogo, ut mei absentis famam atque fortunas in tua fide et patrocinio esse patiare: talemque te mihi præstes qualem ego animum erga te in omni tuo honore dignitateque tuenda, si res ita ferret, plenum amoris et diligentiæ afferrem. Vale. Idib. Oct. MDXXXIII. Carpentoracti.

Ep. IX.

J. SADOLETUS ISIDORO CLARIO, ABBATI, S.

Commodum emerseram ex tertiana febri, quum tuæ mihi allatæ sunt literæ, datæ XVI. Calend. Augusti Tridenti: aliquando etiam serius quam dierum et itinerum ratio postulabat, tabellariorum negligentia nobis redditæ. Quibus in literis facile et amorem tuum erga me, et memoriam veteris nostræ consuetudinis recognovi. Sed quo minus ad eas tum celeriter responderim, partim imbecillitas corporis, partim etiam publica hæc negotia, quæ nos hic anxios et solicitos admodum habent, aliquamdiu retardarunt. Video enim, Isidore, id quod tu quoque in literis tuis significas, rem communem nostram, hoc est, causam Christianæ religionis,—quid enim est quod magis nostrum esse possit?—eo deductam esse ut gravissimorum concursum periculorum metuere debeamus: spe præsertim concordiæ penitus sublata, qua antea sustentabamur. Nam qui antea, quum a nobis et ab Ecclesia catholica graviter dissentirent, omnia sua tamen Concilio se esse permissuros pollicebantur: nunc, posteaquam indictum convocatumque Concilium est, quum retractent promissionem suam, plurimaque dent indicia non solum non commutati pristini animi sui, verum etiam in pravis opinionibus vehementius pertinacis: qua spe possumus niti ut turbæ hæ, quæ omnia divina humanaque tollantur? Atque utinam, quod tu videris confidere, mea opera atque industria aliquid prodesse posset Christianæ reipublicæ: nos hoc damnum violatæ perturbatæque religionis, vel nostro ipsorum sanguine libenter redimeremus. Sed quum neque ingenio multum, et auctoritate nihil possim: quod tantum mihi tu tribuis, id ego amori tuo erga me, non illi quo cæteris in rebus plurimum vales iudicio, esse assignandum puto. Verum quoquo se modo habeant Christianæ res, illa est spes nobis in Deum coniicienda firmior, quod is pro sua summa perpetuaque benignitate et clementia populos suos servabit ab interitu: neque gentem delec-

tam ab sese, nonnullorum scelere atque perfidia dari in exitium volet. Quam ego unam consolationem, nec aliam præterea ullam, his tot malis reperio. Sed de his satis. Quod scribis, iucunda isthic multorum consuetudine, in primisque eorum qui legationis munere apud vos funguntur, amplissimorum sapientissimorumque hominum, comitate erga te summaque liberalitate levari molestias tuas: facile adducor in eam sententiam ut tibi ista peregrinatio non defugienda fuisse videatur. Nihil enim potest esse dulcius quam cum doctis, cum probis, cum tui amantibus versari. Quibus quidem legatis, quos ego omnes summo cum honore colo observoque, plurimam ut salutem verbis meis nunties, non rogo te solum, verum etiam flagito. Lucianum, sodalem et contubernalem tuum, vidi Ferrariæ sumque cum eo bis collocutus: et quantum illo brevi tempore iudicare potui, eius excellens ingenium singularemque doctrinam summopere probavi. Eum tu, et item contubernalem tuum Chrysostomum, quem testimonio tuo et amare cœpi, et virum egregium esse arbitror, meis verbis salvere iubeas velim. Fac valeas, nosque mutuo diligas. Romæ. Cal. Sept. MDXLV.

Ep. X.

J. SADOLETUS JOAN. MATTHÆO GIBERTO EPISCOPO VERONÆ S.

Reginaldus Polus, ea virtute, nobilitate, et doctrina vir, qua tu optime nosti, quum reverteretur in Italiam, pristinas, ut ego sentio, consuetudines doctorum hominum, et tuum in primis conspectum appetens, ad me divertit, ostenditque mihi eas literas, quas tu ad illum sane quam amice eleganterque scripseras. In quibus erat quoque mentio mei et honorifica, et multa, quæ quum iudicium tuum de me, tum multo magis studium benevolentiamque declararet. Ego vero, etsi subito pæne adventu illius ac festinatione discedendi occupatus, nec temporis satis ad scribendum nec ani-

mi habere poteram: tamen putavi esse nefas, illum ad te sine meis literis accedere. Itaque has continuo exaravi: non tam ut gratias tibi agerem quod me assidue in memoria haberes, etsi illæ quoque iure optimo tibi a me debentur, quam ut indicarem tibi, summam me ex illis ipsis literis tuis cepisse voluptatem, quod me abs te intelligam amari. Quamquam hoc quidem minime novum mihi accedit, sed eius tum semper iucunda est commemoratio. In quo te arbitror existimare, me non posteriores in te amando ferre partes. Verum harum rerum affirmatio iam toties iterata, inter nos minus fortasse in hoc tempore necessaria est. Illud quod te magis avere scire puto, quibus ego nunc in studiis verser videlicet, quid mihi habeam propositum, ipse Reginaldus tibi exponere poterit, qui exiguum hoc tempus quo mecum fuit, totum posuit in inquirendo et percunctando quæ mea studendi aut scribendi ratio, qui animus, quod consilium esset: cui ego plane omnium mearum actionum cogitationumque rationem reddidi. Sed quod mihi in eo magnæ voluptati fuit, videor cognosse in illo quum summum ingenium, et excellentem in Græcis Latinisque scientiam, tum vero summam in moribus et congressu elegantiam atque humanitatem. Quem hoc etiam nomine pluris facio, quod intellexi te ab eo incredibiliter amari: usque eo ille de te et de tuis rebus omnibus et amanter et honorifice semper loquitur. Eum igitur habebis tu scilicet, nosque in desiderio manebimus et ipsius et tui, et aliorum multorum, quorum familiaritas et amicitia mihi et ornamento erat et solatio, Sed hoc feremus ut poterimus. Illud tibi de nobis persuasum esse volumus, vivere apud nos perpetuo et memoriam et benevolentiam tui, deque tua mutua erga nos voluntate nobis vicissim exploratum esse. Tu ut studia ea urgeas quæ præclara et eximia maximo animo es aggressus, valetudinique servias, valde te hortor et rogo. Nihil est quod maius aut accommodatius ad beatam vitam facere possis. Vale. III. Non. Septembr. MDXXXII.

Ep. X.

J. SADOLETUS PAULO JOVIO EPISCOPO NUCERIÆ S.

Etsi mihi dubium numquam fuit quin abs te summopere diligerer, tamen et literæ tuæ, plenissimæ amoris atque officii, et ea quæ tuis verbis Polus ad me detulit, quæque ipse præterea commemoravit de te, planius mihi ostenderunt, tibi esse cordi et quietem et dignitatem meam: atque ea quæ quotidianis ex lucubrationibus a me proficiscantur, pluris a te æstimari propter amorem, quam fortasse digna sint. Quam ego tuam erga me voluntatem, ne vivam mi Paule, nisi omnium rerum habeo carissimam. Nam quum tu singulari doctrina, virtute, eloquentia præditus, is vir sis, ut tuum de quoque iudicium maximi fieri debeat: tum vero incredibilis illa comitas, et quædam rara iucunditas, quæ tibi a natura data atque insita est, facit ut nihil te fieri possit amabilius. Ex quo facile potest existimari quantum ego mihi ornamentum in tua amicitia esse constituam: quum et propter ingenii et doctrinæ præstantiam, me ornare, et propter humanitatem suavitatemque naturæ delectare etiam possis: non nolis aut utrumque cuius quidem animi tui erga me plura habeo indicia ac testimonia. Sed accidit præteritis temporibus ut quum et tu meam consuetudinem appeteres, et ego tuæ essem sitientissimus, potentioribus tamen concedere fuerit necesse, qui et totum sibi arripuerunt: quum tamen inter nos salva semper manserit amicitiæ coniunctio. Non enim ego umquam permisi, neque permissurus sum, ut tu in amore me vincas. Multa me adducunt ut neminem te pluris faciam, paucos pari atque te benevolentia prosequar: sed eo nihil est ad meum vinciendum animum arctius, quod me a te amari intelligo. Eius rei duo signa habeo certissima: unum, quod locorum disiunctio non imminuit benevolentiam: alterum, quod me tuis quotidie scriptis condecoras. Quæ si hoc solum afferrent, ut testificarentur te de me sæpissime cogitare, ferreus nimirum essem nisi te amarem afflictim, ferremque assidue in oculis.

Quum vero scripta tua eiusmodi sint ut immortalitatem mihi polliceantur: quid aut tuo in me officio maius, aut mea in te benevolentia debet esse flagrantius? Quam ostendam equidem tibi aliqua in re, mihi crede: et, si defuerint cætera, eodem te genere remunerabor: eventu fortasse impari, pari certe studio ac voluntate. Itaque et alia tantisper studia intermittam, sicuti tu mihi suades, et ad philosophiam me referam, quemadmodum idem tu mihi es auctor omnibusque in rebus tuo iudicio atque consilio utar libentissime. Utinam liceret nobis esse una. Sed quando diversis non solum locis sed etiam opinionibus remoti absumus, quod ego in portu libenter maneo, tu illis adhuc undis et fluctibus delectaris: epistolis missitandis inter nos assequamur ut numquam non una esse videamur. Quod te oro mi Paule suavissime ut in eo me non deseras. Nihil mihi potest esse dulcius quam aut loqui tecum, quod iam ereptum est, aut tuas legere literas, in quo mihi morem gerere, tuæ est potestatis. Quapropter tu, qui omnes venustatis atque humanitatis articulos tenes, noli pati, obsecro, me hac tanta et tam exoptata voluptate tuarum literarum carere. Vale, et nos dilige, tibique persuade te a me mirabiliter amari. Carpentoracti.

Ep. XII.

J. SADOLETUS DIONYSIO CARDINALI SANCTI MARCELLI S.

Contigit mihi in te, quod haud scio an nemini, ut quum te luxissem mortuum, repente nec opinato nuntio tuæ salutis et incolumitatis, ex summo dolore ad summam lætitiam traducerer. Sic enim fuerat ad me scriptum, te contracto in Hetruria morbo, in oppido Luca, opinor, graviter ægrotum, delatum Florentiam, post aliquantum temporis diem extremum tuum obiisse. Quæ res animum meum valde perturbarat. Nam quum amicitiæ nostræ, tum tuis

virtutibus debita: tum vero etiam, quod brevi tempore post meum a vobis digressum, multis ex nostro ordine clarissimis viris, eisdemque mihi amicissimis, et me, et remp. fortuna spoliarat: mihi tua mors cumulum maximum attulisset doloris, nisi meliora Deus de utroque nostrum constituens, et tibi salutem, nobis quidem peroptatam, reddidisset, et mihi molestiam ac mærorem abstersisset. Cui quidem Deo omnipotenti et immortali maximas, uti debeo, et meritas gratias ago. Nunc, mi Dionysi, quoniam salvus et sospes nobis es restitutus, tuæ erit posthac virtutis et diligentiæ, dare operam, eniti, efficere denique ut valetudinem bonam tuearis et custodias: nosque, qui te diligimus, lætis de te nuntiis quotidie afficias; quod erit nobis abs te omnium rerum gratissimum. Illud quidem arbitror a me peti non oportere, ut conserves memoriam nostri. Non enim dubito quin par mihi in officio et in omni fide benevolentiæ esse velis. Tantum te rogo, tibi ut persuadeas, me et percupidum et peramantem esse tui. Vale.

Ep. XIII.

J. SADOLETUS HIERONYMO VIDÆ, ALBÆ EPISCOPO S.

Gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ: quæ et veteris nostræ amicitiæ memoriam mihi renovaverunt, et declararunt, in te non parum adhuc amoris erga me ipsum residere: quo mihi nihil optatius neque iucundius accidere potuit. Nam quum te semper ingenii et virtutis tuæ causa plurimum dilexi, tum vero optavi vicissim diligi a te: id recte existimans, coniunctionem tecum meam mihi magno honori semper fore, quod tuum de quoque homine iudicium in utramque partem magnam vim haberet: neque solum impræsentia honorificum exsisteret, sed illucesceret in omnem etiam posteritatem. Quamquam hæc quæ notissima sunt, nova commemoratione mea non indigent. Sed de his satis. Venio

nunc ad gratulationem tuam, quæ mihi magis propter animum tuum propensum et benevolum erga me, quam propter rem ipsam de qua gratularis iucunda exstitit. Gaudeo enim a te tali viro, honorem meum comprobari: ipso autem honore non tantopere delector: qui etsi magnus et expetendus omnibus videtur, mihi tamen boni multo plus abstulit quam dedit. Abstulit enim otium, quietem, libertatem: alia quædam reddidit quæ nequaquam cum illa felicitate prioris vitæ, meo quidem iudicio, erant comparanda. Sed quoniam oppressi subito optimi Pontif. beneficio spatii ad consulendum ac deliberandum nihil habuimus: paremus sane Deo, qui nos huic subiectos oneri esse voluit. Illud tamen curemus, in eoque elaboremus, ut quoad vires nostræ ferre poterunt, hæc nostræ dignitatis accessio Christianæ reip et huic sanctæ Apostolicæ sedi possit esse utilis. Quod conabimur quidem certe: quantum autem præstare efficereque possimus, id iam ad Deum ipsum referendum totum est: qui faciat nos idoneos ministros suæ voluntatis. Sed de his satis. Ego te, doctissime Vida, et amavi semper, ut paulo ante dictum est, et tuo præstantissimo ingenio eximiæque doctrinæ plurimum tribui. In qua etiam nunc et opinione eadem sum et voluntate. Tibique hoc de me esse persuasum volo, si quem mihi aliquando locum tibi gratificandi dederis, magno me abs te affectum beneficio esse arbitraturum. Tu ut valeas, et me ut diligas, magnopere a te peto. III. Februarii. Romæ.

Ep. XIV.

J. SADOLETUS GABRIELI PALEOTO BONONIENSI S.

Accepi literas tuas, testes quum eius ingenii quod ego in te summum esse audio: tum etiam officii atque amoris, quem erga optimum et clarissimum virum mortuum, quemque in me ipsum habere te ostendis. Quorum utrumque nequaquam mihi quidem præter opinionem accidit. Cognovi

enim semper vestram familiam quum ingenii et literarum laudibus, tum probitate et in amicos observantia, in ista civitate facile excellere. Quæ pæne propria et domestica ornamenta tui generis in te ipso non relatum solum sed etiam cumulatum iri confido atque opto. Quod autem scribis in literis tuis, te arbitrari, collegæ mei, vel fratris carissimi potius, Petri Bembi Cardinalis, importuna morte me graviter afflictum et prostratum iacere: non fallit in eo te opinio tua. Nihil enim mihi potuit evenire acerbius, quam divelli ab eo cuius ego amicitiam fraternamque coniunctionem quatuor et quinquaginta annos inviolatam tenueram: quem propter ipsius præstantissimas virtutes, summamque humanitatem, probitatem, suavitatem, singulari et pæne inaudito amore prosequebar: quocum eram omnibus et studiorum eorundem, et voluntatum, tam in familiaritate et consuetudine nostra, quam in ipsa repub. vinculis et necessitudinibus astrictus, ut eo mihi nunc erepto, solus plane et ab omnibus mihi desertus esse videar. Ex quo non possum non dolere casum meum. Nam illum quidem lugere non esset fas, Cave enim putes quemquam umquam ulla in gente, ullo tempore, vixisse tam beate, quam Petrus Bembus est mortuus: sive divinæ in eum benevolentiæ indicia spectentur, sive humanæ. Quæ magna quidem mihi est consolatio, sed nequaquam adhuc mærori meo par. Verum dabimus operam, quoad Deo adiutore poterimus, ut dolorem minuamus, qui est imbecillitatis: memoriam autem talis viri, id quod ad fidem amicitiæ et ad illius gratam virtutum commemorationem pertinet, assiduam retineamus. Tu mi Paleote perge ut cœpisti, atque ita te confirma, ut ei exspectationi quæ magna de te concitata est, speique tuorum cumulate satisfacias. Fratribus tuis humanissimis ac suavissimis, Galeatio, Camillo, et Astori, plurimam a me dic salutem. Vale. Romæ, Quinto Nonas Februarii MDXLVII.

Ep. XV.

J. SADOLETI AUGUSTINO BEATIANO S.

Elegans tuum carmen mira quadam suavitate me demulsit, vel propter lumina ingenii quæ in eo multa exstant, vel ob memoriam nostræ mutuæ benevolentiæ, dulcisissimæque consuetudinis: quæ numquam mihi quidem ex animo lapsa est, sed nunc grata recordatione repetitur. Quod gaudeas honore meo, non mihi novum est neque inopinatum; eodem enim tempore tuo ipsius honore lætaris. Quid enim est amicitia, nisi communio rerum et secundarum et adversarum? Utinam modo hæ secundæ sint, per quas avulsum me a rebus mihi iucundissimis video. Sed si quid hic boni erit, in eo inerit, si et reip. et amicis ego usui potero et ornamento esse. In quo dabo utique operam ut quæ didici in otio, in negotiis expromam. Potestas modo detur agendi aliquod quod sit viro dignum, meam constantiam studium non desiderabis. Ego tuæ gratulationi ago gratias: maximeque opto ut eadem qua fuisti erga me voluntate, semper sis: de meque ita constituas, neminem te habere in amore tui superiorem me, paucos pares. Vale. Romæ.

Ep. XVI.

J. SADOLETUS DES. ERASMO ROTERODAMO S.

Is qui tibi has literas reddidit, minus mihi sane cognitus est: neque ego hominis mores naturamque perspexi: sed quum adiisset ad me, diceretque se celebritate famæ, et amore quodam nominis tui commotum, velle ad te proficisci, ut sub te magistro lautioribus literis operam daret: non potui non probare hoc eius constitutum. Nam et rem pulcherrimam et doctorem præstantissimum appetere mihi visus est. Proinde petenti a me commendatitias literas, libenter conservavi consuetudinem meam, et in his, quæ ad humanitatem pertinent, facilem ei me præbui. Commendo tibi eum igitur: sed ita ut quum ipse de eo feceris iudicium,

dignumque statueris quem in amicitiam tuam recipias: tum eum sic adhibeas, et benignitate tua complectare, ut, quod sine ullo tuo incommodo fiat, aliquem ipse fructum sui huius rectissimi studii consequatur. Ego posteaquam ad te proxime rescripseram, biduo illo aut triduo accepi libellos tuos: quorum iam bonam perlegi partem, imprimisque sum tuis defensionibus adversus illos obtrectatores tuos mirabiliter delectatus. Summam enim illæ doctrinam, et illam, quam ego maxime probo, egregie redolent animi moderationem. De Basilio iterum ago tibi etiam atque etiam gratias: quod me ad eorum numerum quos tui ingenii monumentis illustrare voluisti, aggregare dignatus es. In quo si tibi non par opera rependetur a me, at mea æqua certe tuæ isti præstanti erga me voluntati reddetur voluntas. Vale mi Erasme, et Amerbachium nostrum meis verbis saluta. Iterum vale. Carpentoracti. VII. Idus Jun. MDXXXII.

Ep. XVII.

EIDEM.

Diu est quum ego nihil de te, ne rumoris quidem, accepi. Quodsi tu ades in eisdem locis in quibus solitus es, tibique commoda valetudo est, sicuti cupio equidem, et spero, nonnulla de eo me tenet admiratio. Hominis enim *πολυθρυλλήτου καὶ πολυγραφωτάτου* non est usitatum hoc silentium. Sane nos post librum illum tuum de concordia ecclesiæ nihil aliud accepimus quod ab Erasmo scriptum esset. Itaque non sine aliqua sumus suspicione, ne aut minus fortasse valeas, aut in Belgas tuos profectus sis. Videbare enim in literis tuis postremo ad me scriptis significare, te id cogitasse facere. Quod si ita est, mi Erasme, quæso ut certiorem me de tuo omni statu facias: qui pendeo animi donec exploratum aliquid de te habuero: nam mihi tua salus et tranquillitas mirabiliter cordi est. Non dedit nobis fortuna ut in eisdem locis viveremus quod utrique nostrum,

arbitror, mihi quidem certe fuit optatissimum. Potuissem enim apertius tibi atque illustrius omnem meum sensum et animum declarare. Sed quoniam id præteriit, actum ne agamus, ut dicitur, animos certe virtus dedit in amore consentientes: in qua tu multo præstantior, maiores autem meæ partes sunt te summum virum colendi et diligendi. Tamquam igitur ad hominem omnium tibi amicissimum, ut de tuis rebus omnibus interdum scribas, vehementer te rogo. Mei in Paulum perfecti commentarii sunt: itaque eos propediem cogito edere. In iis plurimum mihi opitulatæ sunt correctiones illæ tuæ, quas in primum librum adhibuisti. Vellem idem in reliquos fecisses: maximo mihi emolumento ea res fuisset. Sed fortuna, nobis disiungendis, multis meis et magnis invidit iucunditatibus: cui quidem a nobis non potest obsisti; ea enim summas frangit infirmatque opes, nedum meas. Sed, quod ad rem pertinet, potes perspicere, mi Erasme, ingenii tarditatem, et imbecillitatem mei: qui tamquam *Καλλιππίδης* diutino cursu cubitum vix processi: ut ex hoc quoque maior tibi a tua incredibili navitate et industria voluptas pariatur. Verum hæc hactenus. Te, mi carissime atque optime Erasme oramus, ut semel amorem erga nos abs te susceptum, constanter et perpetuo tueare. Carpentoracti. Cal. Nov. MDXIV.

Ep. XVIII.

J. SADOLETUS GULIELMO BELLAIO LANGÆO S.

Quum hosce plures iam menses vehementer de te et de tua salute solicitus fuissem, quod ignorans ubinam esses, te in illis Italiæ fluctibus etiam nunc versari arbitrabar: summam repente accepi lætitiam ex optato nuntii adventu, qui ex aula Regis nuper huc profectus, salvum ac valentem te sibi visum esse confirmavit. Quod si ita est, ut ego spero et opto, quum mihi ipsi gratulor, tum ago Deo immortali gratias. Facit enim incredibilis ille amor, quo te

iampridem sum complexus, ut nihil mihi abs te neque secundarum neque adversarum rerum esse seiunctum possit. Quamquam quas tu secundas tibi esse res putes nescio, præter Regis tui gloriam atque amplitudinem. Vidi enim te, in maximis illis miseræ Italiæ turbinibus ac procellis, non ferentem modo omnes labores et omnia pericula constanter ac fortiter: sed adeuntem etiam ultro, et plane exposcentem pro tui Regis dignitate atque gloria: usque eo quidem, ut nemo secundis suis rebus tam iucunde ad commodum et utilitatem suam perfruatur, quam tu in turbulentis et asperis alacri animo versabare, quo fidei tuæ officioque satisfaceres. Quod etsi iure ac merito pro tanti honore Regis faciebas, tamen rarum nos in te propeque inauditum fidei ac virtutis exemplum conspicientes mirabamur. Nunc autem, si in portum pervectus es, instituistique commorari inter tuos, et ea artium optimarum studia quibus a pueritia mirifice fuisti deditus, in aliquo otio recolere, nuncio tibi me futurum socium eiusdem et voluntatis et iudicii. Dedi enim me penitus et dicavi literis: neque aliud quidpiam iam cogito dies noctesque quam quemadmodum possim veram et dignam Christiano homine immortalitatem inde consequi. Cuius rei indicium et fructum etiam aliquem, velut otii mei primitias, celeriter, ut spero, in manibus es habiturus. Sed non audeo scribere de his nunc pluribus, donec sciero ubi tu sis, quid agas, et quam mei absentis memoriam benevolentiamque conserves. Quod ut facias, mihique aliquando aliquid de tuis rebus scribas, te vehementer etiam atque etiam rogo: imprimisque tibi ut persuadeas, nullum umquam tempus fore quo tuorum meritorum erga me et nostræ mutuæ, insignisque benevolentiæ, memoria moriatur. Vale. Carpent. XV. Cal. Martii. MDXXXVII.

Ep. XIX.

J. SADOLETUS GULIELMO BELLAIO LANGÆO S.

Non puto te mei oblitum esse, id enim humanitas tua mihi perspecta et cognita, et mea constans erga te voluntas suspicari vetat. Quum enim ego tantum te diligam quantum literis exprimere non possum, quod meus in te amor omnem verborum vim et orationis copiam longe vincit: non duco posse hoc accidere in natura ingenua et liberali, cuiusmodi tua est, ut posteriores in amando ferre partes velis. Quamobrem certus sum me tibi esse cordi, quemadmodum quidem antea semper fui. Quod autem lacessitus a me toties per literas, nullas mihi adhuc rescripseris, id occupationibus tuis totum attribuo: etsi vel versiculis abs te duobus, ut alias tibi scripsi, poteram esse contentus: qui mihi amanti, cupienti, de te multum cogitanti, maximi muneris loco accidissent. Siquidem in illis imaginem et animi et amoris erga me tui complecti et osculari mihi licuisset. Sed quando id præteriit, adest nova occasio, qua navare mihi benevolentiam tuam possis. Paulus Sadoletus fratris mei filius, is qui tibi has literas reddidit, adolescens est apprime institutus artibus honestissimis, a meque in filii loco diligitur. Is iampridem flagrans cupiditate visendæ aulæ Regiæ, et ipsius Regis salutandi venerandique tam suo quam meo nomine, hoc tempore a me potissimum dimissus est, quo mea quoque intererat, aliqua perferri ad Regem meis verbis: ex quibus ille pluribus suis beneficiis in me iam collatis, animum meum erga se et memorem et gratum cognoscere posset. Etenim iamdudum vereor, mi Langæe, ne me rusticum hominem iam quendam, et parum urbanum esse existimetis, qui officium iustum mehercule et debitum, ad vos isthuc veniendi, et coram memet Regi offerendi, tam diu distulerim. Sed eius me mei facti oppido quam puderet, si aliqua in me resideret culpa, ac non totum hoc crimen fortuna sustineret! Quibus autem de causis usque adhuc retardatus sim, et quid potissimum velim in hoc tempore,

cuncta ex ipso Paulo cognosces. Quem peto a te, Langæe mi suavissime, teque magnopere rogo, ut omni tua humanitate, tua inquam illa præstante atque egregia complectare. Nihil mihi omnino facere gratius potes, quam si in hoc adolescente quanti tu me facias, et quid mea causa cupias, ostenderis. Is a me habuit in mandatis, ut nihil omnino ageret nisi de consilio tuo. Quamobrem eum totum suscipias oportet: et non solum illi introductor, sed monstrator etiam sis et monitor, quomodo et quando aut ad Regem adire, aut reliquas eum res agere et tractare conveniat. Hoc quum midi feceris, ut dixi, gratissimum: tum tu virtuti et humanitati tuæ servieris, quemadmodum quidem solitus es: ipsumque adolescentem dignum et fide et benevolentia tua etiam experiere. Nos hic de nuptiis tuis nescio quid audivimus, easque plenissimas dignitatis esse intelleximus. Id si ita est, quod quidem cupio esse, tibi eam rem feliciter et prospere evenire opto: ac Deum quæso ut eos ex te gignas liberos, qui tibi et voluptati, et generi tuo sempiternæ laudi esse possint. Vale mi Langæe, et me ut soles dilige. Carpentor.

Ep. XX.

J. SADOLETUS JOANNI SALVIATO, CARDINALI S.

Quum in omnibus dictis factisque, quæ tu pro me umquam aut mecum egisti: tum vero in his præcipue literis quas proxime accepi a te, omnis tua humanitas patefacta mihi est, plena amicissimæ erga me voluntatis. Nam et comprobatio tua mei de Paulo iudicii, vehementer grata mihi exstitit: et quod tu eum in amorem tuum et in familiaritatem tam libenter receperis, id quoque intelligo meo amori a te fuisse datum, Quamquam meum quidem de eo testimonium illius actionihus, ingenio, modestia, apud te confirmatum esse, summe gaudeo. Certe enim aut nemo est, aut omnino perpauci, quibus meas actiones atque consilia, æque

ac tibi probata esse cupiam: quem ego et propter insignem prudentiam ac integritatem, omni honore cultuque et propter animum eximium erga me, incredibili quadam benevolentia prosequor atque complector. Quod autem scribis gratum tibi a me fieri, quod nomen tuum meis scriptis concelebrare sim aggressus: non est de eo cur mihi gratiam debeas. Ego enim id reputans quod verum est, ex tua nomine et commemoratione, clarissimi atque ornatissimi viri, omnique virtute præstantissimi, non parum luminis in mea scripta derivatum: suscepi negotium non tam tui — non enim virtus tua eget testibus — quam mei honoris causa: atque ut literæ meæ, quæ sua sponte obsoletiores sunt, tuæ et auctoritatis et laudis gloria illustrarentur, Nec me tamen oblitum existimes velim eius orationis quam habui tecum, quum tu apud nos Carpentoracti esses. Non enim si in alio argumento nunc versor, illud propterea abieci quod tibi ostenderam me suscepturum esse. Sed quum et difficilius illud opus et longioris multo temporis exsisteret, nostra autem festinatio amoris mei erga te aliquo indicio tibi declarandi, moram tantam non ferret: ad id elucubrandum me converti quod videbatur mature confici posse. A quo tamen ipso et hiemis asperitate, et tenuitate meæ valetudinis aliquamdiu sum retardatus. Sed repetam cursum, ut opinor: hocque acrius instabo et connitar, quo maior mea cupiditas perficiendi facta est. Tua in meæ sororis filium propensa beneficaque voluntas, gratissima mihi est: eaque cumulum affert tuis erga me meritis, quibus iam plurimis tibi sum obstrictus. Ego tuis literis serius respondi, quum te Neapolim profectum esse constaret, de reditu tuo ad urbem nihil ante hoc tempus audieramus. Vale. IV. Calendas Aprilis, MDXXXVI.

Ep. XXI.

J. SADOLETUS FRANCISCO GUICCIARDINO S.

Et si ego te semper antea amavi, tuamque industriam, consilium, animi virtutem plurimi feci: tamen quum modo venisset ad me Alfonsus Sadoletus frater, multaque mihi de te narravisset, quæ insignem tuam quandam erga præsentem eum, meque absentem, benevolentiam, tum autem optimum in nostram omnem familiam animum declarabant: crede mihi, amore eo quo te pridem diligebam, vehementius etiam sum inflammatus, magnaque meæ opinioni accessio de te facta est: quod perspexi fidem amicitiæ, quæ inter præsentes quoque raro admodum colitur, eam a te erga absentes sanctissime conservari. Quo genere laudis vix ullum meo iudicio reperiri maius potest. Atque ego, qui quum aderam istic, vivebamque vobiscum, tuoque interdum aspectu et sermonibus perfruebar, favebam tibi maiorem in modum, magnisque gerendis rebus hominem te in primis idoneum esse arbitrabar: nunc altero hoc tuæ virtutis et humanitatis præclaro testimonio confirmatus, habeo iam non quæ laudem in te solum ac diligam, verum etiam magis quæ admirer: quanto scilicet maiore admiratione digna virtus ea est quæ prudentium bonorumque iudicio, quam quæ popularibus laudibus expenditur. Quodsi in eisdem locis, eisdemque in negotiis, quod fere antea faciebamus, versari utrumque nostrum contingeret: declararem tibi profecto benevolentiam meam, omnibusque meis dictis factisque ostenderem quam mihi cara esset et necessitudo nostra, et dignitas atque amplitudo tua: nullumque a me officium nec fidelissimi amici nec coniunctissimi hominis desiderares. Sed quoniam longe absum, magnisque locorum intervallis distracti inter nos sumus: cætera quidem amicitiæ officia tibi ex me prompta esse non possunt, quæ coram præstari solita sunt, et exspectari. Illud unum vero quod vel præcipuum est, et reliquorum omnium longe primum, a me certe non deerit: quo tuum semper nomen in intimis sensibus geram,

conservemque memoriam tui, et te colam benevolentia sempiterna. Etenim cætera, amoris signa et indicia quædam sunt: hic est ipse proprie amor, qui ea fide et veritate tibi a me præstabitur, ut numquam tu quæ in me atque meos studia contulisti, ea tamquam in indignos collata, sis reprehensurus. Ego quamquam procul absum a vestris gravioribus istis actionibus atque curis, quæ sonitum atque turbam et pompam quandam præ se ferunt: habeo tamen et ipse hic quoque delectationes meas, quibus tranquillo animo mirifice fruor: quod assiduus sum in studiis artium optimarum et præclarissimarum: quæ me tanta iucunditate afficiunt, ut nihil omnino solicitudinis neque molestiarum ad animum meum sinant introire. Quam ego vitam etiamsi minus illustrem, aliquanto tamen beatiorem esse iudico. Sed de his alias. Reliquum est uti te rogem, ut quam iampridem erga me suscepisti, in eadem perpetuo maneas voluntate: meosque tueri tua benevolentia non desinas. Vale. Carpent. XIII. Cal. April. MDXXXIII.

Ep. XXII.

J. SADOLETUS FRANCISCO TURNONIO, CARDINALI, S.

Suavissimas tuas accepi literas, quas Lugduno in Italiam proficiscens ad me dedisti: librumque Budæi nostri cum his una, quum ipsum mihi per se gratum, tum etiam gratiorem quod veniebat a te. Quamquam ne id ipsum quidem tanti, quam quod illo modo et cum illa diligentia veniebat Dedisti enim mihi amoris in me tui insigne testimonium, quum tantam curam suscepisti, ut optatum illud donum ad me perferretur. De quo tibi hoc confirmo, duplicem me cepisse voluptatem, et quod materia digna est eruditis auribus, et quod Regis nostri nomen talibus iam scriptis celebrari gaudeo. Budæus vellem genere ipso orationis aliquanto esset lenior. Summum quidem illius ingenium, et incredibi-

lem doctrinam, tum autem coniunctam his tot ornamentis innocentiam vitæ, et probitatem, et dilexi semper et admiratus sum. Sed mi humanissime Turnoni, qui tam repente nobis te eripuisti, quæso ad quod tempus te exspectaturi sumus? omnino puto magnis te de rebus eo fuisse missum: tametsi rumoribus multa circumferuntur, quibus ego neque omnino fidem habeo, neque prorsus derogo. Verum alia sunt quæ magis puto ad me pertinere. Urgeo enim dies et noctes opus illud, cuius tu partem in manibus habes: a qua te lectione abduci laboribus itinerum ac legationis, et plane suspicor, et parum tamen te iacturæ in eo facere duco. Tuus mihi honos et tua dignitas cordi est: atque ut legatione prospere feliciterque perfuncta, quod tamen ipsum cum Christianæ fidei et Reip. commodo coniunctum sit, cum omnium laude et gratia ad tuos te, et ad nos, qui maxime sumus tui, primo quoque tempore recipias. Vale, et nos quod facis, ama. Carpentoracti. XII. Calend. Febr. MDXXXIII.

Ep. XXIII.

J. SADOLETUS JOANNI LOTHARINGIO CARDINALI S.

Ex quo tempore primum Romæ te cognovi, tecumque aliquoties locutus, perspexi plane et virtutem tuam et humanitatem non inferiorem esse neque nobilitate generis, neque fortuna. Amavi semper te plurimum, amplitudinemque tuam singulari observantia sum prosecutus. Sed non contigit mihi ante hoc tempus ut redigerem tibi in memoriam illa initia nostræ familiaritatis: quod utrique nostrum et locorum disiunctio, et occupationum ac negotiorum dissimilitudo, alias curas attulit. Et tamen non dubito quin, sicut mihi hæsit in animo perpetua recordatio tui, cum insigni benevolentia coniuncta: ita et tu aliquod vestigium etiam nunc tuæ erga me pristinæ voluntatis retineas. Hoc si ita est, quod confido esse, tua animi nobilitate et ingenuitate fretus, peto a te ut has literas eo animo legas, quo legendæ sunt ab ho-

mine amplissimo atque humanissimo, hominis amantissimi ac deditissimi literæ. Paulus Sadoletus, adolescens eruditus sane quam liberaliter, mei qui fratris filius a me in filii loco diligitur, isthuc profectus est et visendæ aulæ Regiæ, et Regis ipsius meis quoque verbis conveniendi ac venerandi causa. Et ego dedi in mandatis ut ad te adiret potissimum, tuaque imprimis gratia atque auctoritate uteretur. Eum igitur tuæ fidei humanitatique commendo: primum, ut eum ipse comiter excipias: deinde, si ita opus esse cognoveris, ut præbeas illi faciles ad summum Regem aditus. Quamquam hoc fortassis per alios poterit consequi: verumtamen omnis tua amoris erga me significatio magno mihi honori poterit esse: qua ego abs te vehementer mediusfidius expeto: nec tam ut apud cæteros honestus, quam ut tibi ipsi carus esse intelligar. Summæ enim mihi futurum est voluptati, si intellexero, a tali viro, tantis ornato et ingenii fortunæ bonis, eodemque in omni dignitate principe studium atque observantiam meam erga se parvi non æstimari. Quæ etsi per se non valde expetenda sit, propter tenuitatem videlicet fortunæ nostræ, tamen quoniam nos ex eo genere hominum sumus qui numquam amicis solent esse dedecori, susceptamque semel amicitiæ et necessitudinis fidem summa cum religione retinemus: poterit tua quandoque amplitudo aliquantum etiam de me sibi polliceri, qui eo animo sum ut et nobilitati tuæ honorem et virtutibus laudem, et dignitati cultum, et humanitati ac benevolentiæ erga me gratiam semper sim habiturus. Tu, si hanc meam voluntatem gratam tibi esse acceptamque ostenderis, libenterque mihi aliquod tui amoris impartiveris testimonium: et studium meum augebis colendi perpetuo atque observandi tui, et hoc dignum ipso tuo genere, et maiorum tuorum ac tua virtute efficies. Vale. Carpent.

Ep. XXIV.

J. SADOLETUS JOANNI LOTHARINGIO, CARDINALI S.

Non me fefellit, non minus esse in te humanitatis quam nobilitatis. Præclara omnino ingenia, quæ hanc laudem consectantur, ut non plus patiantur in se ornamentorum et dignitatis a fortuna esse, quam a virtute. Idque ego in te satis antea noveram: sed tamen Paulus ad nos reversus, ea mihi de te narravit, hisque verbis animi tui egregias virtutes atque laudes est persecutus, ut ad summam meam tuæ liberalitatis et humanitatis opinionem addi iam nihil posse videatur. Equidem, quod me habiturus esses in memoria, quod Paulo ipsi nullo loco defuturus, et speravi antea, et nunc re expertus sum. Sed quod tam studiose tamque amanter id esses facturus, vicit in hoc, ut verum fatear, tua excellens bonitas exspectationem meam. Itaque quomodo tibi agam gratias nescio: cuperem equidem referre et dignas et debitas. Sed hoc etiam fuerit præstantis animi tui, scire promereri de altero quantum tibi reddi non possit. Ego vero non tam fortunæ, neque opum præmiis et honoribus, quam ista comitate naturæ, et significatione amoris, sic obligor, ut nullum sit vinculum ad me devinciendum potentius. Quo quando iam tibi ita obstrictus sum, ut solvi eo amplius nec possim, nec velim: sic debes de me existimare, nullius tibi animum, nullius studium, nullius observantiam æque esse paratam ut meam. Et quoniam in gratia referenda nihil tibi possum de me polliceri, quod copiarum et opum sit, quibus tu pro tua et maiorum tuorum amplitudine ac dignitate honestissime abundas, ego minus etiam quam mediocribus contentus vivo: id quod in me est, quoque solent viri magni, et præcellentes ab amicis tenuioribus contenti esse, polliceor tibi et recipio, si ea digna fuerint studia quorum testimonio virtuti honos habeatur, gratiam me tibi aliquam in illis, et veri amici fidem operamque navaturum. Parum hoc quidem, et cuius pæne me pudeat. Sed tu qua magnitudine animi nostram spem de tuis officiis superasti, eadem sum-

summam in nobis voluntatem referendæ gratiæ pro relata gratia accipies. Vale patrone noster, et nos tui studiosissimos tuo patrocinio semper tueare. Carpent. XVII. Calend. Septemb. MDXXXII.

Ep. XXV.

EIDEM.

In meo a vobis digressu nescio quo pacto imago omnium vestrum summique imprimis Regis, atque tua non solum me discedentem prosecuta est, sed usqe adhuc in animo meo permansit: ac, ut se habet res, etiam permansura videtur. Habet enim illa in me familiare sibi iam domicilium. Quod profecto evenit magnitudine quadam amoris, quo erga vos incensus sum. Jamdudum hoc quidem: etenim sat diu est quod mea et studia, et officia ad utrumque vestrum colendum contuli. Sed mea hæc voluntas etiam confirmatior facta est, posteaquam ego sum cum ambobus vobis collocutus. Quo in congressu non tam potestas et amplitudo vestra — quæ quamquam permagna est, alios tamen et habuit pares aliquando, et habitura est —, quam humanitas quæ illi amplitudini maximo est ornamento, et in qua vos singulares esse contenditis, fecit ut vos ego præcipue et colam et admirer. Itaque nil mirum si vobis et amore et observantia sum addictus, quorum alterum virtuti vestræ iure ac merito potestati. Sed ego hæc cogitans, quum animi mei studium et benevolentiam vobis declarare cuperem, vel potius ab amore ipso cogerer: ad Regem quidem non sum ausus, neque sane conveniebat: ad te vero, cuius mihi comitas magis est in promptu, has dedi literas: nihil aliud postulans, nisi te, illis interpretibus, quando coram non licet, et salutare, et venerari, et tibi memet ipsum in memoriam redigere: petereque a te ut me in numero tuorum habere pergas. Hoc quum mihi optatissimum est, tum virtutis proprium, et hu-

manitatis et nobilitatis imprimis tuæ. Vale. Carpentoracti, V. Idus Julii, MDXXXIII.

Ep. XXVI.

J. SADOLETUS JO. MATTHÆO GIBERTO, EPISCOPO VERONÆ, S.

Iam diu est quum ego ad te nihil literarum dedi. Quod accidit, non oblivione tui mea neque pigritia aut negligentia nostra: sed quod ipse meis occupationibus impeditus, dubitans de tuis, veritus sum ne mea sedulitas forsitan tibi molesta esset, si te a gravioribus et sanctioribus curis inanium lectione literarum avocasset. Etsi inanes numquam epistolæ esse solent, quæ, ut aliud nihil afferant, testes tamen sunt amoris et conservatæ optimæ voluntatis. Verum hoc testimonium neque, ut ego arbitror, tu a me desideras, neque ego abs te requiro. Satis enim nostra vetus constansque amicitia testimonii utrique nostrum præbet, esse nos inter nos quales esse debemus: amicissimo animo videlicet et constantissima voluntate coniunctos. Ego iis proximis mensibus audivi impressos esse tua impensa et opera optimos auctores Græcos, quorum in sacris literis interpretandis egregia doctrina est et auctoritas. Quo nuncio valde sane lætatus sum, animumque tuum pristinum recognovi propensum ad bene merendum de artibus optimis. Quarum tamen princeps ista est quæ ad Deum et ad veram felicitatem est directa. Hoc si ita sit — quod ego confido esse, fretus tua animi præstantia et liberalitate — peto a te, ut me certiorem facias: ut, sive sit perfectum negotium, ipsis voluminibus et libris: sive in eo ut perficiatur, spe propinqui commodi oblectare me possim. Nos hic commentarios in epistolam ad Romanos scribimus, opusque difficile et arduum ita tractamus, ut in eo præcipue laboremus, quo exstare possit tibi quod iampridem sumus polliciti. Obscuras ancipitesque sententias in ea epistola permultas nostra cura et diligentia dilucidiores fore.

Magno in eam rem animo incumbimus, maiore etiam labore. Sed neque animus noster neque labor sine Dei ope quicquam potest. Ad eum igitur confugiendum est, omnisque verioris scientiæ illuminatio ab eo uno poscenda ac flagitanda. De cætero, sat recte nos volemus: tametsi ingravescente iam ætate appropinquantis senectutis incommoda incipimus præsentiscere. Sed illa feremus forti animo. Tua mihi curæ est valetudo: quam cupio prosperam atque bonam tibi perpetuo esse. Et quamquam dixi paulo ante, a neutro nostrum debere desiderari mutuum amoris et benevolentiæ testimonium, quod illud utrique nostrum exploratum est: tamen, si quandoque ad me scripseris, deque tua erga me voluntate certiorem me feceris, numquam non maximam capiam ex tuis literis voluptatem. Hoc si erit difficile ipsi, poteris idem per tuos. Omnis enim de te significatio et de statu tuo atque incolumitate, deque recordatione nostræ necessitudinis, semper mihi gratissima atque optatissima futura est. Vale, et nos dilige. Carpentoracti. VI. Cal. Novembris. MDXXXI.

Ep. XXVII.

EIDEM.

Libros tuos accepi una cum literis: quorum utrum fuerit mihi gratius, constituere satis non possum. Nam et literæ tuæ benevolentiam, qua me complecteris, mihi declararunt: et libri virtutem animi tui, illam ipsam pristinam, quam ego antea in te cognovi: per quam tu ad illustrandas et in honorem provehendas optimas artes semper fuisti propensus. Ac reliqua quidem duo volumina Damasceni et Euthymii mihi grata: illud vero in Pauli epistolas Chrysostomi, peroptatum etiam fuit. Quid enim mihi accidere potuit optatius, et rationibus meis magis accommodatum, quam quum in eadem me exerceam palæstra in qua tantus vir tantopere insudavit, habere me eum et monitorem et magistrum, cuius

doctrinæ et auctoritatis neminem possit pœnitere? Qui quum in omnibus operibus suis, quæ multa sunt, vel pæne dicam nnumerabilia, et fluens semper sit et dulcis, et sine labore cultus, sine deliciarum suspicione nitidus: tum vero in hoc opere ad ea ornamenta orationis quæ dixi, nescio quid plus gravitatis addidisse mihi visus est. Cui ego palmam in intelligendis ac enucleandis scripturis sanctis sine ulla dubitatione tribuo. Proximus huic mea sententia Augustinus: non ille quidem ingenio minor, nec ad scrutandum atque exponendum minus diligens: sed Græcæ linguæ ignoratio, qua imperfecta Augustinus utebatur, vim in eo maximi ingenii, tamquam virgultis et vepribus impeditam, aliquoties detinuit. Habeo igitur tibi, atque ago, pro isto tuo munere, et animo erga me, maximas gratias. In quo enim me hortaris ut in hæc præclara studia incumbam, benevolentiam tuam mihi ostendis: in quo vero opitulare, etiam liberalitatem. Ego vero magno animo operam do ut quod opus inchoaveram, id ad exitum perducatur. Sed totis his quatuor mensibus valetudine adversa a scribendo fui retardatus: nunc valetudine recuperata, non committam ut ullum mihi tempus vacuum a literis prætereat. Quod te multa deterreant quo minus susceptam istam provinciam optimorum auctorum in lucem edendorum sustinere posse confidas: ego rem totam tuo iudicio examinandam relinquo: illud tamen confirmo, nihil fieri posse præclarius, neque tuo nomini honorificentius. Meas epistolas tibi semper gratas accidere lætor daboque operam posthac ut et ad te sæpius et liberiore animo scribam. Vale, et nos dilige. Carpent. III. Maii. MDXXXII.

Ep. XXVIII.

J. SADOLETUS BONIFACIO AMERBACHIO, BASILIENSI S.

Legi tuas literas, plenas benevolentiæ et officii: in quibus quod merita mea erga te tantopere commemoras, facis

tu quidem abundantia amoris. Nam ego eiusmodi officia, quæ similibus tui viris probis doctisque tribuuntur, magis honestare eos qui tribuunt, quam eos quibus deferuntur, semper arbitratus sum. Quamobrem, si quid egi tua causa, non tam mihi te gratias, quam me occasioni agere oportet. Atque utinam, qua in te voluntate sum, tantum mihi dedisset fortuna facultatis, ut magna aliqua in re meum animum melius perspicere potuisses. Non te fefellisset opinio tua si quam de natura et moribus meis susceptam habes. Etenim quum sim virtutis atque doctrinæ plane studiosissimus, teque utraque earum plurimum valere perspexissem: iam ex eo tempore quo te primum Avenione cognovi, amavi te perpetuo postea, nihilque non tua causa mihi faciendum esse duxi: neque me meæ semel susceptæ in te benevolentiæ umquam pœnituit. Nunc vero, quum te ostendas tam memorem, tamque gratum, humanissimisque verbis omne tuum studium mihi deferas, etiam amantius absentem studiosiusque complector. Quid enim faceres, si aliquo magno beneficio a me esses ornatus, quum pro tam parva re, tam magnam mihi debere gratiam præ te feras? omnino omnes habeo causas diligendi tui. Quapropter velim hoc tibi persuadeas, paucos te habere, de quibus tibi æque ac de me polliceri possis. Sed hæc factis libentius præstabo quam verbis. Irenæi librum accepi, quod sane mihi iucundum munus fuit: gaudeoque, ea quæ diu abscondita fuerunt, nostra ætate potissimum luci esse reddita. Ego assiduus in literis sum: cudo etiam nescio quid, quod si confecero ex sententia, erit aliquid, credo, ad veræ pietatis studia profectum. Sed incredibilis in me est tarditas: in quo ego soleo Erasmum nostrum maxime admirari, eiusque ingenii vim, et orationis suspicere copiam. Cui tu plurimam salutem dic, tametsi eius quoque literis ipse rescribo. Vale mi Amerbachi, et nos dilige, omnesque istic viros doctos, qui recte pieque sentiunt, meis verbis saluta. Carpent. XI. Calend. Decembr. MDXXVII.

EPISTOLÆ

ANTONII PALEARII

ET

NONNULLORUM ALIORUM,

QUI SUNT V. CL.

Jacobus Sadoletus, Bernardinus Mafæus, Petrus Bembus, Petrus Mellinus, Petrus Victorius, Andreas Alciatus, Faustus Bellantes, M. Antonius Placidus, Bartholomæus Riccius, Joannes Baptista Gadius, Franciscus Corsinius, Paganus Paganius, M. Casalis, Orgetorix Sphinter.

AONII PALEARII VERULANI

EPISTOLARUM LIBER I.

Ep. I.

AON. PAL. VERULANUS MAURO ARCANO S. P. D.

Ego sane graviter et moleste tuli discessum tuum. Neque vero tu, licet me fortior videri velles, lacrimas tenere potuisti: sicuti neque ego dissimulare diu dolorem. Vetus amicitia, similitudo studiorum, ingeniorum nostrorum facilitas, numquam profecto sivissent, ut sine lacrimis disiungeremur. Posteaquam a me discessisti, quantum potui, te oculis sum prosecutus. Soracte egressum, montes et silvæ texerunt: quum ad flumen descenderem, Cæsar mihi noster cum magno comitatu factus est obviam. Is, quo est splendore, qua est pietate, diligentissime commendavit me suis: iussit, ut, se absente, omnia mihi essent prompta et parata. Nihil illo heroe potest esse illustrius, nihil excogitari humanius. Deos quæso, ut, quorum vidi profectionem, eorum reditum lætissime videam. Quum in urbem rediissem, mira mihi ubique visa est solitudo. Domi erat Lucilla tua: quo animo, noli quærere. Tristi scilicet: cœnare noluit. Nunc misera angitur, nunc emergit amor. Nunc desiderium ferre non potest. Quum iam advesperasceret, curavi, ut ad matrem deduceretur. Postridie eius diei, qui fuit III. Id. Sextil. Eugenia nutrix me convenit, conquerens illam confici curis, somnum capere non posse, cohorruisse etiam paulo ante lucem. Mirum ni, quum imbecilli sit natura et valetudine,

istis animi perturbationibus in febrim incidit. Ad meas summas solicitudines hæc etiam accedit. Eugubius medicus, qui te valde amat, simulatque introductus est, dixit gravidam esse, et propterea magis afflictari mærore. Ego puto anni etiam tempore vexari bile, et maximis caloribus — neque enim memini maiores — fieri, ut tam modice edat, et parum obdormiat: nam et ego superiorem noctem habui plenam molestiarum. Nihil opus erat tam multa scribere, nisi veritus essem, ne, quum alii ad te scripsissent, tu minus me amare inciperes: tum, ut te commonerem, si alii ad te scribant, non esse gravitatis, quam tu a puero præstitisti, ferre immoderatius ægritudinem mulierculæ. Famæ aliquando, mi Maure, est serviendum; etsi nemo est, quicum essem libentius, quam tecum: tamen tibi non sum auctor, ut tam cito ad nos redeas. Cave, ne subito consilium capias: solet te, quum temere aliquid fecisti, postea pœnitere. Si me audies, dum Cæsar abest, non modo nobis, sed te ipso tibi est carendum. Quum essem obsignaturus epistolam, nutrix per puerum mihi nunciavit, Lucillam meliuscule habere, desiderare tamen abs te aliquid literarum: quod ut facias, te vehementer rogo. Maior illi levatio afferri nulla potest. Vale, Roma.

Ep. II.

E I D E M.

Vigilantis hominis et industrii visæ mihi sunt literæ tuæ, plenæ officii, suavitatis et amoris. Ecquando ego tibi gratiarum aliquam partem? Omnia, ut video, summa diligentia es consecutus, quæ ad honorem et dignitatem meam pertinent. Tua erga me benevolentia utilis, et optata mihi fuit semper: numquam vero tam necessaria. Maiorem in dies, mi Maure, humanitatis et pietatis tuæ capio fructum. Meam rem sic egisti, ut ipse tuam non ageres. Unum mihi restat ad omne decus, et solidum gaudium, ut te videam, et osculer. De Verrucoso aut illud ipsum erit, quod scribis, aut

non multo secus. Nonnihil periculi est in insidiosa blanditia. Odi hominem: neque mehercule curo, si eius animum offendam, si tuum non offendo: quamquam in iis literis, quibus mihi cogitationes tuas explicasti, semper te eum sic dilexisse dicebas, tamquam aliquando fuisses osurus. Negas tamen nunc animo esse averso. Sed næ ego homo ineptus sum, qui commemorando vel faciam, vel augeam dolorem. Fasciculus literarum, quem Repantii puero dederas, Lucillæ est redditus: in eo, si quid ad me fuit, non est allatum. Obsecro te, ne hic clames, neve succenseas, neve de negligentia accuses: nihil ego non sum expertus suadendo, orando, ut fasciculum Repantius solveret. Fuit hoc illi suspiciosum: numquam vidi hominem difficiliorem. Quod nullo negotio impetrare debebam, summis precibus non sum assecutus. Nihil attinet omnia scribere. Tu, si homo es, posthac, nisi habueris fidelem tabellarium, ne quid epistolæ credas, quod nolis resciri. Argentum ex pensione paratum est: si vis, isthic poteris sumere a Cospiis. Collybus parvus omnino est: satiusque id, quam duro anni tempore via longa et deterrima cursare ad transpadanos. Nollem in re minima tamdiu penderes animi. Nam, etsi domesticas res impeditas Romæ reliquisti, tantum profecimus, ut tuo commodo uti possis pecuniæ permutatione. Rumor hic est, non satis tamen constans, et sine auctore, iras esse inter Clementem pontificem et Carolum Cæsarem; quod Regis affinitatem alter expetat, alter cum Gallis nullam velit fieri coniunctionem. Bononienses propterea in armis esse dicuntur: Germani paratissimi ad certandum. Quod si est, periimus. Non vides quanta tempestas impendeat? Noli exspectare dum confligant: ut ab omni pugna absis, maturrime abito. Mantuam si perrexeris, nihil melius: nusquam eris tutius. Vale, Roma.

Ep. III.

EIDEM.

Si quid mihi Accursius sui consilii impertiet, faciam te certiorem. Dormias in utramvis aurem: si non excidit, quod superioribus literis scripsi. Maximæ curæ mihi erit, ut ea faciam, quæ te sciam velle: non tamen dubito, Verrucosum, hominem fatuum et intemperantem, qui æris alieni magnitudine pedem porta non effert, tam odio tibi fore quam mihi. Eum quoniam vis tuos numos curare, faciam, ut iubes: nutus mihi tuus fidem facit. Sed quem tu virum bonum dicas, non plane intelligo, nisi melius explicabis: vel, ut ego coniecturam facio, tu omnia *εἰρωνευόμενος*. Id nisi est, pœnitebit. Paucis verbis præstiti, quod debeo pro amicitia. Si possem coram, non te epistolis obtunderem. Est omnino miserum, bona eorum, qui nobis carissimi sunt, diripi videre. At miserius multo, amicorum consilia in eam partem non accipi, in quam, si acciperentur, salva omnia esse possent. Sed ut antea dixi, quodcunque tuum in ea re consilium erit, illud persequar. Tu si nimium me in commonendo fuisse dixeris, non laboro: malo in hoc desiderari modestiam meam, quam amorem requiri aut diligentiam. Nosti, qua in offensa sim apud Cæsarem? miror, mihi nullas ea de re literas abs te datas. Consilia quorundam invidorum, evigilata malis cogitationibus, tandem eruperunt. Quæ res ea est? Parva, et quæ a te dilui facile potest. Obiiciunt, esse apud me exemplum indicis cuiusdam bene longi, in Livii libros ex observatione Cathanei. Primum, qui potuit tam brevi volumen illud transscribi? deinde, quod consilium? opus est confusum, et dissipatum: in quo, nisi novus exudetur labor, nihil quisquam proficiet: auctorque potius laudandus est, quod primus in eam curam incubuerit, quam quod exacte incubuerit. Quodsi eo accusamur, quod ex indicis inspectione secuti, et, ut illi dicunt, furati sumus observandarum rerum rationem: tu vide iam, quam iniqui sint homines: antequam ii libri in manibus haberentur, absoluti

prope a me fuerant commentarii in orationes M. Tullii: non non mehercule, ut laudem alicui præriperem — nihil enim minus umquam cogitavi — sed quia magnis præmiis propositis urgebar, ut tu scis, a viro amplissimo: cui si tam libenter meas vigilias concessi, nescio qui tam ineptus sit, qui in animum inducat, me appetivisse alienas. Mutius vir est optimus, et egregius civis Romanus; mira in homine clementia, pietas, integritas. Eius opera plurimum usi sumus. Is non modo oratione, sed re etiam declaravit, nihil sibi videri illiberalius quam innocentem oppugnari. Itaque me vir fortissimus defendit. Quid tum, inquit, si literarum studiosus huiusmodi exemplar habeat? fac esse, transcripserit: num id est flagitium facere? Tum patronus contumeliosus, et minax, quo vultu? quo spiritu? Cavebo, inquit, meis, sine vadimonio non discedes: bibliotheca fuit apud te, pecuniam accepisti. Non sat scio, quid surripueris, quantum debeas: vadare, et abi, quo vis gentium. Hæc quam visa fuerint indigna, quam tulerim graviter, nihil dico: tu si hic esses, disrumpereris: Cincius Phrygepan, summa humanitate, modestia, et nobilitate iuvenis, nulla in re defuit: ubi me in iis angustiis esse vidit, ultro satisdedit, Hæccine præmia vigiliarum mearum? te sponsorem appello, tam insignem mihi fieri iniuriam? Cæsare hæc, inquies, invito omnia. Nihil moror, pro iis, ut emori possim? tot contumeliis oneratus ut Romæ maneam? non faciam.

Ep. IV.

E I D E M.

Nulli citius remittunt iram, quam qui subito excandescunt. Scripsi ad te Idibus multa iam nocte literas plenas querelarum: mane vix lucebat, quum iam suppœnituerat. Nam etsi iræ, quibus ad scribendum fui adductus, tam iustæ erant, quam quæ maxime: tamen, ne vos offendam, omnia mihi toleranda facit, tibi non ignota quædam pie-

tas animi mei. Neque vero me re alia magis devinxeris, quam si curaveris, ut Cæsar intelligat, quos in urbe reliquit, neque ingenue, neque liberaliter tractari a suis: quos ita tuli, ut nihil excogitari possit humanius. Quæ dicta, facta in me sunt, omnino ex animo evulsa esse volo: si meminero posthac. Dii mihi sint irati. Quod etsi iniurato credidisses,. iuravi tamen, ne si meas vitæ rationes, quas mihi a puero institueram, nunc sequar, iracundia permoveri me arbitreris: atque aliorsum, atque ego feci, accipias tu, aut alius quispiam. Mirum me desiderium tenet philosophiæ, et eorum studiorum, in quibus ante captum ab Hispanis urbem Romæ sex annos consumpseram. Ea intermissa biennium, cupio revocare. Avaritia, quorum non licet dicere, sophistæ nulli sunt Romæ. Audio in Hetruria florere bonas artes. Nihil est, quin recta proficiscar Senas: nisi prius Perusiam, quod Ennius meus ibi est pro legato. Valde cupio hominem visere: nam me multum amat, et philosophi non ignobiles Perusiæ esse dicuntur. Quodsi inveteratam barbariem, qua facultatem illam respersere commentatores pseudolatini, hic non invenero, nusquam ero libentius: sin orationis vitium oram hanc quoque occupavit, nihil mihi magis est in animo, quam transire ad transpadanos tuos. Patavii, si vera sunt, quæ narrantur, ab Aristotele Græce scripta, et Græce et Latine et ornate reddit Lampridius, vir excellenti ingenio, et doctrina prope singulari. Huiusce mei consilii rationem pluribus verbis reddidi, quod video fore sermones: Hui urbe abiit, hem levitatem. Multi cavillabuntur, præsertim apud Cæsarem, indignationem discessus fuisse in causam: nonnulli, me ipsum nescire, quid velim. Quibus cupio tu hoc tempore respondeas: aliquando enim res ipsa loquetur, ubi in studiis acquiero. Curiam relinques igitur? inquies. Relinquam: quid enim turpius, quam nos tam firma ætate, Romæ ignavos, socordes, inexercitatos, inglorios sedere in otio? Summi philosophi, ut ad eorum peritiam aliquid accederet, tot barbarorum provincias pedibus obièrunt: nos, ut inscitiam exua-

mus, pigebit insilire in equum, perlustrare Italiæ partem? Mihi quidem, si patrimonium amplum et copiosum Dii dedissent, nihil fuisset prius, quam non modo Italiam, Gallias, Germaniam, ornatissimas Christianorum provincias visere: sed et Græciam omnem, in qua prope nullus pes est, qui in Turcæ non sit potestate. Hoc desiderium, neque leve, neque malum bonis videri debet. In tantis enim tenebris et studiorum, et rerum nostrarum, nulla peregrinatio obscura et sordida esse potest iis, qui prudenti et sagaci sunt animo. Veluti, quum domi fumus est atque nidor, accusandi magis sunt, qui domi maneant, quam qui domo exeunt: sic, ut lumen aliquod respiciant, laudi esse debet iuvenibus, quoquo proficiscantur: vitio verti, si remanserint. Atque utinam hæc potius tecum coram, quam per literas. Non enim vereor, ne aut tu in meam sententiam venires: aut si errarem, commonefaceres amice, fraterne obiurgares. Sed pro re nata incommode omnia accidunt. Via non satis tuta est: et Fabius cursor per agrum Perusinum cras, vel summum perendie proficiscetur, cum hoc ego eram iturus. Tu si quid ad me vis, Perusiam cura, ut literæ perferantur. Vale, Roma.

Ep. V.

EIDEM.

Cave putes quicquam esse suavius epistola tua, quam Perusiæ XVI. Calend. Martias accepi. Miram in ea pietatem, humanitatem, benevolentiam perspexi. Nam, quod malevolorum obtrectationibus reiectis, et invidis postratis atque obtritis, me in omnes partes defendendnm putas; quid hoc est, nisi pietas est? Humanitatem vero in ea re agnosco maximam, et summam benevolentiam, quod tantum mihi tribuis, quantum uni tibi ego vere tribuere possum. Ain'igitur, integer atque optime Maure, placere tibi consilium meum? Equidem, ut dicam tibi, etsi memoria tene-

bam, semper te omnium bonarum artium perstudiosum fuisse: nonnihil tamen verebar, ne consuetudine eorum, quibuscum coniunctissime vivis, indigne fecisse viderer, quod eos non essem secutus, a quibus tu non potes recedere. Nunc, quum opinio tua ab exquisita ratione profecta, ea sit, quam decet esse hominis bene docti: hac comite, quoquo ivero, bene erit. Currentem hortaris tu, cui mehercule dignitas mea carior est, quam mihi ipsi. Eam si in hoc discessu retinebimus, etsi cætera male caderent, fortiter feram. Eia clypeus salvus est, avelle spiculum: quamquam omnia mihi secunda, certa et explorata polliceor, si, quæ rectissima sunt, sequar. Suspensus essem, si ex iis penderem, qui ad fortunæ motum moventur. Circumspice omnia membra curiæ: quid momento temporis non videbis fractum ac debilitatum? quamdiu factum est, quod omnia eversa vidimus? Quamobrem Cæsari probe et sapienter respondisti, quum te vitæ pudere dicebas, qui omnium meorum studiorum maxime conscius, in id, quod præclare moliebar, numquam coniecisses oculos. Libenter ego amplector talem humanitatem, quod, quum in te omnia copiose sint, quibus te ipsum pulcherrime tueri potes, et aliis exemplo esse: me patronum, custodem, præcursorem facis sententiæ tuæ. Discessum vero meum, quod neque fronte neque vultu bellis feras, agnosco intimos sensus: amabo te, ne quid posthac tale audiam. His rumoribus nonnihil sum commotus. Nam etsi mihi animus fortis et præsens est, ut omnia subeam amore quodam literarum: non tamen ita ferreus et inhumanus sum, quin acerbitas quædam doloris, commemoratione eorum, a quibus avulsus videor, non recrudescat. Qualem te epistola præbes, talem re esse oportet neque facere, ut mali theologi: qui quum alios perpulchre ad fortiter beneque vivendum hortentur, ipsi mollissime vivunt. Quod in gratiam me apud Cæsarem reposuisse dicis, fecisti amanter: putas enim causam tuam coniunctam cum mea. Sed nolo ego te omnia incommodo tuo facere. De episcopo Gallo, ad quem scripsisti continuis diebus, ne-

minem tibi me esse amiciorem, habeo gratiam: sed homo ille in omni fortuna superbum se præbuit. Prædives est, fateor: sed is tam diligenter suum tenet, quam quivis fœnerator. Sacerdotio est amplissimo præditus: moveret me, si sapientia, et pietate. Noli, obsecro, tu isto ingenio vir, de iis exspectare quid sentiam, quos in omni conditione miserrimos puto. Concludis enim epistolam hoc modo, *polliceor tibi illum fore usui.* Quid si non erit? non propterea vivemus? næ, si quotidianus congressus, et sermo tuus mirificus, quo carendum video, me non magis moveret: is mihi viderer, quem tu versiculo illo transverso appellas, *o te beatum, qui istam inis viam.* Sed iam lucet, et Apollonii puer pulsat ostium: eccum recta ad me. Vale, Perusia.

Ep. VI.

A. PALEARIUS CINCIO PHRYGEPANI S. P. D.

Noli exspectare, dum ad te scribam, quid ista nobilitate iuveni et animi excellentia faciendum putem. Sermones nostri quotidiani, si non exciderunt, habes qui te admoneant: sin, ut plane vereor, vel eorum oblitus es, vel suasione alicuius mutasti sententiam: ego meis literis efficere non potero, ut ad nos venias: præsertim quum, ut audio, multum remiseris de studiis illis optimis, et, qui tibi minus fidele consilium dent, scire non possim. Nam, quod ad meas unas atque alteras superioribus diebus ad te datas. Non responderis, non prius miratus sum, quam Livius noster ex urbe venisset, sine literis tuis. Quem quum rogarem, si quid haberet de adventu, de quo quum Romæ esset, tam multa scribere solebat, et laudare præstans iudicium tuum: respondit, nihil mihi, quod antehac promiserat, se magnopere confirmare. Itane tandem nos, desiderio tui languentes, falsa spe ducis? et exspectatione facis pendere? Næ ego si unquam suspicatus fuissem, te sine me posse vivere, sic animum instituissem, ut, si te mihi esset carendum, non ita acerbe

ferrem: et usu iam profecto confirmassem, ne tam varie afficerer. Quis me illis tuis pollicitationibus lætior? quis hoc nuncio tristior? Nam, etsi Livius non asserat, neque tamen neget, te esse venturum: ego facile, quod nolo, hoc credo. Quid? non venies igitur? Nisi me opinio fallit, non venies: ita complexus es voluptates istas urbis, ut ab eis non possis divelli. Quid enim aliud dicam? Domestica negotia fratres tui curarent, si velles, diligenter, honestissimi et optimi viri: neque tam multa sunt, quin uno die explicari possint. Non accipio iam istam excusationem: tu si tibi cura est nostri, et existimationis et dignitatis tuæ, ne committas, ut æqualium consiliis abducare. Rationum nostrarum es particeps, auctor studiorum: quorum illi sunt hostes acerrimi. Est tuæ ingenuitatis, magnitudinisque animi, cogitare, quo nos promoveris, quid promiseris reminisci. Quum in Hetruriam venimus, tantum pecuniæ nobiscum attulimus, quantum tu liberalitate tua concessisti: si venisses, nulla re egeremus. Obsecro, si sine te Patavium sit eundum, ne ab omnibus destituti videamur. Patrimonium tibi, quod Dii fortunent, amplum est, pusilla familia, animus egregius, et rerum magnarum appetens. Quid tam divinum et cœleste, quam hominem rebus omnibus iuvare? quid tam Romanum, quam alere hospitem, et veterem amicum? quid tam tuum, quam excipere, et toto animo complecti studiosos bonarum artium? Liberalitate tua nobis opus est, ut, quæ tibi gratissima et iucundissima sunt studia, sequamur. Bibliotheca Græca comparanda, Latini libri supplendi sunt. Latinorum magna est caritas, Græcorum mira difficultas. Ad hoc te isto genere, istis opibus, isto ingenio natum, puta, ut per te sublevemur. Vale, Senis,

Ep. VII.

A. PALEARIUS ENNIO PHILONARDO EPISCOPO VERULANO S. D.

Quum in Hetruria essem, et multa de indignissima eorum cæde, qui cum Perusiæ præfecto erant, rumor ipse perferret, ita animo sum affectus, ut me certo sciam numquam in maiore dolore fuisse versatum. Primum enim veritus sum, ne Ennius, vir unus omnium integerrimus, et sanctissimus, provinciæ civili bello ardenti præesset: qui quum iratos et immanes exsulum animos voluisset lenire, crudelissimorum hominum et sicariorum improborum manus effugere non potuisset. Deinde memineram, illic esse M. fratrem, virum sane bonum, et mihi amicissimum: quem in tanto furentis plebeculæ tumultu, quomodo in tuto esse posset, non videbam. Itaque quum multos dies in eo mærore iacuissem, renuntiatum est, te eo tempore, quo illa in agro Perusino gesta dicebantur, Romæ fuisse. Quod quum maximam lætitiam attulisset, vidererque permagno angore liberatus: ecce ad me ex Urbe lacrimarum et molestiæ literæ plenæ, de egregiorum civium et tibi coniunctissimorum clade: quæ mihi continuo cor exederunt. Quum igitur, ut par erat, sæpe ad te scribere statuissem, ut consolationem aliquam meis literis adhiberem, nihil ego reperiebam — quod iis contingit, qui animo fracto sunt ac debilitato quod non tristitiam magis — quam consolationem afferret. Itaque veritus, ne, dum mederi dolori vellem, acerbissimum animi sensum retractarem, a scribendo me continui: tum quod arroganter ac temere me facere existimabam, si virum sapientem, qui consilio et auctoritate sua barbaras gentes sæpe fregit, patientia populos rebus novis studentes domuit, consolatione mea indigere duxissem: quem præsertim animo forti et pacato, cognoscerem abundare præceptis sapientissimorum hominum. Quamobrem commutata ratione, qui consolatorias literas scripturus eram, gratulationem potius volui scribere: quod commutata fortuna, post

illas lacrimas, Arcis Adrianæ præfectum publicis et multis muneribus honestatum, ornatum, auctum te esse acceperim. Quibus, etsi te magni animi et magnæ humanitatis virum pulcherrime secundam fortunam atque adversam ferentem, minime elatum intelligo: gaudeo tamen, quod iis virtutis tuæ testimonia quædam consecutus videare. *θεῖον γὰρ ἀγαθόν που τιμὴ, τῆς τε καλλίστης ἀρετῆς μαρτυρία καὶ σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης.* Quæ quoniam in illustri magnorum principum conspectu posita est, non dubito maiorem in dies fieri accessionem fortunæ et dignitatis tuæ. Vale, Senis.

Ep. VIII.

A. PALEARIUS CINCIO PHRYGEPANI S. D.

O iucundissimum et optatissimum nuncium, o exspectatissimas mihi literas tuas! quum de discessu ex Hetruria constituissem, et comites parati essent ad profectionem, ecce Fabius Cursor cum literis, quæ me maxima lætitia extulerunt. Quid, inquies, igitur sine me? Enimvero recrudescebat dolor, quod sine te esset eundum: ipse mihi moram afferebam, et nectebam causam ex causa, ne quid festinarem. Sed iam tædebat me vitæ; quid hic facerem? sine libris, sine sudario, sine linteo: omnia præmiseram, ne in itinere opus mihi esset mulis Marianis. Quo magis erit tibi videndum, ut hæc nostra exspectatio ne plus sit menstrua: tametsi tu ita scribis, ut prope nefas sit de tuo adventu dubitare, tamen pungunt me dubitationes quædam tuorum. Audi hominem amicissime monentem, non me pœnitebit sæpe iam commonuisse: Ego nihil tibi video esse Romæ periculo vacuum. Incredibilis est invidia æqualium, qui iuvenem florentem nobilitate, opibus, propinquis, amicis, ferre non possunt: discessum tuum in præsentia, ob id ipsum tibi utilem ob studia honestissimum puto: omnia hic erunt fidei, consilii, amoris plena: ubi te convenient omnes, oderit nemo. Nam quod amicus noster lucem istam iactat,

alias res agit, ne te moveat: nunc aliud tempus est. Urbem mi Cinci, vides refertam peregrinis, in qua nulla civis valde illustris industria esse potest, Peregrinatio, mihi crede, neque obscura, neque sordida est iis, qui absunt, vel studio militiæ, vel desiderio literarum. Tuæ prudentiæ est, oblivisci quædam hoc tempore, et, quæ ab amantissimis tui proponuntur cogitare. Vives nobiscum, vives cum studiosis bonarum artium: magnum fructum capies ex consuetudine æqualium, qui sunt magna animi humanitate temperati: incredibilem ex usu maiorum natu, summa doctrina et eruditione: ex studiis vero tuis tantam voluptatem, quantam semper capere consuevisti: in hoc etiam maiorem, quod hic, quid agas, quo te oblectes, est præterea nihil. Poetæ, oratores, philosophi non ignobiles Patavii habitant, et sapientia in unam urbem commigravit, veluti in aliquam domum in qua Pallas omnes artes docet: neque ullus locus est, ubi melius tua illa inexhausta legendi et audiendi aviditas exsatiari possit. De qua re scribo parcius, quod incredibilis solet esse festinatio adolescentium, quos desiderium cœperit alicuius rei. Tu, qui firmiore ætate ardes desiderio literarum, incitatione nostra non egere, sed aut adventare, aut prope adesse iam debes. De liberalitate et promissis iis, quæ ostendis, ago gratias: nihil ad tuum in me amorem addi posse video. Sed nihil est, quod nunc pecuniam cures. Quum lentius agere te viderem, et ad meas literas non respondisse, versuram feci: mandavi interea Pterigi familiari meo, ut domum et prædia, quæ sunt in Hernicis, vendat. Si emptorem, quem putarat, non invenerit, faciat auctionem. Omnia mihi abiicienda sunt potius, quam deserenda philosophia. Venibunt servi, supellex, fundi, ædes, omnia: id, ut me absente percommode fieret, quum Romæ essem, dedi cognitorem Corsinium. Obsecro te, ut scribæ Capitolini formulam mandati componant diligenter, eamque Corsinio ad te venienti des: sed fortasse ille, quod vereor, temporibus æstivis cum Ennio secessit in Fibreni insulam. quod si est factum, amabo te incumbe in hanc rem, ut

pro Corsinio sit Pterix: et cum his literis formula perferatur ad Cantelmos meos. Gregorium fratrem tuum humanissimum bene valere gaudeo. De Hieronymo audimus, quæ volumus: mirum est, quantum in isto iuvene sit animi, splendoris et heroicæ virtutis. Rem honestissime transegit: ei meo nomine gratulare, et dic plurimam salutem. Vale, Senis.

Ep. IX.

A. PALEARIUS FRANCISCO BONO, ET MATTHÆO PAVONIO, VERULANIS, S. D.

Ego vero maxime vellem vobiscum esse: neque mihi quicquam est dulcius commemoratione ista patriæ et desiderio meorum. Ea tamen cupido incessit adeundi exteras regiones, ut plane opiner, patria mihi semper esse carendum, non modo ista, in qua natus sum, et quæ vel vestra causa mihi est carissima: sed alia etiam quacunque, si qua umquam futura est, quæ me uxoris ac liberorum caritate devinciat. Numquam mehercule audio, in Galliis et Germania florere bonas artes, quin cupiam evolare. Quum Roma discessissem superiore anno, Perusiam veni. Erat ibi tum pro legato amplissimus vir Ennius Philonardus noster. Nolite quærere, quam mihi ab illo omnia fuerint prompta et parata: quamdiu Perusiæ fui, voluit, ut essem apud se. Si voluissem, impetraverat, ut cooptarer honorifice in collegium iuvenum studiosorum: operam, curam, diligentiam, auctoritatem suam mihi pollicitus, nulla in re defuit: numquam vidi hominem meliorem, vel integritate vitæ, vel studio iuvandi. At, quum barbarie scateret gymnasium illud, nihil mihi prius fuit, quam ut maturrime abirem. Senas veni VI. Calendas Novembris. Urbs est in amœnissimis collibus posita, fertilis, et copiosa omnium rerum: infecta partibus tamen, et factionibus prope enecta. Maxima pars nobilitatis per vicos et pagos diffusa habitat, quæ altrix ubique solet esse liberalium artium: quamobrem Musis veluti novem pulsis et fugatis, nemini mirum videri debet, si nulli assidui sunt philosophi, nulli oratores, nulli poetæ in

civitate. Ingenia tamen Senensium sunt acria, atque acuta, sicut omnium Hetruscorum: mulieres egregia forma, iuvenes academiis excitatis oblectant sese scriptis vulgaribus: felicitas illa linguæ Thuscæ hoc habet incommodi, ut avocet a Latina et Græca, quæ labore sunt comparandæ, qui unus est hostis acerrimus studiorum: quo fit, ut minime multi attingant interiores literas. Aveo, discedere, incredibile desiderium me tenet philosophiæ; sed nobilissimi homines adhuc me retinent in villis et pagis. Horum magna est humanitas, summa liberalitas, regius prope splendor. Nisi studiorum amore incenderer, nusquam essem libentius. Nam urbe Roma ab Hispanis capta et direpta, Latio exinanito, quid est ista provincia spoliatius, ad quam me revocatis? quid nostris regulis egentius? Quæ res facit, ut sæpissime cogitem, et statuam de vertendo solo. Huc accedit, non amica quædam voluntas æqualium nostrorum, qui mihi a puero infestissimi fuerunt, adolescentes impuri, et scelerati: qui, ubi creverunt, nihil ipsis fuit inimicius, quam ipsi fuerunt sibi. Ii, ut cætera omittam, ausi sunt — quod non queo sine lacrimis scribere — demoliri partem sepulcri matris meæ, lectissimæ feminæ, eximia virtute et probitate: cuius cineres utinam salvi sint! Vestrum nunc est, omnibus officiis amicitiæ a vobis sancte et diligenter cultis et servatis, pro mea perspectissima semper erga vos benevolentia, si quæ sunt reliquiæ meorum, colligere, et componere in urna: curabitur pecunia. Obsecro detis hoc pietati meæ. Saxum ingens poni volo cum his literis, in ea templi parte, in qua erat sepulcrum matris meæ:

MATTHÆO PALEARIO,
ET CLARÆ JANARILLÆ,
OPTIMIS PARENTIBUS:
ET ELISÆ, FRANCISCÆ,
JANILLÆ, PALEARIIS,
SORORIBUS HONESTISSIMIS:
AONIUS PALEARIUS POSUIT
MUTATO SOLO.

De ea re bis terve scripsi ad Mariam materteræ filiam sed illa aut mærore impeditur, aut veretur dicere. Quicquid est, facite, ut sciam: ut, si forte aliquando rediero in gratiam cum Musis, consecrem meos omni genere monimentorum. Valete.

Ep. X.

A. PALEARIUS JOANNI MARTELLO S. D.

Accepi humanissimas literas tuas, quibus significas, te libenter relicta paterna domo meam emisse, si conditiones solutionis mihi probabuntur. Mandavi sæpe iam Pavonio et Bono, hominibus meæ erga te voluntatis maxime consciis, ut tibi dicerent, nihil mihi esse, quod ego meum magis putem, quam tuum: placent conditiones, mitto syngrapham. Corsinius, homo officiosissimus, et peramans tui, curabit omnia diligenter. Volo tibi eam emptionem bene et feliciter evenire. In vita mea nulla umquam maiori voluptate sum affectus, quam ubi accepi, velle te domi meæ habitare. Quinque vis esse pensiones: sint sane quinque. At ego unam remitto, dono sextantem, cæteras etiam tuo commodo: id, si quis graviter feret, doleo. Nam ego primum id maxime vellem, ut omnes intelligerent, mihi te esse carissimum. Deinde, ut mei id gauderent: ex dodrante curabo sepulcrum fieri, ut, si quid illæ meorum reliquiæ sentiunt, ex hac re capiant voluptatem. Quid opus est de quibusdam tam multa affirmes? novi ego provinciales istos. Illud mihi consolationis loco pono, ubi ego domi esse non possum, tu ibi sis: ubi si essem, totos dies una essemus. An censes memoria me deposuisse, quum tantillus ad te deducebar a patre? qui incredibiliter lætari solebat, quod hominem comperisset, cui suos liberos tuto committere posset. Tua mihi a pueritia necessaria benevolentia fuit: humanitas istis profecto deest, qui te a me amari nolunt. Ego, cui plus quam tibi debeam, habeo neminem: prudenter ta-

men facis, quod eorum invidiam vitas, qui tibi nescio qua re sint irati; sed animum tuum libera aliquando istis sollicitudinibus. Quod de amicis scribis, credo equidem; sentio hoc ipsum in me fieri: dici non potest, quam vobis invitus caream. Nullus est dies, quo non ego vos omnes memoria et cogitatione complectar: neque est verendum, quod tamdiu longe absum ab oculis vestris, ne aut vos me, vel ego vos propterea minus amare incipiam. Nulla amori nostro intercapedo, nulla absentia, nulla finem est allatura diuturnitas. Vale.

Ep. XI.

A. PALEARIUS BERNARDINO MAFÆO S. D.

Quum exspectarem avidissime literas tuas, dederam enim meas ad te Idib. Maiis Hieronymo Reario, admonuit me Paccius noster, qui Venetiis Patavium navicula advectus, cives Romanos officii causa convenerat, te meas nullas prorsus accepisse: quod quidem molestum mihi fuit. Nam, etsi erant scriptæ nostratibus verbis, nec iis ipsis oratoriis, quibus audio esse tuas: erant tamen plenæ studii, benevolentiæ, et amoris erga te mei. Neque multum abfuit, quin ad te venirem: amicorum negotia, quibus beneficiorum magnitudine plurimum debebam, impediverunt. Eodem enim tempore, quo Bononiam veneram, redditæ mihi sunt illorum literæ, quibus significabatur, in Hetruriam mihi esse maturrime redeundum. ita factum est, ut amicitiæ et desiderio satisfacere non potuerim. Ego mi Mafæe, quam tui, quam tuorum omnium fuerim semper amantissimus, credo tibi iam perspectum: quid sperem, arbitror te intelligere. Neque mihi est quicquam te carius, aut iucundius: contraque ego me abs te amari credo, vel potius certo scio. Quod etsi aliqui aliter ad me detulerunt, adduci numquam potui, ut de te quicquam temere crederem. Si meum studium semper fuit tuendæ dignitatis tuæ, quid erat, quod de me sem-

per non honorifice loquereris? Simiolos istos abige a te, quos ego ex omni memoria vitaque nostra evulsos volo. Sunt hæ pestes invidorum hominum, ut eorum necessitudines, quos iidem mores, patria studia coniunxerunt, levissimis et improbissimis sermonibus conentur labefactare. Sed de his hactenus: numquam posthac obtundam. Tu velim ad me crebrius scribas: et Lampridium, et Bembum, nostros, Prosperum et Scipionem, iuvenes florentissimos, atque ornatissimos civitatis, salvere iubeas. Vale.

Ep. XII.

A. PALEARIUS PTERIGI GALLO FAMILIARI SUO S. D.

Tu me homo adiges ad infamiam. Itane mandata mea contemni? ut, quod ego maxime velim, id minime fiat? Mei peccati luo pœnas. Stultus ego cæteros ex mea natura fingo: quod ipse non facerem, neminem facturum puto. Quid attinebat ab aliis consilium capere, ubi cognosses meum? Hetruriam præfero cæteris Italiæ regionibus: si quando in studiis acquiero, in hac provincia ea pars nobis deligenda est, quæ aeris puritate præstet, et humanitate colonorum. Nam, post urbem direptam, bello vastatis agris, fame absumtis populis, pestilentia oppidis exinanitis: quid est Latium, nisi campus, et aer, et solitudo mera? Cupio alienare bona paterna. Domus honestata est successore novo; de horto et fundis Corsinius transiget, dandum est aliquid Alexandro et Basilio: id nunc fiet. Supellex nobis erat lauta, bibliotheca non vulgaris: concedetur iis. Recepisti mandatum, quod persequi debes diligenter. Si homo es, id est, si a me amari vis, ad meam voluntatem accommoda tuam, consilium muta: id si tibi non est integrum, nescio quorsum res casura sit. Nihil minus volo, quam ut ii, qui rebus meis spe et animo inhiabant, omnia se assecutos putent, etiam invito me. Si quid promisisti, nihil iam magnopere confirmes: abduc te sensim, finge te exspectare

literas meas; commodissimum erit, si re infecta abieris. Absurdum est, ut te omnia doceam: prudentia tua nobis opus est, ut id fiat, cuius causa isthuc te misimus. Quid? hoc intellexin'? Scripsi ad te Latine, quod Thusce non bene scias: et quod arbitrer, Latine omnia dici significantius. Quum Romam veneris, Cincio Phrygepani dic plurimam salutem. Quantum ex literarum constantia intelligo, quas ad me dedit, precibus nostris et cohortatione non indiget. Vereor ego tamen adhuc, ne falsa lacrimula misere vix vi expressa, studiorum ardorem restinguat. Sed nos amicitiæ satisfecimus: dedimus iuveni consilium quum fidele, tum salutare. Incende tamen, quantum potes, verbis tuis. Cupio eum ab urbe abducere, sive ab hominum invidia: quæ, ut umbra corpus, sic sequitur eós, qui habitant in oculis civium. Is mihi semper a pueritia spem attulit summæ probitatis, et avitæ virtutis. Valde a me amatur: spero posse fieri, ut tecum in Hetruriam veniat. Patavium proficiscemur VI. Calend. Octobris. De Laurentio Carolo, o malum et acerbum nuncium! febri consumptus est. Quid ais? tam paucis diebus? Omnia sunt misera, atque afflicta. Quid eius matre fiet? quid sororibus infelicissimis? non queo cætera præ lacrimis.

Ep. XIII.

A. PALEARIUS MAURO ARCANO S. D.

Dii male isti faciant Luceio, qui tot ac tantas turbas fecit. Senas venit XI. Cal. Octobr. cum literis, quas ad te de maximis rebus scripseram; iis abalienare conatus est a me homines amplissima fortuna et auctoritate: quos ille mihi esse amicos moleste ferebat. Ardeo dolore et ira. Frater tuus contumeliose nos tractavit. Nam, quum tu Romæ non esses, aperuit fasciculum literarum, in quo erant meæ ad te de rebus gestis in Censura, deque hominibus iis, qui admiratione stolidæ Academiæ in cœlo sunt: qui si moveri

Senatu possint, scripsi ad te sæpe, nihil prius, neque fortius. Nosti cætera. Hæ literæ in manu sunt inimici mei: cuius opera, nihil dico. Homo niger, et confidens, neminem prætermisit eorum, qui iniuriosius nominabantur, quibus meas literas non ostenderit ac legerit. Sero per Cathaneum impetravi, ut ab illa mente desisteret. Commonuit enim vir gravissimus, et, ut video, commovit, non esse liberalis officium hominis, cum amico sic agere, ut turpius nihil posset cum inimico. Adhuc enim mihi, dum ea moliretur, blandiebatur: et quum superiori nocte in ædes Bogini venisset, salutem dixerat, dexteram porrexerat, columen existimationis meæ. Sed inde — ut habeas quod in dolore etiam ridere possis — non prius discessit, quam, ubi commode fieri potuit, me absente, evomuit virus improbitatis. Obsecro te, ne tales homines posthac in amicitiam recipias. Sed tu sapiens ab eius consuetudine, ut audio, refugeras aliquot diebus ante, quam ex urbe discederet. Ea re, credo, ille commotus, quum Senas venisset, veluti iubatus draco erecto capillo, oculis illis emissitiis ferri huc atque illuc, quærere, si quem spiritu rabido ac venenato posset asspergere. Federico Carteromacho iuveni modestissimo roganti, unde odium illud tam improvisum et repentinum? respondit, se in literis, quas circumferebat, non honorifice appellatum fuisse a me. Quod quum ad te scripsissem, ne commoverere sermone levissimorum hominum, si quid aliter detulissent: cognorat, illis verbis se unum significari, præterea neminem. Mafæo nostro humanissime petenti, ne mihi negotium facesseret: homo ventosissimus respondit, se non mecum, sed cum Bembis et Sadoletis avere pugnare. Agnoscis veteres ostentationes? Eius literas ad te mitto ad Mafæum scriptas, ut scias, esse in contemnendo homine nonnullam gloriam. Ego nihil duco esse commodius, quam si de his rebus nihil amplius scribamus; perturbant enim hæ contentiones animum meum. Quicquid hoc simultatis est, cupio deponere. Fortassis illum nobis dies immutabit. Si quid interea garriet, non respondebo. Ita sum hoc tempore otium et mu-

sas complexus, ut ab eis divelli non possim. Mihi pergratum feceris, si de iis rebus nihil, mea causa, cum fratre iurgaris, nihil non mitissime dixeris. Satis erit, si, quum tibi tempus maturum videbitur, fraterne ores atque obsecres: quoniam ego te amo, et tu me diligis, ut ipse quoque a nobis diligi et amari velit. Senis.

Ep. XIV.

A. PALEARIUS JANO BENEDICTO LAMPRIDIO S. D.

Mei amantiorem te putabam esse neminem: tam multa et magna, quamdiu Patavii fui, tua in me beneficia exstiterunt. Nunc plane vereor, ne omnino ex animo tuo effluxerim: qui quum a me sæpissime literas acceperis, tu ne schedulam quidem. Neque est, quod te purgare possis: quin prius, quam accusandus, negligentiæ condemnandus sis. Qui isthinc veniunt, aiunt omnes, te vidisse, salutasse etiam meo nomine: dixisse quoque, si quid velles scribere, desiderare sese tuas ad me literas perferre. Est apud vos Sansedonius meus, quem quum ad te proficisceretur, oravi curaret, ut quam diligentissime epistolas tuas ad me mitteret. Quid est igitur, quod excusationem ullam a te accipiam? si quando Patavium venero, nihil est, mihi crede, quod te libera oratione possis defendere: præsertim quum tu illis ipsis diebus, quibus ego discedere volebam, receperis, velle te ad me quam sæpissime scribere, et cum amicis nostris me quoque melicis tuis illustrare. Hoc si fecisses, cætera possem perpeti: nihil enim ego umquam magis desideravi, quam, ubi meis non possum, commendari divinis illis versibus tuis, quibus nihil est ornatius. Magni enim refert, scribi in libellis Lampridianis: quibus ego, si possem isthuc abs te impetrare, ad spem quandam immortalitatis raperer. Sed de his hactenus: non enim vereor, ne non iis laudibus, quibus ignotos, et minime gratos homines

ad cœlum sæpe extulisti, amicos et familiares tuos sis ornaturus. Ego, ut proxime ad te scripsi, cupio VI. Calend. Novemb. ex Hetruria decedere; miro enim desiderio me vos afficitis; exspecto tamen interea avidissime literas tuas. Senis. Bembo et Lazaro salutem dic.

Ep. XV.

A. PALEARIUS PETRO BEMBO S. P. D.

Etsi in omnibus literis, quas ad Lampridium dedi, scriptum erat, me te absentem sic memoria colere, ut nihil fieri posset amantius: sic tui desiderio teneri, ut esse nihil possit ardentius: petiique ab eo maiorem in modum, ut aptissimis verbis suis amorem ergà te meum declararet: subpudet tamen, me annum iam absentem nihil ad te literarum: quum præsertim mihi sim conscius, quanti ego semper dignitatem, auctoritatem, benevolentiam tuam fecerim, quam mirifice a pueritia ingenii tui suavitates et ornamenta amaverim. Quæ res igitur a scribendo duæ me retardarunt, hæ sunt. Sciebam, te inani literarum genere minime delectari; quid ego autem scribere poteram, quod non esset inanissimum prudentiæ? an, quod ego te unice diligerem? Tulisses, credo, non moleste, pro tua hnmanitate, si id ipsum scripsissem: et legisses, ut puto, perlibenter. At vero, quid ego hæc ad Bembum, virum unum omnium gravissimum et doctissimum? quem quum Patavii essem, officii causa crebro convenire subverebar: quod nefas esse ducerem, scribentem divinitus historiam, et nostra hæc tempora sempiternæ hominum memoriæ consecrantem, inani et ieiuna verborum volubilitate obtundere. Erat mihi præterea in animo, quum primum domesticis quibusdam laboribus, et amicorum negotiis essem liberatus, ad vos redire. Quare percommode me facere arbitrabar, si eo tempore, ut opinabar, brevi, ad te omnino non scriberem: ne, dum leniter ferre vellem, scribens desiderii tui ignem augerem.

Quodsi ego putassem tamdiu a te abesse, numquam profecto commisissem, ut, quum tam multi isthuc amici venirent, sive id factum probasses, sive improbasses, tu sine meis literis esses: quas posthac si intellexero fore tibi non iniucundas, commutata ratione, utar hoc bono literarum, ut per literas avidissime, et quam sæpissime tecum loquar: ut, *κατὰ φαντασίαν* spectris excitatis, te diligentissime colam, et observem. Vale, VIII. Calendas Januarias. Senis.

Ep. XVI.

P. BEMBUS AONIO PALEARIO S. D.

Ex iis literis, quas proxime accepi, quod mihi numquam dubium fuit, me abs te mirifice diligi, intellexi: et cum Lampridio sum admiratus istam animi humanitatem, et suavitatem ingenii tui: cuius fructum, quum Patavii esses, capiebamus, dulcem quidem et optatum: eum quum absentia tua amiserimus, nisi damnum crebris literis resarcias, molestissime feremus. Quamquam te ipsum potius, quam literas exspectabamus, tum, quod ita tu receperas: tum, quod satis constans rumor erat, quum hæc scriberemus, Senenses esse in armis. Nihil habent studia ista tua et modestissimi mores commune cum factiosis: nihil isthic est, quod te iam delectare possit, exclusis optimis viris, quorum tu dignitatem oratione gravissima tueri potuisti. Viribus et armis quid potes? Inter sicarios versaris: quæ mens, quod consilium in tanta licentia gladiorum? Ibi te, mihi crede, esse oportet, ubi sunt boni et docti viri: quum præsertim domo exiveris, consummandorum studiorum gratia: et libri, quos de animorum immortalitate cœpisti scribere, non modo postulent, sed flagitent, ut abs te aliquando absolvantur: refer te sis ad mansuetiores Musas et ad homines redi cupidissimos tui. Lampridius mecum est totos dies: valde eius consuetudine et convictu delector: qui quum mihi integritate illa sua est iucundissimus, tum pietate in-

credibili in amicos: nullus est dies, quin de te faciat mentionem plenissimam desiderii. Pangit aliquid Pindaricum: nolo omnia; quum veneris, opus apparebit. Tantum dico, si properabis, multo maximam capies voluptatem. Quamobrem si nos amas, quantum profecto amas, ne sinas diutius nos duci exspectatione. Historiam meam abs te avide exspectari video. Non potest ista in me laudando inductio animi et voluntatis tuæ mihi esse non iucundissima: utinam id sit, quod dicis! quicquid certe nobis otii est, in ea consumimus. Quæ quum a te tantopere probetur, vide, quantum tibi tribuam: adducor in eam spem, ut putem posse aliquid fieri studio et diligentia mea. Quod in scheda scribis de Vergerio, si quid sciam, te ut faciam certiorem: sic habeto, hominem elegantem et urbanum esse Vergerium, amantissimum mei, studiosissimum similium tui. Quæris, ubi sit? mirum, ni in Germania est, apud Ferdinandum Regem: cui tu quum libros illos dicaris, nescio, quid profeceris. Sunt hoc tempore, si ignoras, occupatissimi Reges: nihilo tamen secius bono animo es. Si quid est, in quo Vergerius officio, gratia, auctoritate usui esse possit, erit id tibi ab illo unis meis literis omne promptum ac paratum.

Ep. XVII.

A. PALEARIUS JANO BENEDICTO LAMPRIDIO S. D.

Recentissimæ literæ tuæ Socini puero datæ periucundæ mihi fuerunt: sunt enim totæ litæ elegantia, et perfusæ eruditione, et *οἰκονομίαν* habent longe diversam ab epistolis aliorum, quam ego hoc tempore sequar, ne abs te constitutam videar velle rescindere, et imitari ludimagistros, quibus si adolescentes in disciplinam tradantur, omnia immutant, ut superiorum doctorum labor pereat. Dissimilis ista ratio scribendi sane mihi placet, et quia erudita, et quia varia est. Eruditio nemini molesta est. nisi imperito, varietas omnes in omnibus rebus delectat, maxime autem in

epistola, ea utar aliquando: numquam enim putabo me male operam posuisse, si te, quem omni studio sum complexus, mihi proponam ad imitandum: noli putare, me quicquam malle, quam ut fiam simillimus tui. Asspergis tu epistolas sæpe verbis et sententiis Græcis: veniam quidem tibi dant omnes opinione eruditionis, et sapientiæ. Ego si idem fecero, fortasse non ferar. Quid mihi acciderit, volo tibi commemorare. Scripsi ad Mafæum superioribus proximis diebus isto modo, statim homo me suo chirographo pupugit, et ad fratrem scribens Italice, risit, cui ego quum Thusce respondissem, non tulit, sed auctores laudavit Ubaldinum et Delium, ventosissimos homines, qui nunc Romæ regnant. Ii, quum quotidie quasi senatum cogerent, et amicis nostris pergerent esse molesti, iussi produci epistolas ad Atticum, in quibus Cicero id factitavit: quem quum intelligerent, quasi prædibus esse obstrictum, tacuerunt: sed ego omnia faciam intra modum. Cervinus quoque aiebat, literas nostras ἐλλυχνίων ὄζειν; id melius, quam ἀπαιδευσίας amet is se, quantum libet in Papavere suo, poemate obscœne scripto, versibus vulgaribus solutis. Nam aliud scripsit nihil, me certe æmulum non habebit: quid, inquies, vulgaribus? τὴν μέν τοι κακότητα καὶ ἰλαδόν ἐστιν ἑλέσθαι ῥηϊδίως, ὀλίγη μὲν ὁδὸς μάλα δ' ἐγγύθι ναίει. Sed in hoc sibi, non nobis peccat: illud me magis movet, quod in extrema epistola scribis: ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ κρατερόφρονος, ἀνδρὸς ἐν εὐνῇ. vides, qui in quæ asspirent? quæ si teneant, nihil melius tum, atque olim: angunt me tuæ querelæ, sed ego idem sum passus: fato aliquo fieri arbitror, ut nihil tibi adversi contingat, quod me quoque non exerceat. Sacellum habet meo ruri propinquum, ambigebamus de finibus, κυμινοπρίστης pedem pluris fecit, quam me: agrestes immisit, limitem disturbavit, terminos convellit. Istisne fidem habeas? valeant cum suis, quibus nihil est satis. De concilio rumores magni. Quid futurum sit, nescimus. Polus legatus est Tridentum, Flaminius una proficiscitur, una Priulus, et fortasse Carnesecius, animæ, quales neque candidiores terra tulit; conveni heroas Florentiæ.

Victorius nos amat, et amatur a nobis, totus est in rhetoricis Aristoteliis, commentarios scribit. Quid, quæris? veteres omnes, qui in iis ætatem consumpserunt vel exæquat vel exsuperat. Duo sunt hoc tempore in Italia, qui in scribendo excellunt, hic, et Manutius: Pauli epistolæ proxime accedunt ad Tullianas, quæ Bembi et Sadoleti erant in admiratione, desitæ sunt legi. Petri commentarii arculas Aristotelis aperuerunt, et, quæ desperaveramus Latine dici posse, dicta sunt Latine, et eleganter. Quod de Jovio rogas: senex satis belle historiam condit, in qua non modo res gestas, sed mores et instituta, non modo regum, sed prope omnium gentium, et nationum prosequitur suo quodam dicendi genere grandi, ac fuso et bene sonanti, a quo tamen sæpe abest castitas: tu vitæ fortasse dicis, ego etiam orationis. Julius Camillus theatrum exædificat magno sumptu: numquam fuit tanta conspiratio imperitorum, qui putant sine studio, ac labore Tulliane se posse scribere: ad signa stellarum errantium capsulis dispositis schedulas describit: hoc scitum est, mi Lampridi. *ἀνὴρ ὁ λογοδαίδαλος τοῦ Ἀριστίππου λαμβάνει βλένους, καὶ τοῦ Μίδου θηρεύει ὀνάγρους.* rides? non iocor: grandem pecuniam ab his coegit, quibuscum eloquentiam pollicetur concubituram: ecquid aliud? nescio, quid sum oblitus, ac volui dicere: redii in memoriam. Verpa iste tuus, non homo, sed truncus, quem ego in cœlum extuli, numquam ad meas literas respondit: is nunc cum T. Antipalo turpissime pepigisse dicitur: pro Nemesis, pro sancta Nemesis! nihil ei deesse video ad summum dedecus: sed ego fortasse nimium *σχεδιάζων*: tu vale, et me, ut soles, ama, et istis nos crebro exhilara suavissimis literis tuis.

Ep. XVIII.

BERNARDINUS MAFÆUS A. PALEARIO S. D.

Nisi mihi conscius essem rectæ atque constantis meæ in te voluntatis, pluribus tecum agerem, culpamque omnem

in quotidianas occupationes reiicerem, quod me altera iam epistola oppresserit, nec prioribus tuis literis responderim. Veruntamen, quum hæc in novis potius coniunctionibus quæri soleant, quam inveterata iam amicitia, qualis nostra est, desiderari, consulto prætermittam, veniamque ad literas tuas: quæ quidem, quod veterem tuum erga me amorem ac benevolentiam præ se ferrent, quodque humanitatis et officii essent plenissimæ, me mirifice delectarunt. Quod vero in iisdem doleas, propterea quod ad fratrem scribens, in epistolam tuam paulo liberius sim iocatus, quæ tota fere Græce scripta erat, quasi tuam mihi in eo genere eloquentiam ostentares: non parum mihi molestiæ attulerunt. Nam quæ, obsecro, nostra hæc erit amicitia? si loquendi inter nos, ac familiariter iocandi libertatem sustuleris? Neque mehercule umquam his me tecum necessitudinis vinculis asstrictum putavi, quæ ita levi de causa relaxari posse viderentur: quum nihil omnino a me in carissimi atque optimi fratris literis scriptum sit, quod boni cuiusquam animum potuisset offendere. Quamobrem, mi Aoni, si me tui amantem, si gratum, si non in amicitia levem atque inconstantem putas, velim ut ea, quæ tu duriuscule accipere visus es, in bonam partem accipias: quum non nisi ab optimo animo, tuique amicissimo profecta sint. Quod scribis, Lampridium nostrum, atque omnes plane necessarios meos, interdum mirari, me ita in scribendo negligentem effectum, et plane ab eo, qui isthic esse solebam, immutatum: nisi his omnibus et superioribus meis ad Barbarum literis accuratissime respondissem, et omnium, qui ad vos proficiscuntur testimoniis, Geriique nostri ista refelli ac refutari certo scirem, me tecum in præsentia quam diligentissime expurgarem: quum multas, atque illas quidem probabiles habeam rationes, in quas taciturnitatis meæ causas conferre possim: neque is sim, ut, quos semel in amicitiam meam receperim, atque illi mihi in amore ac benevolentia respondeant, eos subito mutata voluntate amare desinam; sed de his hactenus. Qui Mauro, tuo nomine salutem annunciaret, neminem ad-

huc reperi. Calendis enim Augusti assidua molestissimaque febri correptus, paucis post diebus exstinctus est: maxima quidem ingenii sui spe, desiderioque amicis relicto. Hæc sunt, quæ ad epistolam tuam haberem. Tu, velim, nihil de vetere illa nostra benevolentia detractum putes, meque amore illo tuo singulari ames. Interea vero plurimam meo nomine Bembo salutem dices: gratiasque ages, quod mei memoriam tanta cum benevolentia et humanitate conservet. Vale. Roma, tertio Nonas Martii.

Ep. XIX.

A. PALEARIUS BERNARDINO MAFÆO S. D.

Magnum mihi dolorem attulerunt literæ tuæ, in quibus neque me aperte accusare immutatæ erga te voluntatis audebas, neque affirmare constantis animi hominem. Nam, etsi erant illæ quidem totæ dulcissimis verbis scriptæ, quibus tu mirifice abundas: ex iis tamen longe alium sensum quendam eliciebam, qui norim acumen ingenii tui. Quod nisi ab Achille fratre literas ad te datas aliquando scirem, de sermone, quem cum illo habeo quotidie, et admiratione virtutis tuæ, qua tu Deus mihi quidam videri soles: et a patre integerrimo et clarissimo viro certiorem factum, de mea in vos omnes singulari benevolentia: dubitarem, te subvereri adhuc, me animo in te esse abalienato. Quodsi ex re potius, quam ex iocis epistolæ Thusce scriptæ, quibus illa lingua est refertissima, diiudicaveris, invenies profecto sanctissima et firmissima esse vincula amoris mei. Semper enim existimavi, amicitiam, quæ et iisdem et optimis studiis nata et alta esset, pulcherrime stantem, non posse re aliqua titubare. Quid autem in ea statuenda, ornanda, augenda, a patre tuo, optimo et sapientissimo viro, proficisci potuit, quod ab illo umquam prætermissum esse videatur? quæ vero a fratre tuo, qui me valde amat, et a me amatur suo merito plurimum, excogitari in diem possunt, quibus ille me tibi, et

tuis omnibus non asstringat? Quare, quum tu amicitia et beneficiis tantum apud me possis, quantum præterea nemo: cave putes, te mihi quemquam fuisse, aut esse cariorem. Nam, quod ad literas attinet, quæ a me Græce ad te scriptæ dicebantur, scito, eo consilio esse factum, quod quum Patavii quasi Athenis esses, et earum literarum incredibili studio tenereris, opinabar, te Græca libentius, quam nostra lecturum. Nam quid, Dii boni, in illis erat huiusmodi, in quo tibi eloquentiam, quæ mihi nulla umquam fuit, ostentare potuissem? At nunc sic habeas: quum Romæ sis, nullas a me nisi Latinas literas te esse accepturum. De Lampridio nostro puto te audivisse ex aliis, quanta cum laude proximis mensibus Demosthenis orationes nobis explicarit. Agebat enim omnes illos Senatores, quos ille nominat, ipsum vero Demosthenem eo gestu, eo vultu, ea vocis conformatione vehementem, plenum spiritus, plenum animi, vocibus sonantem, ut fieri nihil posset pulchrius. Quam vellem nobiscum, mi Mafæe, fuisses! scio ego, te omnem istam urbis magnificentiam, et popularem gloriam, cum una Lampridii interpretatiuncula non fuisse collaturum. Vale. Patavii, Calend. Februar.

AONII PALEARII VERULANI

EPISTOLARUM LIBER II.

Ep. I.

AON. PAL. VERULANUS J. SADOLETO S. P. D.

Quum superioribus annis in Hetruria essem, et mihi renunciaretur, te, quicum ego tam libenter viverem, quam cum Diis immortalibus, Verulis eo tempore fuisse: sic animo sum affectus, ut nullas umquam a fortuna mihi iniurias putarim factas esse maiores. Audiebam enim te, summa dignitate et sapientia Virum, Hieronymi, civis et amicissimi mei diversoriolum sane pusillum non contempsisse: hominum vero illorum ita sermonibus fuisse oblectatum, ut nihil fieri potuisset humanius. Quo quum ego post aliquot menses rediissem, et præclare multi de tua virtute, qua nihil est uberius, prædicarent, et acclamarent, Hiccine erat ille? quem Leo, quem Clemens, quem docti omnes? refricabant mihi desiderium tui: itaque fuit semper meus in te amor et observantia quædam singularis. Quamobrem non est, quod mirere, si, quum in ea quæstione, quæ de animorum immortalitate, essem satis implicatus, et pleraque e media philosophia mihi essent petenda: veritus, ne in aliquorum voculas incurrerem, te eius sive artis, sive studii, sive disciplinæ defensorem et propugnatorem egregium, mihi amicissime non dubitarim advocare. Nam, quum multa a te præclare scripta et perfecta sint, cave putes aliquid — excipio semper ea, quæ de divinis rebus a te scripta sunt — Phædro

tuo pulchrius potuisse excogitari: quod ex eo colligere licet, quod plurimis, fato nescio quo, amissis monimentis, quæ laudati viri maiores nobis reliquerant, nihil æque ac hi libelli, fuerit desideratum: quibus ab eloquentiæ deo M. Tullio philosophia collaudata et defensa esset. Neque vero, mehercle, quicquam erat miseris perditisque temporibus magna facta iactura, quod magis fortissimo patrocinio indigere videretur, quam philosophia, cui ornamenta omnia misere essent detracta: quæque olim in illustri doctorum hominum conspectu posita, iam locum, in quo consisteret, non haberet. Quo ego uno si te multis de causis non unice diligerem, sanctissime quidem colerem et observarem: cuius mei in te amoris et benevolentiæ testificandæ causa curavi hosce ipsos libellos meos, quales quales essent, per Lazarum tuum, doctissimum Virum, quo utor familiarissime, ad te mittendos: quum certo scirem, nihil in his esse ea industria, quæ te magnopere delectare possit, perfectum aut elaboratum. Vale. III. Idus Febr. Patavio.

Ep. II.

A. PALEARIUS J. SADOLETO S. D.

Etsi ea tua est humanitas, ut tantam in altero tanta dignitate Viro vix reperias: Patavio tamen discedens, epistolam meam ad te non sine Lazari tui literis volui mittere: non quod iis admodum egere me arbitrarer, sed quod ille ultro polliceretur, aperturum se mihi fores benevolentiæ tuæ: noluì ego aspernari boni Viri meique studiosissimi officium. Erant cum iis libelli mei de animorum immortalitate: qui etsi digni non videbantur, ut a te homine doctissimo legerentur: putabam tamen, quum te amantissime in secundo libro appellarim, aliquid hoc ad amorem erga te meum declarandum posse attinere. Itaque quum illi ipsi ab Orgetorige mihi missi essent, et tabellarius Gallus quidam legati

Regii istuc venire diceretur, et temporis satis non haberem, ut eos legerem, misi ad te non emendatos: quos quum post aliquot dies legissem, deprehendi errata quædam typographi culpa, quæ me maximis molestiis affecerunt. Ea, quæ sint, ex libellis his, quos ad Gryphium mittimus, cognoscere poteris: et illos ipsos, quos ad te miseram, emendare. Hoc animi angore, qui melius me liberare possit, quam Gryphius, novi neminem. Turpe enim mihi videtur, in his, quæ primum legenda nostris hominibus dedimus, posse multa desiderari. Itaque petii ab eo per literas, ut in re mihi tam necessaria deesse nolit. Potest enim suo commodo, poematis nostrorum hominum, qui Christianas res scripserint, libellos nostros adiungere: quod ego me consecuturum omnino non puto, nisi cum his fuerint aliquæ literæ tuæ ad illum commendatitiæ. Quamobrem, etsi a viro uno omnium doctissimo et sanctissimo, quid quisque petat, est etiam atque etiam cogitandum: non tamen dubito id a te petere, quod mihi maxime est utile, maximeque necessarium: ut intelligat Gryphius, non deesse his libris patrocinium et gratiam tuam. Qua in re pluribus ego te orarem, nisi libellis ipsis ornandis aliquid te quoque præstare debere existimarem: non quod præclarum sane aliquid habeant, sed quod sint illi quidem testes amoris erga te mei. Vale. Senis.

Ep. III.

J. SADOLETUS AONIO PALEARIO S. D.

Serius accepi literas tuas. Datæ enim illæ III. Idus Februarias, mihi medio ferme Maio sunt redditæ: quibus perlectis, equidem valde lætatus sum, cum tali ingenio, quale tuum mihi iam perspectum est, talem etiam animum erga me plenum amoris et desiderii coniunctum esse. Quid enim est rerum omnino omnium, quod mihi bonorum et doctorum benevolentia videatur optabilius? Itaque quum epistolam tuam primo legissem, eaque mihi vehementer placuisset —

est enim et suaviter et ornate, et peramanter scripta — ab illius statim lectione ad poema tuum me contuli, totumque perlegi triduo, singulis videlicet libris in singulos dies collatis. De quo, ut tibi vere exponam, quod sentio, hoc iudicii feci, eorum qui in eo genere voluerunt esse, sane quam paucos, et nostra et superiore memoria, æque eleganter scripsisse, atque te: eruditius certe neminem. In quo mihi illud mirifice probatum est, quod hæc tua scripta non accersitis fucosisque argumentis, neque quo magis poetica videantur, a vetusta illiusmodi Deorum fabulositate repetitis: sed sancta et vera religione condita sunt. Ut, quemadmodum vultus pacatus et constans in homine, bene affectæ mentis, et probi animi est indicium: sic tua ista eximia erga Deum pietas, quæ sese in tuis scriptis primam offert, nos cogit de te, deque omni sensu animi tui, excellenteque doctrina præclare existimare. Ac cætera quidem tuum carmen mire mihi satisfecit. Video enim, quos imiteris: quid referre in tuis scriptis, et exprimere conere: tibique neque in eligendo iudicium, neque in conando fructum laboris tui abesse intelligo. Perspicio etiam verborum elegantiam, sententiarum acumen, numerique apta et varia compositione delector. Sunt enim ista omnia in te ita studio et cura elaborata, ut sint ubique nihilominus ingenii luminibus lita. Illud unum interdum, quamquam admodum raro, desidero, quod cupissem nonnulla a te disseri explanatius, quibus nunc percipiendis mens nostra aliquantulum laborat. Atque illa — ne forte mihi Lucretianum modum dicendi opponas — non sunt ex eo genere, quod difficultate rerum, quæ tractantur, suapte sponte obscurum prope necessario sit, in quo solet iusta esse scribentibus excusatio: sed e medio quædam sumpta, compressius abs te dicta sunt, quæ dilatari et patere melius voluissem: neque ea tamen tam multa, ut pertimescas. Sed fortasse ut nodus robur, et ut nævus decus aliquando atque ornatum pulchro corpori afferre solet: sic plerisque illa poterunt videri idcirco esse quæsita, quod cursus nostræ cogitationis, fluentis in facilitate orationis, apte

illis interdum tamquam salebris retinetur. Quod quidem ad veras laudes egregie compositi carminis pertinet, totum tibi ita tribuo, ut hoc plane confirmem, nihil me his aliquot iam annis in eo genere editum legisse libentius. Itaque te iam ne hortor quidem, ut, quo itinere instituisti, eodem porro pergas. Satis enim tibi incitamenti quum iudicium de te, exspectatioque hominum: tum fructus ille ingenii suavissimus, qui in pangendo maxime et in commentando percipitur, debet afferre: qui, etsi omnibus eruditis datus est, quum hi aliquid ex sese procreant atque gignunt, uberior tamen adest poetis. Quamquam ego te non poetam magis, quam oratorem esse statuo: cuius rei facio ex epistola tua coniecturam. Ea enim ita commode et concinniter scripta est, ut facile intelligam, te, utrum velis, et suscipere et posse præstare. De me vero, quem tu tantopere in tuis scriptis ornas, eoque honore afficis, quo maiore nemo afficere quemquam potest, quid dicam, vix reperire mihi posse videor. Nam, si eas in me laudes agnoscam, quas tu mihi tribuis, timeo, ne arrogans: sin repudiem plane atque reiiciam, vereor ne ingratus adversus te sim, quum de tuo iudicio ipse detraham, eo ipso, unde sim ornatus. Quamobrem, ut in difficili eiusmodi causa, ad id me vertam, quod meo pudori maxime est consentaneum: ut tibi agam pro tua ista humanitate et erga me benevolentia gratias: meque tibi hoc nomine obstrictum esse confitear. Quod facio equidem et libens facio: tibique persuasissimum esse cupio, te a me singulariter amari, vel ingenii et virtutis et probitatis tuæ causa, vel eius officii atque amoris, quo me ipse prosequeris: vel quod eorum et temporum et hominum in tuis literis mentio facta est, quorum meam et memoriam, et erga illos benevolentiam, dies numquam delere oblivione ulla potest. Ut præter id, quod tuo nomine tibi debeo, quantum etiam illos dilexi, totum in te persequar. Quo me in te animo esse, si usus venerit, re ipsa experiundoque cognosces. Vale, Carpentoracti. VI. Cal. Jun.

Ep. IV.

A. PALEARIUS PETRO MELLINO S. D.

Nisi me vel virtus tua, vel familiæ dignitas sæpe invitasset, ut magnopere desiderarem haberi aliquando in tuis: vel hoc ipsum satis esse poterat, quod Ambrosius noster, quem iustis de causis valde amo, quotiescunque ad me scribit — scribit autem fere quotidie — de præclaro isto animi tui sensu, et benevolentia quadam ingenua erga eruditos homines, iucunde et libenter mihi sane multa: quibus fit, ut diuturni mei desiderii igniculus in dies crescat, amemque te pro ista animi tui præstantia, amore non mediocri, sed singulari quodam et incredibili: non quod ego in Viris doctis, quales apud te semper sunt, numerari me umquam somniarim, in quod quidem non asspiro: sed quod eorum hominum sim tam studiosus, quam qui maxime: quo minus enim ingenio possum, huiusmodi mihi diligentiam subsidio comparavi, ut eorum dicar studiosus, putemque ex eo bonum nomen posse me consequi. Nam, quum de fortissimis, et clarissimis viris, quibus civitas tua semper floruit, multa narrantur: nonnulla non modo de necessariis, sed de libertis servisque eorum dici necesse est, ita ut non minus hi, quam illi splendorem adepti, vulgo legantur. Quamobrem eos omnes colo, et observo, qui animo isto tuo sunt in bonos et doctos Viros: qui quum perpauci fuerint, et sint tui similes perdiu nulli, eo a me amaris vehementius: velimque hanc animi mei declarationem neque vulgarem, neque adulationis nomine susspectam existimes, cuius te plane hostem esse intelligo: sed recta ratione ortam, ad complectendam istam animi tui nobilitatem. Qua fretus, scripsi ad te, non ut solet, qui novis amicitiis cupiat illigari, sed, qui sane in veteri optimi cuiusque necessitudine fuerit confirmatus: voluique potius desiderari verecundiam meam, quæ natura ipsa mihi tributa est: quam meam a me diligentiam requiri, quod eam minus contulissem ad coniunctionem amoris erga me tui: præsertim quum Ambrosius ipse, et omnes, qui ist-

hinc veniunt amici, significent, libellos meos de Animorum immortalitate iecisse apud te fundamenta quædam benevolentiæ, quod scilicet ob studiorum nostrorum similitudinem te valde delectassent. Quod quum ab uno et item altero accepissem, sustuli ego manus. Visum enim mihi hoc non fortuitum, sed divinum. Itaque nihil est, quin te summa dignitate Virum, antiquis moribus, non vulgari doctrina, toto animo amplectar: oremque, ut, cuius fores a te ipso tam humaniter mihi apertæ sunt, insinuatum penitus sinas me in ea benevolentia diutissime conquiescere. Vale. VIII. Calendas Novembris.

Ep. V.

P. MELLINUS AONIO PALEARIO S. D.

Uter nostrum in expetenda et omni studio comparanda mutua inter nos coniunctione et benevolentia avidior fuerit, contenderem sane dubium: nisi in eo quod præveneris, te facile superiorem per me ipse intelligam, et me præventum doleam non mediocriter. Nam quod ad reliquum attinet, nec tibi concedam libenter, neque nisi me amor fallit, errare in eo me aut decipi putem. Quum primum enim fragrantissimum tuarum virtutum odorem sensi, iucundissimumque tuarum lucubrationum saporem, tanta sum repente delectatione perfusus, et admiratione simul affectus, ut quem amem magis, magisque admirer, habeam neminem: quem æque, vix reperiam alterum. A me autem quid ad te tale? Virtute igitur, et diligentia superasti: amore autem et benevolentia, ignoscas velim, nihil est quod contendas. Quod autem Ambrosius noster, mihi tum affinitate, tum longa consuetudine morumque integritate coniunctissimus, ad te de meo tuorum monumentorum iudicio præscripsit: fecit id quidem amice, ut solet: neque quicquam est de mea erga te voluntate, meoque de te iudicio mentitus. In eo tamen mihi non satisfacio, quod non eo sum ingenio, non ea elo-

quentia præditus et eruditione, quæ in te video esse illustria, ut iis qui tua nondum legerint, persuadere facile, aut digne satis pro merito tuo, egregias laudes tuas oratione exornare possim. Debeo tamen illis plurimum, qui ea inter nos iecerunt benevolentiæ semina: quæ eo uberiores fructus ferent, quo melioribus iacta principiis, meliore quotidie cultu, maturioreque industria excolentur. Illud igitur tibi affirmo, te apud me semper non eo solum honoris et amoris gradu futurum, quo olim apud priscos illos Romanos nostros habiti sunt illorum plurimi, quos et tu commemorasti, et viget illorum memoria sempiterna: sed et quid diuturna familiaritate arctissimaque consuetudine, communique animorum ac studiorum ardore alti, educati, perfectò mox confirmati iudicio, sanctam inter se vitæ huius societatem tenent: ita, ut te non in amicitiam meam recens receptum velim putes, sed tamquam in veterem, non animorum alienatione, sed locorum et incertæ peregrinationis intervallo distractam, ex insperato revocatum: tibique non primas benevolentiæ fores, sed amantissimi animi adyta esse reserata. Poteris itaque in posterum omnia tibi ipsi de mea fide, opera et observantia polliceri, quæ ab amicissimo, tuique similium studiosissimo exspectari possunt. Hæc dum scriberem, aderat una mecum Pierius meus, Vitalis item et Cursius, tui: qui præter ea, quæ de doctrina tua honorifice dicta sunt, multa de ingenii tui amœnitate, deque morum suavitate, et integritate vitæ prædicarunt: quæ omnia nostræ erga te benevolentiæ cumulum, si quo fieri pacto poterat, cumulatiorem reddidere. Vale, Romæ. XIV. Calend. Decembris.

Ep. VI.

A. PALEARIUS P. SADOLETO S. D.

Quam vellem, Cal. Juniis Volaterris fuisses; delectasset enim te mirum in modum sermo Marii tui: homo scilicet cuivis tempori perurbanus. Antequam tuas literas legisset, ex-

ceperat me, atque antiquissimum hospitem familiæ suæ. Lecta vero epistola, a te peramanter scripta, noli quærere, qua me caritate, et animi propensione amicissime est complexus. Deinde percontatus de statu curiæ, multa de patrui tui, sanctissimi viri, laudibus, deque amicorum suorum suavissimis moribus iucunde mihi narrabat. Post autem quum in horum temporum mentionem incidisset, sic libere detestari, sic graviter conqueri, sic Christiane deplorare hominum ingenia: ut mihi liqueat, nihil illo episcopo hisce aliquot annis me vel vidisse, vel audisse, quod commonuerit, aut commoverit magis. Quum vero de tui ingenii exspectatione aliqua a me verissime referrentur, quantumque in studiis istis liberalibus profecisses, cumulavi senem omnibus lætitiis. Summa est enim exspectatio tui, tum quod id ætatis præclaram eruditionem consecutus videare: tum quod patruum habeas clarissimum virum, qui etsi nihil agit, nihil cogitat aliud, nisi quod ad Christum pertineat: elegantissimo tamen dicendi genere oblectatus, id quod nemini maiorum contigisse video, mirifice semper eloquentiam cum sapientia coniunxit. Nam quo sanctissimam facultatem acuti potius quam eruditi homines, in tenebras coniecerant, et in profundo abstruserant, ita ut sacris literis sempiterna prope nox offusa videretur: eo ille dignus est omni laude, cuius ope lucem in his respicere cœperimus. Dicam enim, ut soleo, libere, mi Paule: fuit aliquando vitiosum et captiosum hominum genus, qui aut ostentationis aut quæstus causa obduxerunt tenebras rebus clarissimis. Quodsi in philosophia tantum humana illa fecissent, essent fortasse ferendi. At quum divinam istam, qua vivimus, unde lucem haurimus, per quam ad superos accedimus, magnis voluminibus et contentiosis quæstionibus oppresserint: probent, qui velint, perquam boni certe non probant. Sunt aliqui etenim adhuc, qui veluti noctuæ in latebris gestientes, luce oblata ingemiscunt: a quibus, ut inepti esse desinant, non est requirendum. Iis primus restitit patruus tuus, primusque docuit nostros homines, res sacras et Latine et distincte et ornate dicere: qui nunc, quum ad Christianæ Reipublicæ

gubernacula accesserit, verentur boni studiorum illorum remissionem. Nam quæ, malum, fatales rerum omnium perturbationes subito confluxerunt? Jura divina, et instituta prima illa salutaria, quæ maiores nostri summa observantia coli voluerunt, ecquis non pervertit? Populi crudeli dominatu premuntur, boni temporum causa hiscere non audent. Christianæ pietatis umbram fortasse tenemus, pietatem iamdiu nullam. Ardet Gallia belli quanta potest contentione, finitimis exitiabili et calamitosa: Germania seditionibus perturbata est, rerum novarum studiosissima: Italia incertis rumoribus servit, et levissimis auditionibus commota, maiores Galliæ et Hispaniæ motus exspectat: Parthi, hostes Christiani nominis sempiterni, terra marique exercitu comparato venire dicuntur. Tu vide iam, quibus negotiis distineatur patruus tuus, ad quos labores vocatus sit, quot illum impediant sollicitudines: ut quidem certe firmissima hominum opinio sit, in eo gradu collocatum privatis studiis non posse vacare, sine maxima operæ publicæ iactura. Tibi igitur studia illa reservantur: deditque Deus animum, ut, quæ ille in Carpentoractis luce atque otio commentabatur, tu prosequare. Ad quæ te ipse cohortari debes, curamque et cogitationem suscipere dignissimam ingenio isto excellenti et industria tua. Vale, Senis III. Idus Junias.

Ep. VII.

A. PALEARIUS ENNIO PHILONARDO CARDINALI VERULANO S. D.

Neque humanitatis, neque sapientiæ tuæ oblitus, qua ad Deos proxime accedis, rem diligentissime perpendendam facturus, nihil ad te literarum dedi. Quem enim melius consulere potuissem, quam virum sapientem, fortunæ accessionibus probatum, sua virtute in altissimum locum provectum, et cuius præterea semper in me beneficia singularia quædam exstiterunt? Verum enimvero, quum Romæ superiore anno

fuissem, qui sat mihi visus sum in ea re cognovisse sensum animi tui, subpudebat me, nunc etiam per literas quærere eadem, quæ ego coram ex te audivissem. Nam in sermonibus nostris quotidianis quum dixissem, me pertæsum iam temporum nostrorum, et nihil magis desiderare, quam vere Christiane vivere, et propterea urgeri Pauli dicto *εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν. κρεῖσσον γάρ ἐστι γαμῆσαι, ἢ πυροῦσθαι*: probasti maiorem in modum sententiam meam, eamque opinionem neque novam esse, neque futilem, affirmabas: sed ex antiquissimis institutis, et sanctissimis literarum monimentis repetitam. Quam ob rem quum in Hetruriam rediissem, et emissem Cecinianum, A. Cecinæ Volaterrani scilicet villam, eius ipsius, cuius causam egit M. Tullius noster Arpinas ad Recuperatores: facile me vinci passus sum ab amicis, qui, ut ad uxorem animum appellerem, cohortabantur. Etenim hæc ipse mecum recta reputabam via. Hem habeo hic neminem neque cognatum, neque affinem: quartum annum ago et tricesimum: nonnumquam minus belle habeo: Hetrusci mores placent. Quid causæ est, cur adolescentulam, optimis parentibus bene et pudice educatam, non ducam in uxorem? præsertim quum Cecinianum, quo aliquando remotum ab oculis populi ad scribendi studium conferre ego me statueram, fit intra fines Collinos: Collini municipes me summis honoribus affecerint: Collinum oppidum placeat, quum loci salubritate, tum ædificiorum descriptione, tum hominum commercio non inurbano, tum quod Senensium civitati sit proximum, et a totius Hetruriæ florentissima urbe non longe absit. His de causis cessi amicorum precibus, qui a me id summa iam contentione efflagitabant. Quod nisi me adhuc pungeret quasi aculeis pietas quædam meorum, et mirum desiderium tui, viderer non inepte vitæ meæ rationem instituisse. Nunc autem quum a te summo et sapientissimo viro, quem semper omni studio colui et observavi, tam longe absim: dispeream, si quid est, quod me valde delectare possit. De sororis meæ filio quod scribis, equidem et cupio et debeo,

at his eruditis temporibus, studia hæc literarum non vulgarium incredibiles quosdam animorum motus, et celeritatem ingeniorum desiderant: quæ quum in illo sint vel mediocria, valetudine etiam et natura infirmiore, cohortabar eum ad medicinæ artem. Nam etsi medicum philosophiæ non omnino expertem esse oportet, non tamen necesse est et Græcæ et Latinæ linguæ abundare omnibus ornamentis, et in castitatem illam orationis incredibilem laborem insumere: æque atque oratorem, poetam, et germanum philosophum, gloriæ et laudis avidiorem. Sed quid ego ad te hæc, inter magnos et eruditos viros, omni tempore summa cum laude versatum? Reliqua si qua sunt, scribam ad patruelem meum; ita tamen, ut intelligat, magnum apud me pondus habuisse commendationem tuam. Vale, Senis, Calend. Martiis.

Ep. VIII.

A. PALEARIUS J. SADOLETO CARDINALI S. D.

Quum superiore anno emissem villam, quæ fuit A. Cecinæ, in agro Volaterrano, cuperemque eam emptionem mihi bene et feliciter evenire, omnia prope assequi visus sum: quod qui te diligentissime colit et observat, Lucam Volaterranum, qui fuit Episcopus Anagninus, comperi Vicinum: is omne tempus, quod ab sacrorum confectione et divinis precationibus datur, partim in sanctissimis Theologiæ studiis, inque iucundissima de cultura agri lectione consumit, oblectatque se mirum in modum in prædiolo fructuoso et peramœno exornando: homo certe Christianus, publicis muneribus exercitus, ita ab ambitione abest, ut privata villula vel rusticana quicquam neget esse suavius: agricultura vero nihil putat esse, quod hominem liberum magis delectare possit, nihil, in quo vir bonus possit esse felicior omni otio et tranquillitate. Quæ quum ab illo sæpe et ex animo dicuntur, Xenophontium illud ob agri cultionem de Cyro in mentem venit: *δικαίως μοι δοκεῖς, ὦ Κῦρε, εὐδαίμων εἶναι.*

ἀγαθὸς γὰρ ἂν ἀνὴρ εὐδαιμονεῖς. Quare frequens sum in Ceciniano, ut loci amœnitate, et hominis bene docti, et tui amantissimi sermonibus perfruar. Is me sæpe rogat, si quid de te acceperim. Sollicitus est enim, quod dixi, vereri me, ne hoc labore itineris multorum dierum, si cum collegis profectus es, defatigere, quo minus valens sis, quod Deus prohibeat: præsertim, quum superiore anno ægrotaveris, et purgationibus et vi morbi non esses satis firmus. Itaque amicissime mecum desiderat, ut bene valeas: eaque de te perferantur, quæ nos volumus, et omnes tui. Habet is negotium, in quo sperat bonos sibi non defuturos. Te vero, per quem rem transactam dicit, quia optimus es, adiutorem singularem, et hoc ipso in negotio optatum et perspectum profitetur: putatque omnino tibi suo nomine gratias agendas, quod omnibus iuveris. Causa huiusmodi est, ut spes omnis sit in deprecatoribus, et commendatione bonorum. Abdicavit sese homo episcopatu: dignitatem, auctoritatemque, et cætera, quæ ex eo consequi poterat, libentissime aliis concessit. Quæ ex hoc ipso adpromissa sunt tenuia et exigua, vellet sibi, non ut ex sponso, sed a summo Pontifice, ad cuius pedes sese abiicit, quasi condonari. Ea de re oravit me, ut scriberem literas commendatitias, gnarus, qua te reverentia et observatione colam: qua te in literarum et virtutum omnium excellentia, qua in fortunæ accessionibus humanitate esse prædicem: qua fretus, sperat has literas aliquod habituras apud te pondus. Itaque facio, quod ille petit, et lubens facio: eumque virum bonum, et in primis Christianum, et tui amantissimum, tibi commendo. Vale. Ex Ceciniano, III. Nonas Quintilis.

Ep. IX.

A. PALEARIUS LUCÆ JOANNINO EPISCOPO S. D.

Quum superioribus diebus me ad cœnam invitasses, quo melius et divinius, uti soles, cœnaremus, appositus est in se-

cunda mensa libellus de uxore ducenda. Quem quum avidissime legere cœpissem, legati ineptissimi de re frumentaria interturbaverunt: neque mehercule memini vidisse, aut audisse oppidanos loquaciores, et qui tantos spiritus in re tenui sibi sumant. Itaque abii cum stomacho in Cecinianum. Quo quum pervenissem, legi diligentissime libellum, quem mecum attuleram. De quo, quid sentiam, quoniam id petis, ut libere dicam, video primum, quod tu ipse mihi narrabas, in ea parte, quæ inventio dicitur, summum iuvenis ingenium: in ea, quæ dispositio appellatur, non vulgare iudicium: orationem deinde vehementem, quam ego mallem interdum paulo sedatiorem, et numeris quibusdam oratoriis potius quam poeticis fluere, omnino puram et solutam: quod huic erat perfacile, siquidem verborum nitore mirifice delectatur, quod in Joviniano et Augustino desideres, qui de re hac eadem cumulatissime scripserunt: ita tamen, ut Theologos potius quam oratores aut philosophos, possis agnoscere. Quodsi Guidius tuus, et iam noster, ea argumenta adiunxisset, et oratione illustrasset, quæ ab illis adducuntur e scriptis, quæ *κανονικά* appellantur, cave putes quicquam pulchrius potuisse excogitari. Etenim, quæ ab illo ex poetarum et philosophorum monimentis repetita sunt, sic apte ornateque dicuntur, ut spes mihi iniecta sit, ab eodem iisdem ornamentis atque luminibus genus hoc scriptionum, de coniugio, a Latinis theologis inculte horrideque tractatum posse perpoliri. Ad hoc tu iuvenem tua dignitate et auctoritate, qua te colit et observat, cohortari debes. Nam quod ex hoc libello augurari possum, non fallet opinionem tuam. Vale, ex Ceciniano.

Ep. X.

A. PALEARIUS PETRO VICTORIO S. D.

M. Casalis, qui te mirifice diligit, officia iucunda mihi sæpe fuerunt: ea vero multo iucundissima, quæ ab illo pro-

fecta sunt superioribus diebus. Quum enim Florentiæ esset, salutavit te meo nomine, quem ob præclaram eruditionem semper colui et observavi. Idem rediens, tuis verbis mihi salutem dixit. Quo facto, eam quam exspectabam tenere occasionem visus sum, ut ad te aliquid literarum darem, in quibus declararem amorem erga te meum. Multæ enim sunt causæ, quibus de causis ego te valde amo. Primum, quod iis studiis excellas, quæ me a pueritia magnopere delectarunt: deinde, quod Jano Lampridio et Marcello Cervino, optimis viris et mei amantissimis uteris, ut audio, perfamiliariter: qui, quum de ingenii tui suavitatibus sæpe mihi prædicarint sane multa, subpudet me antehac numquam ad te scripsisse: præsertim, quum tam vicinus esses, ut facile meas literas quotidie posses accipere, et ego tuas: quum item usu venisset venire ad te, qui abes iter unius diei. Quod quidem aliquando faciam, ut expleam hoc desiderium, et quem virtute mihi amandum proposui, præsens videam et agnoscam. Interea velim me reponas in tuis, ducasque in numero necessariorum, vel coniunctissimorum: existimesque nihil me putare iucundius literis tuis. Quæ si aliquando ad me perferentur, erunt illæ quidem allevationes sollicitudinum mearum: et fortasse efficient, ne a studiis istis doctrinarum liberalium domesticis negotiis totus abducar: eritque Diis gratia, quod non omnia male cadant: quod quum iamdiu absim a meis caris, optimisque amicis, in Hetruria repererim non modo illarum artium bene peritum virum, sed etiam affluentem omni ornamento mansuetudinis et humanitatis. Vale. VIII. Calendas Januarias, ex municipio Collino.

Ep. XI.

P. VICTORIUS AONIO PALEARIO S. D.

Fecit humaniter Casalis, qui te meo nomine, quemadmodum volebam, diligentissime salutavit: et est homo om-

nium officiosissimus. Venit ad me ille domum, quum antea eum non cognossem: statimque post ea verba, quæ primus ille congressus requirere videbatur, honorificum de te sermonem habuit, et mihi suavissimum: multaque de humanitate, mansuetudine tua, morum denique elegantia exposuit. Ingenium enim et doctrina mihi, quemadmodum omnibus, qui ingenuis studiis delectantur, iampridem cognita erat: quæ sane ille amore quodam tui, et studio inflammatus, ex animo faciebat, et uberrime ac verissime facere poterat. Ego libenter et cum voluptate audiebam; valde enim tuis laudibus delector. Renovatus est igitur in me amor, quo te antea plurimum prosequebar: vel ut rectius loquar, ortus et repente excitatus. Antea enim te propter ingenii tui magnitudinem, et incredibilem eruditionem, quæ ex gravi illo tuo et plane divino poemate mihi perspecta erant, tantummodo admirabar, quemadmodum debebam: amare non audebam. Nec enim facile poteram. Est enim consuetudinis hoc verbum, et eorum, qui aliquibus vinculis inter se officiorum coniuncti sunt: si non familiaritatis, at voluntatum saltem, et studiorum. Postquam vero intellexi, te tanta benignitate præditum esse, quantam mihi probus ille senex prædicavit, et a me non abhorrere sensi: mirificus quidam amor subito exortus est: quod nisi multis et molestissimis negotiis eo tempore impeditus fuissem, hoc etiam benevolentiæ et liberalitatis tuæ indicium tibi præripuissem, nec sivissem me a te humanitate et benignitate vinci. Nec tamen me a te victum esse hac in re moleste fero: quem facile in aliis etiam rebus a te vinci et superari posse scio, et gaudeo. Literæ postea tuæ humanissimæ et elegantissimæ, magnum cumulum amori illi iam suscepto attulerunt, et eum incredibiliter auxerunt: ut quæ plene morum tuorum elegantiam et suavitatem mihi significarent, et aperte exponerent animi tui in me propensionem: quæ magis ex naturæ tuæ bonitate quam ex meis ullis meritis orta est. Quare scias, te mihi carissimum esse: et paucos esse, quos æque ac te amem et observem. Quodsi

aliqua mihi occasio dabitur, efficiam profecto studio ac diligentia mea, ut quem tu antea tantum propter amorem in me, ac studia amicorum tuorum, optimorum quidem illorum virorum, ac doctissimorum amasti: meritis etiam et officiis meis aliquantulum diligas. Quare nunc sunt tuæ partes, ut mihi ostendas, quomodo ego huic desiderio meo ac debito erga te tatisfacere possim: et in nulla re, in qua tibi opera mea utilis esse possit, labori meo parcas. Vale, et me ama. XI. Calend. Februarias.

Ep. XII.

A. PALEARIUS PETRO VICTORIO S. D.

Etsi tua virtus me satis allicere potuit ad amandum: fecerunt tamen hoc literæ cumulatius, in quibus inerat effigies humanitatis expressa, et quædam animi tui imago non muta, quam mihi de te sæpe proposueram. Neque enim umquam dubitavi, si quando ad te scripsissem, accepturum me literas Victorio dignas: et tua si opera uti contigisset, habere amicum paratum, et adiutorem singularem. Etenim viri hoc est in primis, qui in artium studiis liberalissimisque disciplinis optime versetur, non fallere opinionem studiosorum sui. At mehercules tale mihi de spectrum excitavi, etsi te numquam viderim, ut æque agnoscam, ac ea, quæ oculis quotidie cerno: neque vero, licet absis, quicquam est mihi te præsentius: quod credo fit, quod præter te in Hetruria vix alterum habeo, in quo cum summa eruditione germanam eloquentiam videam esse coniunctam. Nam ut multis multa concedamus, nonnulli in Dialecticis exercitati, Physica non ignorant: at in iis, Dii boni, quam nullus dicendi usus et exercitatio: sed bene sæpe admista barbaries, et duritas incredibilis quædam orationis. Multi sese ad sanctissimam disciplinam Theologorum conferunt, quæ quo serius accepta est a Latinis hominibus, eo in hanc cu-

ram erat magis incumbendum, ut illustraretur verborum omni elegantia, et numeri et sententiarum apta concinnitate, et ornamentis illis oratoriis, quibus delectari primum, rapi deinde, mox inflammari etiam animi possent: quorum quum ignari sint ii et expertes, abiiciunt se in tenebras, quas clarissimæ facultati, acuti potius Sophistæ, quam eruditi homines, multis seculis indignissime offuderunt. Complures ad Iuris civilis scientiam uberem et dissipatam balbutientes accedunt, quorum mentis acies ita perstricta est, ut non videant illos ipsos iurisconsultos, quos proxime ad Deos accedere arbitrantur, castum et Atticum dicendi genus summa Industria fuisse secutos. Post hos irrepserunt eruditulì quidam, qui in verborum inani volubilitate et superstitione omnia esse posita existimant: neque philosophiam, neque interiores literas umquam attingunt, quibus peream, si quid est impudentius. Nam etsi eloquentia a laudatis viris merito semper laudata est: nisi tamen societate quadam disciplinarum exornetur, in quarum ubertate pulcherrime alitur, nihil ea ieiunius potest excogitari. Quamobrem semper ego præstans ingenium, intelligensque iudicium tuum sum admiratus, quod utrumque sis peræque complexus, et dicendi scientiam et exquisitam doctrinam. Cuius utriusque desiderio flagrans, emi superiore anno A. Cecinæ villam, quæ fuit in agro Volaterrano, ut libris comparatis in bibliothecam me abderem. Sed hoc ipsum aliter evenit. Nam quum municipes Collini angustos fines habeant, emi Cecinianum multo carius quam æstimaram. Quare tametsi ea emptione bene emisse dicar, oppressus tamen ita sum ære alieno, ut quam ad studia literarum emeram, ea villa maxime ab iis ipsis me avocet, atque abducat: a qua perturbatione et sollicitudinum fluctibus si emersero umquam, si quis Deus liberaverit, referam profecto, et revocabo me ad egregias istas artes tuas. Interea Cecinianum meum non contemnas, quum loci salubritate, tum hominis tui amantissimi observantia. Collinum item oppidum pro diversorio tibi sit: quo, si quando res urbanæ fecerint satietatem,

curses, tamquam ad animi relaxationem. Fuit hic Philosophis mos, et oratoribus tuis, ut a civium oculis aliquo interdum concederent. Neque illud obieceris, quod peramœnæ villæ vestræ suburbanæ sint, quibuscum diversoriola nostra non sint conferenda. Villarum istarum magnificentiæ nemo non cedet: verum id ipsum, quod suburbanæ sint, dixerim esse impedimento, ne tranquillitate et otio illo frui omnino liceat. Multi officii causa convenient, nonnulli sciscitaturi, quid agas, aliqui etiam ut infaceto et multo sermone obtundant: quæ incommoda nihil est quod timeas in Ceciniano. Nisi illud fortasse, quod non spero, vereare: quod homo ibi sit, qui a latere numquam discedet, avidissimus iucundissimæ consuetudinis tuæ. Vale, ex Ceciniano. IX. Calend. Martias.

Ep. XIII.

A. PALEARIUS FRANCISCO VERINO S. D.

Quum te Virum semper in philosophia, quæ de natura est, summa cum laude versatum cum Victorio nostro convenissem, et cœnæ tempus instaret, res sane difficilis et perobscura in quæstionem vocari a te cœpta est: Ubi homines mortem obierint, quo eorum animi in statu sint, si cum corporibus non exstinguantur. Id ipsum *πρόβλημα*, dum in municipium redirem, mecum animo volvens, et quid respondissem recogitans, texi epistolam, qualem scribere possit non qui in philosophiæ cella penuaria sit, sed homo tui studiosus et amantissimus, qui equo revectus non prius domi assederit, quam ad te scripserit. Huius quæstionis explicationem physice pertractari non posse dixeram, quam tu posse dicebas: et habere te aliquid iam, quod, si plusculum fuisset temporis, nos valde delectare potuisset. Dii immortales: cur ego a te absum, Viro doctissimo? næ annum evolvens libros omnes Peripateticorum, non facile observarim locos, quos tu mihi unius horæ usura common-

strare potuisses. Quos ut mihi aperias aliquando, quum plus erit otii, veniam ad te: non discessurus, nisi pertractata omni ista quæstione, quam ego ad physicum philosophum spectare non arbitrabar, quod de Animo, aut Anima, — rem enim eandem Latini iis vocibus sæpe significant, — tamdiu possit disserere, quamdiu in plenæ absolutæque definitionis perceptione versetur, quæ est, *ψυχὴ ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ, ζωὴν ἔχοντος δυνάμει.* Itaque quum definit esse *ἐντελέχεια σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος*, definit de ea physicus cogitare: qui æque animi principatum et motus quosdam celeres, et vim quandam seiunctam ab his usitatis notisque naturis non potest nisi in corpore comprehendere atque illam ipsam præstantem, æternamque mentem, quæ principium est motionis, nisi in circulo atque orbe, quem Mobile primum appellant. Quodsi eius, quod movetur, considerationem sustuletis, eius quoque, qui moveat, agnitione Physicus omnino carebit: quod in eo perpendendo, quod movetur, eius omnis cogitatio sit posita et fixa, et iis finibus contenta sit ea philosophiæ pars, quæ Physice appellatur. Habent enim et artes ipsæ cancellos et terminos, extra quos egredi non licet. Quare veluti neque ante hanc cœli pulchritudinem, cuius initium quidam posuerunt, quis fuerit Deus, neque quis futurus sit post fatale mundi exitium, physicus proprie disputat: sic neque de anima, antequam in corpore sit, neque postquam e corpore abierit, si suis regionibus velit se continere, potest disputare. His ego adductus, in librorum meorum partitione dixi, me hac in re theologos summa industria fuisse secutum, qui mentes quasdam ab omni admistione corporis remotas ex disciplinæ ratione contemplentur. Habent quidem et illi documenta et signa, quibus collatis prodeant in aciem, et pulcherrime pugnent: habent et suasiones graves, et sinceras, et dulces, quibus nihil est divinius, nihil ad motus faciendos aptius: præsertim, quum propensi natura sint animi hominum ad eam scientiam, nihilque sit, quod iis pacem, consolationem, spem magis afferre possit, quam hæc una

facultas, si ineptissimorum hominum audacia in profundum demersa, Oratorum et Philosophorum præclaris ingeniis sublevetur. Vale, et doctissimis atque optimis viris, Campano et Victorio, salutem dic: meque, ut illos, ama. Ex municipio Collino, ad III. Idus Aprilis.

Ep. XIV.

EIDEM.

Quum exspectarem avidissime literas tuas pluribus verbis scriptas, allata est ad me schedula tuo nomine tribus, aut summum quatuor versiculis, in qua erat veluti novum atque inauditum, quod in scholis omnium philosophorum est tritum et prope vulgare: quod eo mihi te visum est indignius, quod id ipsum neque Græce neque Latine dicebatur. Existimavi, pro mea in te observantia, culpa tabellarii factum, qui fortasse prius abs te literas flagitarit, quam plane scribere potuisses. Nam tu quidem mature factus senex, Victorii scilicet opera usus, exuisti omnem barbariem: neque in eorum numero esse voluisti, qui ostentatione doctrinæ contenti sunt insignibus ambitiosorum. Tu, quod ego summa cum voluptate audivi, sero, sed diligenter didicisti literas Græcas: Latinas non sero; et tamen, ubi Latine aliquid non potes reddere, Thusce dicis. Amo te ob istuc factum non mediocriter: quod Milonis illud valde probem, *οὐχ ἕνεκα τῶν λόγων τὰ πράγματα συντελεῖσθαι, ἀλλ᾽ ἕνεκα τῶν πραγμάτων τοὺς λόγους.* Nihil refert vel Græce, vel Latine, vel Thusce dixeris, modo bene. Tam multæ sunt comprehensiones philosophorum, ut una lingua non sit satis: excutienda tamen nobis est negligentia, et ignavia quædam ne vocibus abutamur, ne immutemus, quos appellant, dicendi modos: non solum, quia maiores nostri, qui dixerunt omnia significantius, iis *τὴν αὐτῶν διάνοιαν* expresserunt: sed etiam ut posteris consulamus, ne novus illis exudandus sit labor, verborum usu et dicendi genere immutato. Hoc præstans

semper fuit Victorii mei iudicium, hoc aliquando Campani tui: quod si nos sequimur, obsecro te, ut a congressu nostro excludamus fecem philosophorum, simiolos istos cum annulo et toga, qui, quod barbare non sit dictum, non putant Aristotelium. Collegisti probe philosophi sententiam de animorum immortalitate ex libro tertio *περὶ ψυχῆς*, quam ego Græce malo, ne quid pervertam: *ὁ νοῦς χωριστός, καὶ ἀμιγὴς καὶ ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ* et paulo post: *χωρισθεὶς δέ ἐστι μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον*; et ex libro secundo *περὶ ζώων γενέσεως. λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον.* Quid, censes me hæc non legisse? An vero, quum homines Græci, Alexander, Themistius, Simplicius, hæc interpretati, fulgurare, tonare, permiscere omnia viderentur: et barbari interpretes, Averroes, Avicenna, ob hæc eadem certarent summa contentione: quumque semilatini, Thomas, Scotus, Pomponatii, Sinuessani, digladiarentur inter se, et quantum poterant voce contenderent, ut omnes exaudirent: unus ego numquam ad tantos clamores aurem intendi? Nempe in librorum meorum divisione legere potuisti: in secundo libro, Stoicorum, et, si quæ erant, Peripateticorum rationibus immortales esse hominum animos probavimus: neque puto illorum aliquod argumentum esse, quod eo libro non contineatur. Sumpta quædam sunt ab Aristotele studiosius. Nam illud,

> *Non aliquid mixtum, non concretum ex elementis,*
> *Sed purum, aeternum, quodque omni est tabe solutum,*

eo spectat, *ὁ νοῦς χωριστὸς, καὶ ἀμιγὴς, καὶ ἀπαθὴς, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον.* Vereor, ne tibi iam sim molestus. Venio igitur ad ea, quæ scribis. Scheda tua nihil habet eorum, quæ recepisti *ὕπεχε λόγον.* Dixisti, hanc quæstionem, ubi homines mortem obierint, quo eorum animi in statu sint, si cum corporibus non exstinguantur, physice pertractari posse: ego id sedulo negabam. Quid ais? tuum est ostendere, ab Aristotele id esse factum, dum

Physica tractavit. Quæ adduxisti, non conveniunt. Nam in his philosophus animi principia indagat, ut constituat *νοῦν τὸν μὲν ποιητικόν, τὸν δὲ παθητικόν*: quod alter *χωριστὸς καὶ ἀμιγὴς, καὶ ἀπαθὴς* sit in homine, quod Pomponacius deliciæ tuæ non potuit concoquere: alter *φθαρτός*, quod Lyncei quidam interpretes non viderunt. Id si propositum est Aristoteli, tu iam vide in his verbis: *ἐπεὶ δ' ὥσπερ ἐν ἁπάσῃ τῇ φύσει ἐστί τι τὸ μὲν ὕλη ἑκάστῳ γένει, τοῦτο δὲ ὅτι πάντα δυνάμει ἐκεῖνα: ἕτερον δὲ τὸ αἴτιον, καὶ ποιητικὸν τῷ ποιεῖν πάντα, οἷον ἡ τέχνη πρὸς τὴν ὕλην πέπονθεν: ἀνάγκη καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς. Καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς τῷ πάντα γίγνεσθαι, ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν.* Explorat ergo Philosophus, ut vides, *τὴν φύσιν, καὶ τὰς διαφορὰς ὑπαρχούσας ἐν τῇ ψυχῇ*: non id, quod tibi est propositum, ubi animi hominum sint, quum decesserint. Et in libro secundo *περὶ τῶν ζώων γενέσεως* vestigat ortum animi, *ὅτι θύραθεν.* Quamobrem quæstio illa longe abest a philosopho physico, non longe ab eo, qui tractat *τὰ μετὰ τὰ φυσικά.* Neque ego id temere ducor ad suspicandum. Aristoteles scriptum reliquit *τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ τῷ λ. εἰ δὲ καὶ ὕστερόν τι ὑπομένει, σκεπτέον. ἐπ' ἐνίων γὰρ οὐδὲν κωλύει, οἷον εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον, μὴ πᾶσα, ἀλλ' ὁ νοῦς. πᾶσαν γὰρ ἀδύνατον ἴσως.* Quo fretus audeo dicere Græce melius: nam Latine non invenio. *ψυχὴ μὲν ἡ νοητικὴ, πότερον αἰθερῶδες, ἢ οὔ; ἀΐδιον, ἢ οὔ; πρόβλημα εἶναι φυσικόν. ὅπου δὲ χωρισθεῖσα νοεῖ εἰδεῖν, ἑτέρας γε, φυσικῆς οὐδαμῶς εἶναι θεωρίας.*

Ep. XV.

A. PALEARIUS BARTHOLOMÆO PANCIATICO S. D.

Neque ego mearum virium tam audax æstimator sum, nec ita prorsus ignarus officiorum et incredibilis humanitatis tuæ, ut sperem, me verbis consequi posse partem aliquam gratiarum, quas a me tibi per literas agi necesse est.

Nam, quod tu is Vir, tanto studio et diligentia, tanta celeritate Lugduno ad me libros mittendos curasses, admirabar ego hominis humanissimi benignitatem. Verum quod eo beneficio accepto, nullis ad te literis ea de re missis, nulla gratia relata, iisdem fere diebus tam diligenter curaveris meas literas ad Gryphium perferendas, et altero beneficio liberalissime affeceris: agnovi ego divinitatem ingenii tui. Quid enim tam divinum est, quam eos, quos primis officiis iuveris, non respondentes, cumulare secundis et tertiis? neque desistere, neque stomachari prius, quam meritorum numero et magnitudine socordes, oscitantesque pupugeris, traxerisque in tui admirationem? Quamobrem magnum quiddam est, quod tibi debeo, magna item animi mei propensio in te: quam si satis declarare possem, præclare a me actum iri putarem. Nunc quum acceptis beneficiis sero gratias agam, neque iis oratoris verbis, quibus te delectari audio: quid restat, nisi in summa orationis paupertate summum mihi desiderium declarandi amoris mei? qua in re nisi Victorius meus, et idem tuus, adiuverit, ut meo nomine tibi gratias agat, frigidum sane ac ieiunum habebis gratiarum actorem, et laudatorem virtutis tuæ. Quod iste quidem melius facere poterit, cum ea ubertate et copia dicendi, quam ex omnium liberalium disciplinarum optimis studiis est consecutus: tum, quod præsentes omnia melius explicamus, habentque suam in agendo partem oculi, manus et pes: qua re adducti antiquissimi oratores, in actione prope omnia posita esse duxerunt. Quæ quum in isto sit non vulgaris, sed mirifica quædam, qualem in Socrate fuisse accepimus. Non dubitavi per literas petere, ut, quum recitaret tibi quandam mearum literarum partem, multa de suo adderet, quibus intelligeres, gratissima memoria prosequi me beneficium tuum: nihilque mihi fore iucundius, quam si quum usuvenerit, etsi per me parum aut nihil possum, experiare aliquando amorem meum. Vale, ex municipio Collino. XIV Cal. Maias.

Ep. XVI.

A. PALEARIUS PETRO BEMBO S. P. D.

Nisi ego gravitatem et animi tui magnitudinem probe nossem, facerem quod vulgus hominum solet, ut hac fortunæ accessione extra modum lætitia elatus tibi congratularer. At, quum hæc eadem munera tibi sæpe oblata sciam, abs te non modo non retenta, sed pulcherrime fuisse reiecta, non committam, ut animi tui admirabili continentiæ et integritati faciam tam insignem iniuriam, ut repentinum aliquod bonum, insperatum, improvisumque tibi obtigisse existimem. Quid enim tale fuit, quod quum in summorum Pontificum oculis habitares, non impetrasses cum gratia? Idque vel eo argumento maxime confirmari potest, quod tua opera præcipue usi fuerint nonnulli, qui horum ornamentorum desiderio tenebantur: quæ, quum per te consequuti fuissent, in te conferri non curabas, quod aliis, non tibi, iis muneribus, per te tamen condonatis, maiorem inde fieri existimabas auctoritatem, et dignitatem tuam. Huius liberalitatis bonitatisque memor Paulus pontifex, te in amplissimum ad agendum collegium cooptavit: in quo, si omnia ex te, et collega tuo sanctissimo et optimo Sadoleto penderent, felicissime eveniret Reipub. Christianæ. Nunc, quum ea Resp. regum, principumque civitatum culpa quasi æstu maritimo agitetur, subverentur boni omnes, vos miseris perditisque temporibus ita ad summos labores fuisse vocatos, ut necesse sit præclara illa studia, quæ ingenii suavitatibus ad cœlum extuleratis, vel remittere, vel omnino deserere. De quibus melius sperabamus, quod ea a vobis ipsis essent petenda, non aliunde: quum nihil esset, quod si voluissetis, non esset facile perfectum industria vestra. Nam, ut omittam, quæ ab illo sunt scripta divinitus: quid de historia tua dicam? Dii immortales, quantam exspectationem concitasti? qualem spem iniecisti hominibus nostris? ut seculum hoc miserum atque indignum, in quod incidimus, non dubitent felix atque aureum aliquando a posteris iri appel-

latum, in quo ea historiarum monimenta sempiternæ hominum memoriæ consecrata sint ingenio tuo. Hoc eo a me dici volo, ne patiare per Deos, te quibusvis muneribus ab iis scriptionibus avelli, quibus te et patriam et tempora illustrasti. Permulti deligi potuerunt, et fortasse delecti sunt, et his et superioribus temporibus, collegæ: at Sadoleti, at Bembi, perdiu nulli. Hoc item eo dico, quod pungat me quasi aculeis, iniquitas quorundam, qui homines hominibus præstare non intelligant. Atque utinam, postquam, ut vereor, literarum studiis multum ereptum est, accersitis ad gubernacula Reipublicæ duobus optimis et doctissimis viris: sic remittant aliqui spiritus, ut Pauli dicto sint audientes, *προφῆται δὲ ἢ δύο τρεῖς λαλήτωσαν, καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν.* Qualem enim rempublicam optamus et volumus, facile habebimus, si suum locum vestra virtus et dignitas obtinebit. In quo me illud consolatur, quod integerrimi et sapientissimi viri, qui plurimo doctrinæ studio et tractandæ Reipublicæ usu excellant, numquam melius dignosci poterant, quam asperis, difficillimisque temporibus, in summa rerum omnium perturbatione: in qua tu, qui puer, qui adolescens, qui iuvenis, qui vir liberales artes misere oppressas mirifice sublevasti, in ætatis maturitate loco excelso et illustri, in tanta omnium exspectatione, noli quærere, quantam spem bonis attuleris, in pristinum statum et dignitatem vindicandæ Reip. Christianæ. Vale.

Ep. XVII.

A. PALEARIUS ANTONIO PHILONARDO EPISCOPO VERULANO S. D.

Quod serius fortasse gratuler, quam debebam, agerem ego pluribus, quibus plane intelligere posses, caram atque iucundam mihi in primis semper fuisse dignitatem tuam: nisi illud unum, quod iam multos annos ab urbe absim, satis excusationis haberet, quo me facile tueri possum. Et-

enim ex iis incommodis, quibus me affici necesse est, ob ignorationem rerum urbanarum: hoc mihi gravissimum est, quod de iis nihil ad me perfertur, quorum gaudia solide ante omnes gauderem. Quod nisi proximis superioribus diebus Corsinius noster literas ad me plenas officii et humanitatis dedisset, attulissetque iucundissimum nuncium de dignitate tua: næ ego homo infelix essem, qui neque isthuc sero fecissem, quod diligentissime et maturrime facere debebam. Multæ enim sunt causæ, quibus tibi gratulari debeo, quod ad ἐπισκοπῆς amplitudinem sis provectus: in quibus illæ sunt vel iustissimæ, quod sanctissimi atque optimi Viri patrui tui singularia et maxima quædam beneficia semper in me exstiterunt: nihilque Perusiæ et Romæ in me ornando ab illo proficisci potuit, quod non sit profectum: cuius quum singularis sit gravitas, summa amplitudo, integritas admirabilis, quid est, quod ego magis desiderare possim, ingravescente præsertim iam illius ætate, pro amore, observantiaque mea in familiam vestram, quam ut in te, qui a puero magnam tui exspectationem concitasti, vestigia quædam eius sanctitatis eluceant? Hanc quum in eas viam, dignitasque ea in te translata sit, per quam ille sese et familiam cumulavit omnibus ornamentis: noli quærere, quam ego de te opinionem habeam, quanta spes iniecta sit ex modestia ista animi tui, et præclari ingenii solertia et suavitate. Nam, si arborum, quas habemus in fundo avito, quum senescere eas videmus, usque adeo traduces et propagines desideramus, et perdiligenter colimus: quo studio, qua tandem animi propensione in te me esse oportet, in quo videam expressam effigiem integritatis, modestiæ et sapientiæ patrui tui, quem ego semper colui et observavi? Huc accedit, quod patria ipsa, quæ vita mihi carior est, etsi absim, contendere a me videtur, ut suo tibi nomine gratias agam. Quod facio, et quidem libenter, quod ad meorum civium temperandos animos, et pie instituendos, non incideris, sed veneris. Non enim sum nescius, id quanti sit, qui sciam nonnullas tenebras multis seculis esse offusas divinæ philo-

sophiæ: ita ut in hominum animis nihil minus aliquando insederit, quam Christus: eorum fortasse culpa, qui, ut acuti viderentur, *προβλήματα*, quæstiones, *ἀντὶ εὐαγγελίου* populo proposuerunt, nugatores potius quam oratores. Huic malo nemo melius mederi potest, quam Episcopus; quem pro auctoritate et gravitate revereatur populus, Senatus observet: qui et docere possit, et eos invitare ad dicendum, qui et egregia doctrina sint, et probatissima vita: non contentionum cupidi, sed veritatis: studiosi buccinatores laudis et gloriæ filii Dei, in quo, ut Paulus aiebat, *εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι.* Sed hæc tu melius, cuius hæc studia propria sunt: quique familiaribus negotiis non plus distraharis, quam velis: quique habes domi, quem imiteris, Virum summa sapientia, non modo ab hominibus nostris, sed etiam ab Helvetiis, Gallis et Germanis laudatum, cum testificatione etiam et amoris et reverentiæ plena. Reliquum est, ut Philippum affinem meum tibi commendem: iuvenem, ut spero, morigerum atque modestum. Solus erit istic, si unus deeris: habebit neminem neque amicum, neque cognatum: itaque et pro Christiana pietate, et iam Episcopi officio, proque observantia mea in Philonardos, eum tibi etiam atque etiam commendo. Vale. Senis, V. Calend. Sextilis.

AONII PALEARII VERULANI

EPISTOLARUM LIBER III.

Ep. I.

A. PALEARIUS PETRO FRANCISCO RICCIO S. P. D.

Quod audacissimi et furiosissimi hominis, adversarii mei, bis iam auctoritate dignitateque tua fregeris retuderisque improbitatem, magnæ omnino a me tibi gratiæ aguntur, agenturque, dum vivam: quod si serius facio, quam debebam, dabis hoc ipsis istis molestiis quæ me profecto hebetiorem reddiderunt. Quemadmodum enim tempestatibus coortis, limosa ac turbida flumina non subito cum cœli serenitate perlucida et sedata fluunt: sic in offensionibus perturbationum, animi vitium aliquod concipiunt, quod deponere subito non possunt. Quamobrem si quid per id tempus scribimus, et sicci et ieiuni sumus. Postulant enim hæc studia literarum tranquillitatem, motusque alacres quosdam animorum: quæ quum in me nulla superioribus mensibus exstiterint, quid est quod mirere, si in meis literis tale aliquid non sit, quod te valde delectare possit? Dices fortasse, gravius me hæc tulisse, quam oportebat. Neque tantopere commoveri debuisse ineptissimi et levissimi hominis causa: præsertim quum tu, et Campanus, dii immortales, qui Viri? — recepissetis, susceptæ iam causæ defensores non defuturos: curaturosque, si quid homo insanus posthac intentasset, ut sentiret, quam paratissimum apud excellentem et imperio et ingenio Principem florentissimæ

civitatis patrocinium sit bonarum artium studiosis: ex cuius familia illustri quidem illa et per se præclara, prodierint semper, veluti ex equo Troiano, ut in proverbio est, Musarum imperatores, ducesque liberalium artium. Hæc etsi mihi tam certa essent, quam ea, quæ oculis cerno: nonnullam tamen molestiam capiebam ex rerum indignitate, quod in reiiciendo homine tenui atque ignobili, neque Græcis neque Latinis literis erudito, philosophiæ etiam plane rudi atque ignaro, vestra mihi opera uti necesse esset: ex qua re videbatur crescere adversarius meus. Huic rei illud erat argumento, quod superiori anno quum Apologiam scripsissem, per quam ego rabulæ inscitiam ante oculos eruditorum nudaram: eius tamen ordinis homines illum sibi et rebus publicis præfecerunt. Credo, ut de superiore quasi loco mecum contenderet: et, qui per sese nihil posset, assignati muneris causa nonnihil dignitatis habere videretur. Nunc quum summorum Virorum opera uti mihi necesse fuerit ad eius impudentiam reprimendam, erit ille — mihi crede — apud suos in maiori honore. Me miserum, quibuscum larvis ego iam biennium sum luctatus? quas quoniam gravitate tua a me abegisti, non committam posthac, ut mihi cum illis quicquam negotii sit: commentariaque θεολογικά, quæ soluta oratione, et orationes, quas scribere institueramus, et laudationes, quas versibus scribimus, supprimentur fortasse: donec extorqueatur sica ista de manibus imperitorum hominum atque iniquissimorum, qui sanctissimam facultatem oratione illustrari gravissime ferunt: maluntque eam in tenebris iacere ad quæstum et lucrum, quam in illustri loco sitam, animis hominum optatissimam et verissimam consolationem adhibere. Quodsi Deus reges principesque civitatum, qui ad gubernacula Reip. Christianæ sedent, pupugerit, ut magna frequentia doctorum hominum conveniat in unum aliquem locum, quasi censura episcoporum vindices veritatis: cave putes, ullum genus hominum magis invisum iri, quam rabulas istos, qui multis seculis, non modo philosophiæ humanæ, sed divinæ illi, qua vivimus, unde lucem

haurimus, per quam ad superos accedimus, tenebras incredibiles offuderunt. Quare quod meæ innocentiæ acerrimum te defensorem præstiteris, colo ego te et observo pro ista pietate maiorem in modum: neque meriti, neque humanitatis tuæ memoriam oblivio ulla umquam delebit. At vero, quod in ea defensione hominem arrogantem, impurum, contumeliosum, hostem bonarum literarum, tam insolenter impunitate et licentia sese efferentem, tua gravitate represseris: spero ita complexuros istam animi bonitatem amicos meos, optimos quidem Viros, et in iis studiis excellentes, in quibus tu cum laude semper es versatus, ut magnam ex ea re voluptatem capias: intelligasque Diis hominibusque acceptissimum fuisse beneficium tuum. Vale, ex municipio Collino, III. Non. Sextil.

Ep. II.

A. PALEARIUS FRANCISCO CAMPANO S. D.

Etsi mecum ipse statueram, nihil omnino ad te scribere, nisi tale aliquid accidisset, in quo ego pro summis tuis in me beneficiis et gratias agere, et amorem meum et observantiam erga te declarare potuissem: veritus tamen, ne diuturna taciturnitate parum memor, et homo minime gratus viderer, fregi consilium meum. Nam neque obscuris, neque vulgaribus abs te officiis sum adiutus: animo præterea adeo liberali atque ingenuo, ut, quicquid abs te profectum sit, iucundissimum mihi multis iustissimisque de causis esse debeat. Etenim quum municipes nostri, de quibus omnia mihi large ac honorifice pollicebar, fefellissent opinionem meam, et, qui affinitate coniunctissimi mihi esse debebant, inhumaniter non modo me deseruissent, sed oppugnassent etiam pro rabula et homine minime noto: ita a te sum defensus, ut effluere ex animo non possit magnitudo beneficii tui. Qua de re cum fratribus tuis, optimis illis quidem Viris, et mihi carissimis, sæpe sum locutus, ut

quasi per eos tibi gratias agerem. Apud municipes vero ita laudibus extuli istam animi benignitatem, et in bonos propensionem: ut quivis intelligat, me nihil habere antiquius tua virtute: quam ita animo complector, ut nihil mihi possit esse coniunctius. Neque vero ego umquam cognationum et propinquitatum vinculis arctius astringi Virum bonum debere putavi, quam iis ipsis, quæ studiorum societate et similitudine, sanctissima et firmissima habentur. Fallit enim nos sæpe natura, et communio sanguinis: cogitque ut eos interdum amemus, qui, si mentem adhiberemus in consilium, permagno nobis odio essent. At virtus fallere non potest, quæ verissimarum et illustrium rerum perscrutatione gravissimoque iudicio ita animos allicit, ut sæpe eos mirifice diligamus, quos numquam viderimus. Quamobrem si humanitatis et ingenii tui exspectatione te multum amabam: nunc, quum veram et solidam benignitatem tuam sim in me expertus, non facile dici potest, qui cumulus accesserit amori meo. Quodsi in te quoque colendo duo optimi Viri mihi socii comitesque adiuncti sunt, alter, qui philosophiæ, alter qui eloquentiæ laudibus excellit: quid est, quod ego ex animo magis aut lubentius facere possim? atque mehercule si his curis umquam, quibus ob æs alienum contractum maxime teneor, fuero liberatus, nulla mihi carior aut iucundior urbs futura est, in qua ego vitæ reliquum tempus traducam, quam florentissima ista, in qua Verinus, Victorius, Riccius et Campanus, mei amoris, studii, et pietatis magnis officiis inter se certant. Cuius si me compotem aliquando fortuna fecerit: eritis vos mihi magni patroni. Quos ego si mea tenuitate imitari non queam: ero tamen et diligens et studiosus laudator virtutum vestrarum. Senis, pridie Nonas Septembris.

Ep. III.

FAUSTUS BELLANTES A. PALEARIO S. D.

Quod in discessu tuo ex Hetruria tam peramanter rogaras, ne literarum studia intermitterem: facerem diligenter, si possem sine te præclari aliquid exquirere industria mea. Verum enimvero postquam in urbem profectus es, ita nescio quo modo animus meus torpuit, ut difficillimum mihi fuerit scribere epistolam hanc, quam ad te mitto. Nam si animantia quædam, in quibus ratio nulla est, quum ab aliis deseruntur, desiderio vocem aliquam emittunt, qua significent, se ægre ferre discessum eorum, quibuscum vixerint: — quo animo putas me tulisse discessum tuum? Ommitto, quod pater meus, vir optimus et gravissimus, te semper maximi fecerit, et tu illum sic amaveris, ut magis præterea neminem. Quid dicam de benevolentia tua in me, et fratrem, in meos, vel potius nostros universos? Quamobrem mihi molestissimum est, quod animo te audio esse prope abalienato, quod sermonibus quorundam sis offensus. Qua in re te oratum velim pro amore tuo in me fraterno, ne culpa levissimorum hominum ita moveare, ut memoria deponas, quantam exspectationem de te habuerit pater meus quam ego te semper dilexerim in fratris germani loco. Veniat tibi in mentem, quod tu mihi in discessu receperis, rediturum te ad nos post quindecim, aut summum, viginti dies. Quod ut facias, omnes nostri, et ego in primis, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale, ex arce Areolæ.

Ep. IV.

A. PALEARIUS FAUSTO BELLANTI S. D.

Ego vero et tuum animum in iis literis, quæ mihi abs te proxime redditæ sunt, vidi: et cognovi dolorem, quem acceperis ex rumoribus, qui me invito, nescio quo auctore, ad vos perlati sunt. Quantum suspicor, Cecilia, lo-

quacissima mulier, permiscuit domum. Noli, obsecro, me tam aut ingratum putare, aut immemorem beneficiorum: ut ad revocandum, opus esse arbitrere literis tam humaniter scriptis, cum commemoratione etiam patris, fratris, et amoris erga me tui. Scilicet ad innumerabilia in me tuæ familiæ merita, hoc etiam accedere oportebat, ut omnium tuorum nomine rogares. Apage te cum istac humanitate: qui quum per te plurimum possis, vis etiam per alios. Nihil mihi posthac erit molestius, quam, si intellexero te ita pudenter, ne dicam remisse agere cum eo, quem in fratris germani semper habuisti loco. Quod nisi ego suavitates ingenii tui nossem, ut, quos liberalitate et divitiis vincis, omnibus modis velis vincere: nonnihil de amicitia nostra fuisset detractum. Minus enim apud te me posse putarem, quam olim putabam: et falsam esse opinionem, quam semper habui, me te prorsus esse alterum. Quid enim, si usu veniat, petere ausim: si tu a me tam timide, tam verecunde omnia? An, si quorundam sermonibus sum offensus, abalienato erga vos me animo esse decet? Non ignoro, quam mater tua, lectissima femina, et suavissimus frater, gravissime tulerit mulierculæ importunitatem. Qua in re illi ignosci debet, quod et levissima est omnium mulierum, et patre incerto nata, et pusilla serva, ingenua non est: cui si vir iurganti aspere verbis et vultu, ut solet, os aliquando contudisset, reddidisset profecto humanitatem. Peto a te, si molesta esse perget, ut fabellas Thusce scriptas non impedias exire. Cupio enim quosdam et iampridem cupio, non tam ulcisci, quam sanare: qui non prius inepti esse desinent, quam nominatim evocati, viderint se mucronestili obstrictos atque confossos. Sed hæc coram. De studiis video, quid egeris: qua in re in primis tibi gratulor, quod tantum per te ipse proficias, quantum vix alii adiuti a multis et doctis Viris. Bene currentem video: si in cursu et iis virtutibus perstiteris, in quibus tu certe quidem id ætatis mirum est quam excellas. O partum aureum matris tuæ, quæ tam necessario tempore te laboranti Reipublicæ dedit! pro qua, quoniam pater et avus emori potuerunt

proavus certe mori voluit: nihil est, quod omni cura in ea studia non incumbas, quæ tibi patriæ caritas ostenderit, quibus aliquid opis afferre miseræ possis, quæ auxilium abs te et coævis postulat: quoniam a senibus factiosis destituta, locum in quo conquiescat, non reperit. Quod nisi occidenti prope Cæsar occurrisset, non esset, quod aliquando curares. Nunc ille, diis bene iuvantibus, speciem restituit, succum et sanguinem hirudines antiquæ hauserunt. Aerarium nullum est, vectigalia etiam facta deteriora, λύκαινα omnino strigosa. Sed hæc ex tuorum sermonibus melius, vel optime omnium per te ipse intelliges. Qua in re illud te consolari debet, quod æquales habes summi ingenii summique animi iuvenes, tam Reipublicæ studiosos, tam tui similes, ut in hæc tempora non incidisse, sed venisse videare. De reditu nihil habeo certi; faciam tamen quod mandas, ubi me explicaro. Nulli mihi prorsus equi erunt satis. Vale. Idibus Februariis, Romæ.

Ep. V.

FAUSTUS BELLANTES A. PALEARIO S. D.

Etsi unis atque alteris literis abs te efflagitaram, ut quam primum ad nos redires: quod tui desiderio faciebam, qui multis iustisque de causis nobis omnibus es carissimus: quum tamen interea aliqua res accidisset, quam ob rem viderem in discrimine versari salutem tuam, mutavi consilium. XIII. Calend. Martias ante lucem, Placidi pueri cum literis mihi præsto fuerunt: ex quibus intellexi magnos, motus, incredibilem conspirationem scelestissimorum hominum contra te esse factam. Visum est matri meæ, et lectissimæ feminæ uxori tuæ, ut ad te scriberem, ne te loco moveres, sed supersederes, dum hic nodus exsolvatur. Causam accusationis nescimus, nomina eorum, qui diem dixerunt, ignoramus: nam Placidi literæ nihil horum significabant. Rumor est, religionis calumnia esse concitatos homines primarios: ma-

ter credit, Calones in te coniurasse, quod superstitioni nihil sis amicus, qua illi domum nostram exhauriebant. Neque id ὑπερβολικῶς. Nam avia, cui avus et pater pecuniam omnem nostram crediderant, ut nobis asservaret usque ad firmatam ætatem, decessit, quum neque teruncius esset reliqui: manticas satis grandes invenimus dissutas, in quibus reconditæ pecuniæ vestigia apparebant. Nos Lignipodas, qui in aviæ conclave quotidie cursabnt, vocavimus in iudicium, in quo tu adfuisti nobis: nihil tamen profecimus. Nam et turpissimum iussiurandum iurarunt: et ita sacris manus admoverunt, ac si habuissent illigneas. Hæc omnia sciunt nos fecisse, fretos consilio tuo. Nihil est magnopere mirandum si tibi sunt irati. Hæc mater. Ego vero non negarim, aliquam partem incommodorum per hosce nebulones esse invectam. At tantam rem homunculos potuisse moliri, non arbitror: altiores stirpes habet hæc conspiratio. Sunt pestes hominum quædam, alieno bono dolentium, qui quum alicui bene sit, sibi esse putant male; hi fronte et vultu alacri blande appellant, salutant libenter, iocantur festive. Clanculum si possunt nocere, cave malam rem: ubi timent, eorum perfidiam resciri posse accedunt ultro, purgant sese, conqueruntur. Hem, egone istuc conari queam? Ab hisce hominibus suspicatur Placidus, iacta fundamenta accusationis. In Placidi sententiam facile eo, qui propter ingenii acumen omnia perspicit: adhuc tamen nescio, quid animus mihi præsagit. Metuo a Senatoribus quibusdam, in quorum furores iam inde a causa salaria incidisti. Meministin'? Egidius, qui omnia, quæ ad tuum honorem et dignitatem pertinent, curat diligenter: quantum potuit odorari, eo pervenit, ut rem videat non longe esse a subselliis. Quod si verum est, iubeo te bene sperare: dabunt enim integritatis, religionis, pietatis tuæ testimonium, viri quo robore, quibus radicibus, C. F. Sfondratus, et F. Crassus? qui duo sunt pro centum milibus: quoniam Senatui populoque Senensi acceptissimi, gratia et auctoritate plus possunt, quam cæteri omnes. Ego cras, summum perendie, Senas ibo: cum ami-

cis, propinquis, cognatis colloquar. Patronus, si opus est, advocabitur: dabitur pecunia: eroque omnibus rebus vel vitæ periculo ad te defendendum paratus. Antequam in arcem redeam, scribam omnino ad te. Tu interea, quoad potes, velim tranquillitati animi servias, adversam fortunam recte feras: neque ipse tibi tu molestias addas, neque te afflictes. Vale.

Ep. VI.

A. PALEARIUS FAUSTO BELLANTI S. D.

Post cœnæ tempus, quum ad focum sederemus, redditus est mihi fasciculus literarum tuarum: quibus perlectis acquievi aliquantulum, sed animo plane non sum confirmatus. Nam neque mihi dubium est, C. et Crassum fortissimos viros non defuturos: sed ii non plus quam nosti, et ne benigne quidem polliceri possunt. In quam hominum inscitiam inciderim, nolo te ignorare. Quum in senatu L. Aulœtæ literæ de Illiciniensibus recitarentur, Cotta et Belides traducere mentes Senatorum alio nitebantur. Itaque quum in oppidanos sententiæ severæ et graves dictæ essent, et vehementer laboraretur, præter rem multa Belides de me. Quid quæris? mera monstra. Cotta asserebat, me salvo, vestigium religionis in civitate reliquum esse nullum: quod aliquando rogatus, quid primum esse crederem generi hominum a Deo datum, in quo salutem collocare mortales possent? responderim, *Christum*; quid secundum? *Christum*; quid tertium? *Christum.* Tu vide iam, in quæ tempora inciderimus. Nemo est inventus, qui ausus sit in causa tam bona se patronum præstare. Francisconius aderat, sed noluit in odia tam acerba incurrere. Aberat avunculus tuus: sed, si adfuisset, non magna quidem spe fuissemus: quod in tantis angustiis, dici non potest, quam sim ab illo desertus; etenim potuisset gravi oratione vel

reprimere, vel retardare adversariorum impetus: præfectum sacrorum orare, obsecrare, obtestari ob vicinitatem, et magnum usum, quem cum illo habet. Horum non modo nihil fecit, sed ne studium quidem et operam suam mihi umquam est pollicitus: quod solent adumbrati etiam amici. Omnia, dum pater vixit, ab eo mihi erant paratissima: nunc, seu vitio accessionis fortunæ — quod omnes, dum egemus, sumus humaniores — seu a Cecilia abductus, cuius ille verba censet λόγιον πυθόχρηστον, a nostra consuetudine refugit. Manus coniuratorum permagna est, plebs accensa. Ut quisque in nos acerbissime crudelissimeque loquitur, ita quam maxime pius habetur. Reiecta res omnis est ad Arcesilaum, si veræ sunt Placidi literæ. Quid existimas ab eo proficisi posse, qui nobis numquam fuit amicus? qua causa, nescio. Malum erat, rem deferri ad senatum: nisi hoc peius, agi posse sine legibus, sine iudiciis, sine iure. Quæ quum miserrima sint, *Christus* tamen meus mihi spem facit, quem sancte et auguste semper colui. Si impetrari potest, ut testes me præsente producantur: vicimus: homines e mendacio compositi ardorem vultus mei non ferent. Magnifice nimis tibi videor fortasse loqui. Si ferent, curabo ut imparati rursus testimonium dicant. Incredibilis est oblivio hominis mendacis. Sed numquam illi, mihi crede, se in conspectum dabunt; agent omnia subdole, concitabunt odia, rumores spargent: ut mulieres, pueri, servitia, si quando occurrant, involent mihi in oculos unguibus. Tu velim, Senis esses: si forte non es, tabellarii præsto essent, Placidum convenires. Ubi ubi tamen eris, quid agatur, quid actum sit, quid futurum etiam opinere, diligentissime ad me perscribas. Ego, si quid interea statuero, faciam te certiorem. Vale.

Ep. VII.

E I D E M.

Etsi dici non potest, quanto cum animi mei sensu ac dolore caraam rebus mihi carissimis: quamque abs te invitus absim, qui prope æque dolendo consolari, et commentando admonere posses, quid in hac re agendum sit, tanta præsertim frequentia coniuratorum, qua nihil mihi in Hetruria tutum fore existimo: Mafæus tamen noster ita a molestiis conatur abducere, ut acerbitatem, quam ex significatione rerum indignissimarum accepi, melius feram. Et in ea urbe, in qua nihil est præter hunc et Cincium, quod me delectare possit, tam lubens sum, quam in Ceciniano, et Aroola. Homo omnium officiosissimus nihil eorum præterit, quæ vel consolationem afferre, vel adiumento esse possunt. Et quoniam ab initio ætatis me iis studiis fuisse deditum memoria tenet, quibus ipse magnam gloriam est consequutus: historiam quandam, et illustrem explanationem rerum, quam ex notis numismatum antiquissimorum collegit, mihi recitat. Ea quoniam puris et electis verbis composita est, numerosa et multiplex, ita me delectat, ut sæpe ad multam noctem lectionem producamus. Fructus vero, quem ex liberalitate eius Viri capio, is est amplissimus: quod nihil omnino se habere putat, quod non sit meum. Numismata mihi donavit: pecuniam, libros, liberalissime omnia pollicetur. Hæc ego ad te, quod erat in iis literis, quas Pasalius attulit: si tædet te tuorum Romanorum, redi obsecro ad nos. Sic habeto, virum egregium esse Mafæum: num in tantis fortunæ accessionibus quicquam de pristina voluntate remisit, aut immutavit? Est illud quidem Lampridii mei certissimum: Cum diis hoc habet vera nobilitas, ut vel secundis quantumvis rebus, neque tumescat, neque cæcutiat. Is me adhuc humanissime retinet, graviter se laturum ostendit discessum meum. Hernici tamen exspectant: sed longa via est, nec satis tuta. Algidi silva latrociniis infestior facta, Vallis montana obsessa dicitur,

Columnii sunt in armis: nihil agam temere, non tam mea causa, quam quod tu ita iubes. Hæc uxori meæ, quæ de me plus etiam, quam oportet, sollicita est, cave dicas, ne ad metum hoc etiam. Nam, ut audio, miserrima est omnium mulierum: quod ego cum fletu scribo. Fortiter enim ferre nequit fortunam nostram, et in lacrimis iacet totos dies et mærore conficitur: ea cogitat, quæ fidelissima coniux, quæ prudentissima femina, quæ accidere possunt: ne acciderint, Dii adhuc prohibuerunt. Consolare eam verbis meis, si in municipium Collinum profecta est, et vos in castrum Mætianum ibitis. Obsecra matrem, ut eo divertat; si spes nulla melior erit, fingat aliquid saltem, ut e luctu miseram abstrahat. Nam, quod scribis de Arcesilao, cuiusmodi sit, non satis intelligo. Mitto ad te exemplum earum literarum, quibus Volaterrani sollicitati sunt. Is ut ab ea mente desistat? non credo. Nam si amicus est, quid ergo eius pueri Florentiæ sunt? quid inimicitias exstinctas suscitat? Nihil homini deliberatius est, quam ut me, quacunque ratione possit, evertat. Sed ego iam humana contemno: fortissimo animo sum, si quid adversi accidat, commendo tibi liberos meos: suscipe ac tuere pro tuis. Si vixissem diutius, multa, mi Fauste, abs te in me officia proficisci necesse erat. Ea omnia in eius liberos confer, qui ut fortunas tuas et patris dignitatem et vitam tueretur, potentissimorum hominum inimicitias suscipere non extimuit: ut vos parvulos servaret, patriam et suos reliquit, solum vertit. Liberos meos tibi commendo, mi Fauste: illudque memineris, quod dico, non modo ut me imitere, sed ut vincas etiam. Quum pater tuus Patavio abiens, paucis ante diebus, quam moreretur, te et fratres mihi commendasset: sic eius verba hæserunt in animo, ut numquam exciderint: sic inflammarunt, ut neque morte putem exstingui posse commendationem clarissimi Viri. Vale. Pridie nonas Martias. Romæ.

Ep. VIII.

A. PALEARIUS PTERIGI GALLO FAMILIARI SUO S. D.

Vellem in meis gravissimis et molestissimis temporibus in Hetruria esses. Joanelli quidam, fæx populi Senensis, diem mihi dixerunt. Deus nos iuvet; nam inimiciores sunt *Christo*, quam Parthi. Possem ego vitare periculum, sed nolo: ne culpa aliqua subesse videatur. Iudicium non metuo, qui sum innocens: nec vitæ sum cupidus, flagrans infamia. Magna me spes tenet, si contra turpissimos testes dicere possim, et accusatoribus respondere, ut huic invidiæ finis aliquando reperiatur. Judex nobis futurus est antistes gravissimus, F. Bandinus, frater Marii mei. Hominem mihi ob studia amicissimum a me prope abalienarunt furiæ illæ. Quæ, ut intelligo ex literis hodie ex Hetruria allatis, adhuc ignorant, me Romæ esse: quæ res peropportune cadit. Sadoletus, homo quum doctus tum sanctus, omnium meorum non modo studiorum, sed cogitationum maxime conscius, legatus in Galliam proficiscitur: permagni interest, ut eum conveniam Senis, quasi ex municipio Collino veniens. Iisdem literis significabatur, Florentiæ sollicitari veteres adversarios. Multa mihi uno tempore subeunda sunt: vereor, ne possim sustinere. Tua nunc mihi fide, diligentia opus est. Quare quum primum has legeris, para, accinge, expedi te, insili in equum, vola: tui amoris est, magnis itineribus contendere, ut ante etiam, quam fieri possit, me consequare.

Ep. IX.

E I D E M.

Commodum in taberna Viterbiensi assederam, paulo ante noctem: quum Fabius cursor e Gallia venit, mane in urbem iturus. Haud ab re duxi, ad te aliquid literarum dare. Nam quum cœnati cubitum ivissemus in idem conclave, ille con-

tinuo stertere cœpit: ego somnum capere non poteram. Legi diligentius eas literas, quas ex Hetruria superiore die acceperam: cognovi consilium inimicorum. Nihil illis est deliberatius, quam ut uno iudicio occupatum altero implicent, ne possim emergere. Quum omnia cogitatione perlustrassem, nihil mihi visum est fieri posse prudentius, quam ante quam hostes sese moveant, intelligant omnia a nobis teneri. Scripsi epistolam bene longam ad Thomam magistrum sacri palatii, quam ad te mitto cum his literis. Putabam enim fore, ut, quo tempore tu Cœlimontana introires, Fabius Flaminia. Peto a te maiorem in modum, ne quam moram interponas, quin quam primum ad Bembum afferas fasciculum literarum. Cave facias, ut te pudor aliquis deterreat. Patavii sæpe cum eo collocutus es: quid times? facta est Bembo accessio fortunæ, non abscessio humanitatis. Omnia erunt ex sententia, si animus, si fides, si diligentia tua non deerit. Memineris, te sæpe, præsente me, Deos orasse, ut aliquid accideret, in quo ego tuam fidem et diligentiam cognoscerem: nullum fuit tempus, quo magis ego indiguerim opera tua. Philonardi Romæ sunt, eorum eximium et singulare studium est in defensione salutis et dignitatis meæ; hos tu conveni quotidie; Cincium quoque: nam iste nos vere amat; cæteros, quos non nosti, est omnino difficile ut convenias, ista præsertim virginali verecundia: in quam ego multa eram scripturus, nisi me lucerna defecisset.

Ep. X.

A. PALEARIUS THOMÆ MAGISTRO SACRI PALATII S. P. D.

Nisi ego te summa probitate Virum ex iis laudibus, quæ de te pulcherrime perferuntur, cognitum haberem, ad bonorum iniurias ulciscendas, innocentiamque tuendam, tua sponte satis esse incitatum: numquam ego sic meis literis confidissem, ut tua opera furiosissimi atque iniquissimi ho-

minis, adversarii mei, non modo sustinere, sed reprimere impetum me posse arbitrarer: præsertim, quum homo ille insaniens omnia intentarit, ad omnium pedes se abiecerit, ut aliquam mihi molestiam suis præstigiis exhiberet: facileque possim suspicari, eius perversa hac diligentia aliquid fortasse ad te de me iam iniquius fuisse delatum. Quod si factum certo scirem, purgarem ego me tibi primum, homini æquissimo: deinde ut cumulatius satisfacerem, appellarem hic ego Bembum, Sadoletum, Polum, Cervinum, Philonardum, Viros optimos et sanctissimos, virtute ipsa in altissimum locum provectos: ex quibus omnem vitam meam, mores, studia, potuisses cognoscere: quorum ego testimonia eius dignitatis puto esse, ut nihil apud bonos possit excogitari religiosius. Hæc non eo dico, quod mihi in dubium veniat humanitas et æquitatas tua: aut quo verear, ne meis literis parvam fidem sis habiturus: sed ut facile homo prudentissimus intelligas, si quis iniuriosus in me maledicto exstiterit, quam verax is esse possit, qui cum tantis et talibus viris non conveniat. Nunc multa omittens, quæ in medium proferre possem, ea breviter attingam, quibus tu meam integritatem impurumque animum adversarii mei possis cognoscere. Quum superioribus annis emissem villam A. Cecinæ, quæ fuit in agro Volaterrano: et oppidani Collini, in quorum finibus nunc Cecinianum est, me summis honoribus affecissent: convenere me officii causa, incredibili humanitate philosophi duo, eius quidem artis, quæ naturæ considerationem continet, bene periti. Ii quum familiariter accepti, cœnassent etiam apud me, nonnulla ex iis, quæ subobscure scripsit Aristoteles, in quæstionem vocaverunt. Postridie eius diei allecti, credo studiorum similitudine, qua nihil est potentius ad iungendas amicitias, post cœnam ad me redierunt, et quædam, quæ in libellis meis de Animorum immortalitate carminibus prosecutus fueram, petiverunt a me sibi repeti altius, familiariusque edisseri. Id quum ego fecissem, necesse fuit multa a me adduci ex sanctissima facultate Theologorum, quæ me semper mirifice delectavit. At vero, quia

cum iis sermo erat, quorum ingeniis nihil ego vidi acutius: alterque eorum Dialecticam publice docebat, alter in disciplina Peripateticorum ætatem consumpserat: tractavi locos communes argumentorum non indiligenter. Venerat forte illis ipsis diebus homo quidam in oppidum, animo audaci et subdolo, ad concionandum. Is primum, puto, ut exspectationem faceret, iactare, se in Thomam Vium Caietanum scribere, quod multa in eius libris errata deprehendisset: deinde, quia purum id credebatur, prædicare, se in Germanorum assertiones editurum volumina. Eo rumore ego quoque adductus — præsertim quod, quum faciem videas, videtur esse quantivis pretii — accessi ad eum perhumaniter; interrogandoque cœpi experiri, quid in Peripateticis posset. Ubi philosophiæ prorsus ignarum, sed verbosæ contentionis avidissimum novi neque Græce neque Latine scientem: Thusci etiam dicendi generis, quod et lepidum est et venustum, prope imperitum: cœpi percontari quosdam domesticos eius, de voluminibus in Germanos. Ibi homo facetus exclamat, furem esse esse in oppido: vidisse se, Echium, Rofensem, Marcellum, Lancilotum male compilatos: in tot furtis indignum facinus comperisse: ornamenta omnia, si qua in illorum libris essent, huius opera tenebris involuta, barbarie respersa, convestita paupertate incredibili orationis et infelici siccitate verborum, omnibus contumeliis affecta. Hic quum ego risissem, neque ad eius quotidianas conciones accederem: delatumque etiam esset, ridere me eius scripta: quid putas, potuisse se hominem ferocem, ambitiosum, arrogantem continere? Vultu, colore, motu corporis atque animi varius, mane in concionem prodire: conclamare, illatam sibi esse iniuriam: flere, obsecrare, obtestari oppidanos, sollicitare plebem in meam perniciem: occasione item accepta disputationis, quæ mihi cum physicis fuerat, impingere infamiam, et capitis accusare, coniurationem facere cum asseclis sui simillimis: consilia inire quibus non modo oppidanorum animos averteret, sed raperet etiam invidiam Principis optimi florentissimæ civitatis totius Hetruriæ. In has salebras quum me

quasi ioco incidisse viderem, et licentia quadam furere adversarium, egressum iam omnes modestiæ cancellos: neque, si tacerem, in probris vomendis, in concionibus finem ullum esse facturum: scripsi biduo Apologiam, per quam incuterem primum homini impudentissimo timorem: ut agnosceret sese aliquando, inciperetque vereri, eius inscitiam posse ante oculos eruditorum nudari: intelligeretque, nihil sibi in vulgari illa loquacitare præsidii fore: deinde si ad Principem civitatis, illustrem quidem, et excellentem imperio et ingenio iuvenem, causam, ut minabatur, deferri curasset, perfectum iam esse industria mea provisumque, ut nihil mihi ab mendo, ex quo homo totus est compositus, periculi esset. Ad hæc illud accedebat, quod de virgine sanctissima, cuius nomen reverentiæ et pietatis plenum est, edictum gravissimum concilii Basiliensis contempserat insolenter, ut solet omnia. Credo propterea, quod nullum inscitiæ propius coniunctiusque malum est, quam arrogantia: qua sibi hic omnia licere putat. Eam ego Apologiæ partem existimabam oppidanis fore non iniucundam, quaque possem eorum animis mederi, quos ille magnis clamoribus abalienarat, et suspicionibus prope infecerat. Scripsi Apologiam, ut dixi, biduo: misique eam ad Petrum Victorium, civem egregium Florentinum, vitæ integritate, morumque modestia, et liberalibus studiis excellentem. Id quum rescisset adversarius, legissetque Apologiam, cuius copiam feceram, mirum est quam præter omnium opinionem animo ceciderit. Curatum interea tamen est ab optimis viris, qui in oppido erant, ut cum illo redirem in gratiam. Itaque humanissime accessi ad eum. Ille me dextra prendens, purgavit sese de iniuriis illatis: culpam in iræ motus repentinos reiecit. Accepi ego excusationem, simultates omnes Christiana pietate deposui: offensionem odiumque omne ex animo delevi: Apologiæ item exempla, quæ ad nonnullos mittere statueram, conieci in ignem, ne quod alicubi inimicitiarum vestigium appareret: unum tantum apud me exemplum relictum, alterum habebat in manibus Victorius, tertium erat apud adversarium. Rebus ita compositis, quum

is ad suos rediisset, nihil ego iam suspicabar, nihil metuebam, præsertim quum biennio amplius nihil mihi cum rabula negotii fuisset: et ego, relictis magnis istis causis theologorum, retulissem me ad mansuetiores Musas. Itaque quum omnia quieta putarem, ecce ad me literæ ab amicis: furere nunc adversarium meum, iactare ubique minas, rumores non honorifice de me spargere, turpissime in concionibus appellare: epistolas etsi nulla Latinitate plenas, tamen omnium in me probrorum, recipere se cum libello editurum, nihil nisi contumeliosum cogitare: muneribus quosdam subornasse etiam, ut Romæ maledictis onerent, faciantque invidiosum me apud Dominicanos: nihil ferme per biennium curasse, nisi ut quam plurimis incommodis me sollicitum reddat. Quæ omnia, nisi restitissent optimi viri, amici mei, non dubito obnixe fuisse facturum: magis ut eruditionis nomen apud plebeculam assequatur ex contentionibus istis, quam ut mihi periculum creet. Nam hoc ipsum, ne quis me lædere possit, faciet, ut spero, vita mea, et spectata studia a puero: quorum ut imaginem aliquam videre possis, mitto ad te orationes, quas scribere inceperam: non quod in illis tale aliquid sit, ex quo me præclaram aliquam laudem consecutum putem, sed ut omnibus modis intelligas, quam iniqui homines sint, qui non sinant me in iis studiis acquiescere, in quibus fixi mentem et cogitationem meam. Quod igitur per ingenium tuum, et virtutes animi egregias a te peto, breve est, ut si quid ille umquam de me iniquius deferendum curarit, non modo eius impudentiam redarguas, sed eius audaciæ satellites et administros tua gravitate frangas. Quod si quis Apologiam produxerit, qua bellua putat me capite oppugnari posse: in qua tamen, ut arbitror, nihil tale est, quod boni cuiusquam animum possit offendere, nisi quod sint in ea quædam fortasse liberius dicta: asseras, id omne factum eius culpa, qui in concionibus nullam Christianæ modestiæ, nullam pietatis rationem habuerit: sed lacessiverit impie, pupugerit petulanter, turpissime appellarit, fœda et falsa quædam et me quidem, ita me Dii ament, omnino in-

digna ad populum evomuerit. Quodsi tam cupide, tam effrenate alterius lædendi libidine efferatur, ut non intelligat, eos, qui religiosi appellantur, debere moribus esse temperatissimis, cautum esse legibus maiorum: curaturumque esse te, qui loco tam excelso et illustri sedeas, ut sentiat id suo cum magno malo. Sed quid ego te, quem suavissimis literis ad amicitiam allicere debebam, molestissimis obtundo, causa levissimi hominis? Obsecro te, mi humanissime et doctissime Thoma, ne id mihi vitio des: sed importunissimo homini, adversario meo: cuius ineptiæ tam multæ sunt, ut inimicis quoque suis non nihil impertiat. Eius ego audaciam quæ in urbem quoque, quod vix credo, pervolasse dicitur, si intellexero aliquando tua opera retusam: faciam profecto, ut, si non tam multis verbis scriptas, at suaviores posthac a me literas accipias, plenas quidem amoris et observantiæ erga te meæ. Vale.

Ep. XI.

A. PALEARIUS PTERIGI GALLO FAMILIARI SUO S. D.

Idibus, iam vesperi, quum venissem in suburbanum Bellantis, Senas non sum ingressus: quod in ea civitate nihil mihi tutum, nihil insidiis vacuum putarem. Mane paulo ante lucem, ne quis conspectus fieret, iter faciebam per vallem Marcianam: atque eo die putabam in municipium Collinum; in Clivo offendi muliones Furii tui, quibus in via dedi hoc literarum. Amico nostro dicas, noluisse me nominatim appellare adversarium: quod nesciam, an quæ ad me allata sunt, vera sint omnia. Si ille, ob reconciliatam gratiam, me non lædendum putat: ego eum non modo non lædendum, sed ne offendendum quidem arbitror: et certe ad rem nihil interest: adversarius nobis est, quisquis negotium facessit: Bembum convenias quotidie. Homo acutus et prudens intelliget te mea causa Romæ esse: nihil

differet, ut expeditus ad nos revertare. Philonardi satis per se incitati sunt: nihil est, quod labores; illud potius cura, ut sciam, qua die Sadoletus Roma exibit. Eo præsente, mira alacritate sum ad pugnandum cum accusatoribus, et mendacissimis testibus, si prodierint. Sed ille fortasse exivit: nam Senis ea apparari audio, ut non possit longe abesse. Angor singularum horarum exspectatione.

Ep. XII.

A. PALEARIUS FRANCISCO BANDINO ARCHIEPISCOPO SENENSI S. D.

Etsi mecum ipse statueram, nisi cognita causa, absolutoque iudicio, nihil omnino scribere ad te, summa prudentia, amplitudine, et gravitate virum: ne meæ primæ literæ, quas ego et suaves et iucundas esse volebam, molestiæ aliquid haberent et offensionis. Solet enim fieri, ut, quæ principio stomachum fecerint, numquam possint esse iucunda. Quamobrem, consulto in illud tempus differebam, quo tibi gratiæ agendæ essent, vindici veritatis sanctissimo, et patrono optimo innocentiæ meæ. Fregit tamen hoc consilium improbitas adversariorum meorum, qui Christianæ pietatis umbram fortasse aliquam tenent, solidam atque expressam effigiem certe nullam. Nam quod me in vulgi voculas obiecerint, quod servierint invidiæ atque odiis, quod dolo malo et rumoribus concitarint in me infinitam hominum multitudinem, non puto eos didicisse a *Christo*. Sex menses sunt ipsi, quibus præterea aliud actum curatumque est nihil, nisi ut dignissima accusatio confletur, allegentur florentissimi homines civitatis, constituantur quam plurimi testes partim e plebecula, tenues atque ita rerum, de quibus testimonium dixerunt imperiti, ut, si quis alius non indiligens roget, peream, nisi vel non illa eadem vel pugnantia loquentur: partim ex nobilitate irati, factionibus accensi,

non idonei vel ex eo, quod cum iis nullus mihi usus, nulla consuetudo, nullus sermo umquam fuit: nihil mearum scriptionum legerunt: quæ, etsi cuiusquam pii animum non possunt offendere, in iis tamen conquirendis, ut ob id ipsum in suspicionem vocarent, adversarii cœlum et terras miscuerunt. Quæ omnia, quis non intelligat, ad infamiam, ad notam mihi inurendam pertinere? Nemo enim fuit umquam tanta sanctitate, qui eiusmodi testium concitatione, et sinistra diligentia accusatorum, cavere satis potuerit. Omitto Socratem, et Scipionem, Rutilium, Metellum: fuit in his aliquid, quod vitio dari posset. Au non sic olim, quo nemo melior, nemo sanctior, circumventus est innocentissimus *Christus*? Facile est verba ab imperitis, et invidis multis, singillatim non una de re extorquere, quæ Sophistes possit improbare. Recitantur sæpè etiam aliter, ac dicta sunt: plerumque in aliam partem accipiuntur, quam ab auctore sunt pronunciata. At quo se vèrtat vir bonus? quem imploret aut appellet? ubi non modo verborum, sed animi sui sensum, emissarios et obtrectatores videat impetrari? Serpit interea rumor, et aliquid de suo addit: multi ex auditionibus moventur, et secundum fidem et religionem existimant se testimonium dicere: si quid reus auxilii habet, hoc etiam antevertunt. Ecquid, Dii immortales, ab istis ipsis est prætermissum, ut C. Franciscum Sfondratum, lectissimum et maxime illustrem virum, Patrem patriæ tuæ, et Franciscum Crassum Prætorem et fortissimum iustitiæ ducem, conservatoremque æquitatis, abalienarent? Quid? si te, tanta gravitate et constantia virum, peramantem mei, cuius mehercule imago in animo mihi semper versatur, quum de fide, de pietate in amicos soleo cogitare, prope abduxerunt? Nam, probitatis opinione sublata, quæ mirifice coniungit ac conglutinat animos, amicitiæ vincula relaxantur. Itaque, ut ab amicis imparatior essem, existimationem meam, si qua mihi est, quæ parva sane est et perexigua, sexcentis locis oppugnaverunt. Atque, ut veteres iniurias prætercam, quid de recentibus dicam? ob rumores, quos spargunt in civitate. Proximis enim

diebus, quum sanctissimus vir Sadoletus legationem obiret, et per Hetruriam iter faceret, fuissetque apud te, venissemque eum salutatum: commendavit ille me tibi maiorem in modum, cum testificatione etiam studiorum meorum, et amoris in me sui. Visus est hic mihi animus tuus suboffensus; nam accepta est commendatio duriuscule: exaggerata sunt item omnia, quæ adversarii pusilli et malevoli, invidiose superioribus mensibus obiecerant. Quæ res, etsi me conturbavit, respondi tamen modeste et humaniter, culpamque omnem in eos reieci, qui de me aliqua ad te iniquius detulissent. Vix perveneram ad Virginis, quum mihi nunciatum est, in foro sermonem opera adversariorum increbescere; dicere alios, me accusatum turpiter tacuisse, neque verbum potuisse proloqui: alios, respondentem graviter obiurgatum a Sadoleto: quorum utrumque tam falsum est, quam quod maxime. Respondi enim, quantum mihi eo tempore visum est satis: vel habenda ratio non erat dignitatis, amplitudinisque tuæ? Egone in conspectu Legati obstrepere audeam antistiti sancto, atque augusto? quem colui semper et observavi, non faciam. Huiusce modestiæ neque me pœnitet, nec pœnitebit umquam. Aberant accusatores, abdiderant sese testes: qui si ausi fuissent se in conspectum dare, audissent fortasse multo plura quam voluissent. Huc accedit, quod illo ipso die, quum Senas venissem, præstoque mihi fuisset Ambrosius Spannochius, antequam salutasset dexteram porrigens, ut solet: Hem, inquit, *Aoni*, quam tibi gratulor: invidiæ nihil loci est: habes defensorem tui, optimum virum. Quum interea consedissemus, narrabat mihi, Senatores vel nobilissimos quatuor fuisse ad te veluti a Senatu missos, qui percontarentur de vita, de studiis meis. Ibi te tam amice et liberaliter respondisse, ut deieraret, nihil mihi per te deesse ad summam gloriam. Quare, quum hora sexta diei venissem ad Sadoletum salutandum, veneram etiam ut te viserem: gratus quidem et memor, qualem me natura finxit, qui non iniuriam pro gratia, sed gratiam pro iniuria referre velim, et cupiam: quique, si tantulum

benevolentiæ oculis, ore vultuque significetur, contumelias et simultates deponere sciam, et possim: idque puto in primis esse Christianum. Id adversarii numquam dicerunt: sed iniuria augere iniuriam, et odio cumulare odium. Eo spectat, quod de obiurgatione commentantur. An quod a Sadoleto amicus sum appellatus: quod testimonium datum est, me de iis rebus, quæ in quæstionem vocantur, Romæ secum disseruisse: numquam discessisse me alia opinione, quam quæ firmissima semper est habita: id vero non fuit perhonorificum? Adhuc quum obiicerentur quædam, quid humanius, quid lenius cogitari potest eius admonitione? quum is, qui dignitate auctoritateque sua imperare posset, ut est humanissimus, oravit, ne rerum novarum studiosus essem. Cui quum respondissem, me novarum rerum non esse studiosum, qui putassem numquam quicquam esse veritate antiquius: quumque in digressu te præsente vocaret et eadem repeteret: recepi, ea mente me semper fore, quam bonus quisque optimam semper iudicasset: hæc gravis, hæc turpis, hæc fœda obiurgatio fuit. Habuit, fateor, oratio Sadoleti ponderis apud me tantum, ut enixe sim curaturus, ut in his, quæ pietatem lædunt, non modo a scelere absim, sed suspicione etiam vacem. At quod is Vir, quem tanti facio, quanti præterea neminem, iratus, acer, contumeliosus in me fuerit: tam mentiuntur adversarii mei, quam solent semper. Hæc a me pluribus fortasse, quam oportet: cupio enim, et iam pridem cupio, ingenia levitatis: impudentiæ, arrogantiæ plenissima, in hoc meo casu dignosci. Nam, quæ de te gravissimo Viro etiam loquantur, coram fortassis aliquando. Exstant eorum literæ, quibus se summis precibus abs te ad accusandum accitos asserunt: coniurationem tuo consilio in me factam, sollicitatos inimicos meos Volaterris et Florentia usque literis tuis. Quæ omnia non eo dico, quo mihi in dubium veniat tua fides, candor, integritas honestissimæ familiæ Bandinæ: sed ut eos iam cognoscas, qui ad te cursant, homines mendaces, veteratores, qui ut accusatorium nomen abiiciant, quod illiberale ac sordidum apud omnes gentes et nationes semper

fuit, summa amplitudine et dignitate antistiti obiicere non verentur. Piget enim credo miseros, ac pudet, quod tantas mihi tragœdias excitarint: qui nihil sanctum, nihil firmum in meis dictis scriptisve esse volo, nisi quantum probet ἐκκλησία καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ. Quam sententiam plenam animi, plenam spiritus, plenam pietatis, veluti firmissimum testimonium depono apud te sanctissimum Virum: quod sacrarium nullum sciam religiosius: ex quo, si quando usu venerit, expeditius depromere illud ipsum possim ad fragendam improbitatem, et retundendam audaciam adversariorum meorum. Vale, ex municipio Collino.

Ep. XIII.

A. PALEARIUS HORATIO MALEVOLTÆ EQUITI S. D.

Ex literis amicorum et sermone omnium, qui ad me veniunt, de tuis magnis erga me officiis, et benevolentia ista incredibili, quotidie accipio mea summa cum voluptate. Non mehercule cupiditate rei alicuius, quam tu cum optimis et florentissimis iuvenibus, omni studio et diligentia ab Octoviris petisti: sed admiratione ingenuitatis animi, et ingenii tui. Nam mea erga te merita, neque tanta, neque eiusmodi fuerunt, ut mea causa tantopere sit elaborandum: præsertim quum suscipiendas tibi simul videam inimicitias potentissimorum hominum, qui veluti furiæ quædam ad perdendas familias, ad delendos civium ordines nati, unius hominis calamitate contenti esse non possunt. In horum ego te furores incidere nollem, qui odio inveterato ratione certa regi nequeunt. Sicuti enim in hieme, quum plures dies tempestates secutæ sunt, si serenitas cœli aliqua contigerit, subito non est credendum: sic iis, qui factionibus omnia evertere consuerunt, si meliore forma Reipublicæ conquiescere visi sunt, fidendum non puto: meliusque si tibi videtur, petitio dimittenda est, quam committere, ut in discrimine versetur dignitas utrius-

que nostrum. Si non impetrabis, quod tanto studio et contentione postulas, qua lætitia afficientur adversarii? Si impetrabis, quid tandem? præmia interpretationis perexigua sunt, labor sustinendus non mediocris. Scriptiones meas neque tu neque ego, quamquam ineptissimæ sunt, ita parvi facimus, ut isto stipendio compensemus. Quanti vero illud est, quod impurissimi homines rogandi atque obsecrandi sunt? quos ego, si obvii mihi fiunt, fiunt autem quotidie, numquam saluto. Hoc munere accepto, me miserum, semper erit assurgendum. Si qui me accusant, quod mihi ipsi deesse videar: non modo in bonam, sed in optimam partem accipio: ex amore enim quodam in me præstantissimorum iuvenum proficisci video, exspectatione studiorum. Eam ob rem magnos concursus fieri audio ad ædes Octovirum. Quam vellem, si commodo nostro fieri possit, satis ad referendam gratiam facere honestissimis iuvenibus: vereor, ne quum senserint me ita frigere, eorum animos offendam, quibus placere summopere cupio. Tu, quæ tua est humanitas, eorum desiderium leni, si graviter ferre intelliges: potius quam abalienemus, faciamus ut iubent. Perge, quo cœpisti ordine. Pater tuus, clarissimus Vir, multum nos commendatione adiuvabit: eius consilio cupio te omnia administrare, quod officiosus est, et diligens, et prudens, et mei amantissimus. De Fabiolo, quem animo in nos inimico esse dicis, nihil miror: miseret me adolescentis, qui a Macho Blaterone indies virus accipiat, quod in nos turpissime evomat. Quodcunque hoc est, ex officina illius est, in qua barbaries, fuco Græcæ linguæ illita, triumphat. Sero tironem pœnitebit: neque prius, quam viderit, se in tantis vigiliis nihil assecutum, quo schedulam possit scribere dignam, ut iterum legatur. Nullus dolor exstat maior, quam is, qui fit recordatione iacturæ temporis, sive quod vitæ cursus omnino brevis est, et propterea minima eius quæque pars non negligenda: sive quod nobis ipsi conscii sumus male gestæ rei, de qua cum aliis expostulare non licet, quod nos in causa fuerimus. Eius frater valde amatur a me, et, quia urbanus est, et suavis-

simis moribus, et quia me quoque amat. Huius rationem habeo, ne maledictum maledicto trudam. Neque vero dubito, istum ipsum tam aversum longe alia opinione fore aliquando quum ætatis beneficio et usu rerum multa didicerit: itaque nihil nobis magis est optandum, quam ut vivat. Vale, ex municipio Collino.

Ep. XIV.

M. ANTONIUS PLACIDUS ALDELLI FIL. S. D. AONIO PALEARIO MATTHÆI FIL.

Ego vero statueram initio petitionis tuæ, quæ tibi fuit tanti, quanti esse levissima debent Viro egregio, atque homini bene docto: quicunque exitus contigisset, neque magnopere gaudere, neque dolere vehementer. Sed posteaquam et præclare tecum actum video de repulsa, et pessime cum studiosis bonarum artium adolescentibus: primum tibi gratuler necesse est, quod ex ea magnus cumulus accesserit dignitati tuæ: deinde nostra Reipublicæque causa doleam, quod florentis virtutis tuæ fructibus iucundissimis carere debeat, propter hominum levissimorum improbitatem: quæ quum illud non dederit, quod tu, is Vir, tam exiguis propositis præmiis petebas. Tantum auxit dignitatis tuæ, quantum imminuisset, si dedisset: et quantum non imminuit, tantum eripuit exspectationis, in quam maximam veneramus, fore aliquando, ut per te florentem haberemus in Republica iuventutem. Hæc quum ita sint, tamen ut et melius fruaris isto tuo tam excellenti bono, simulque interdum miseraris nostri incommodi, atque ut in minimis cognoscas, quos in maximis rebus cavere possis: scribam ad te non solum, quæ ipse vidi quibusque interfui: sed quæ ab aliis audivi, quæque etiam non inani coniectura ducor ad suspicandum. Habuisti igitur in petitione competitores Machum Blateronem et Licianum; quorum Blatero audacissimus homo et impudentissimus tantum profecit et dicendo et rogando, et interdum

vehementius instando et urgendo, ut et tu propter quorundam stultitiam et inconstantiam exclusus sis, et Licianus non admissus, quicum multæ et graves inimicitiæ intercedunt: in quo primum illud putare debes, non iudicio moveri homines in Republica, sed partim gratia, partim precibus, ambitione multos: nonnullos vero etiam propter inscitiam impetu quodam atque temeritate duci ad iudicandum. Quod quamquam plurimis in rebus antea fueram periclitatus, numquam tamen, quam hoc tempore in tua petitione, aut illud patuit manifestius, aut ego acerbius dolui vicem Reipublicæ. Quo minus admirandum est, si tu vel præteritus sis ab Octoviris ob inopiam fautorum, atque adversariorum copiam, vel ab nonnullis proditus per simulationem amicitiæ. Vides enim, quam sint iniqua omnia, quam misera Reipublicæ tempora, quam non liceat bene de quopiam sperare. Nam quid illud est? Sp. Cæcium, et A. Blasium Barbatum, qui magnis abs te beneficiis ornati, fatebantur olim tua causa omnia et velle, et mehercule etiam debere: alterum ita Licinio favere, ut te palam oppugnaret: alterum tam tui clam inimicum esse, quam amicum coram? quasi illud factum sit: Multum oderunt, quia multum debent. Nam quod Cæcium neque pulchre noram, neque poteram hominem tam ingratum et immemorem beneficiorum in animum inducere meum: tum fateor, me illi aliquando credidisse, a quo nefas putaram decipi, aut etiam cui ne vel expedire quidem existimabam: tum quod crediderim improbitati et sceleri illius potius arbitror, quam imprudentiæ credulitatique meæ assignandum. Quid dicam de A. Blasio? qui se tui defensorem acerrimum profitebatur, cum commemoratione benevolentiæ, consuetudinis multorum et magnorum inter vos officiorum? O ego augur non ignobilis! Sic est enim — ita me Dii ament — ut prædixeram, homo levissimus. Dum virum præ se ferret esse te inprimis eruditum, dum familiarissimum sibi, tamen quod de religione male, hoc est, non superstitiose sentires, nullo pacto censebat adhibendum ad iuventutem bonis artibus instruendam, ne eam inficeres opinionum pravitate. Ri-

des bellum theologum? Plane illud est certissimum, infensiorem in Senatu et apud Octoviros, te, quam illum habuisse neminem. Sed hæc et plura cognosses, quum veneris: sunt enim eiusmodi, quæ tuto literis credi non possint. Cætera. cuiusmodi fuerint, tu ipse coniicito; potes enim ex iis, quæ dixi. Tantum ego dicam, dignitati tuæ favisse paucos, et eos impotentes: repugnasse plurimos, et eos potentissimos. De me autem, qui totus ex tua voluntate pendeo, quique ad tuum arbitrium et nutum fingo et accommodo consilia mea, tibi persuadeas velim, quæ ad te tuamque dignitatem, quæque ad officium meum spectarint, tanta me cura, studio, diligentia, quanta et debui et potui semper, curasse omnia idque non modo ut tu, quem maxime cupio, sed ut omnes homines intelligant, me tuorum erga me meritorum neque ingratum, neque immemorem exstitisse umquam. Quamquam et quod tibi tantum debemus, quantum omnes sciunt: quodque propter iniquitatem temporum apud omnes parum gratia possumus, in hac tua petitione minus plerisque ponderis habere nostra studia videbantur: atque ea, quæ pro te facerem, officii causa potius facere quam quod ita sentirem, putabant. Tu vero præsta te eum, qui, quam amplitudinem et dignitatem tot annorum studiis, laboribusque atque isto præclaro ingenio, singularique industria consecutus sis, in illustri virtutis tuæ loco, non in voculis malevolorum aut nequissimorum invidia positam existimes. Ita enim comparatum est, ut, quemadmodum maximæ virtuti maxima laus debitum præmium sit: sic et invidia laudem, atque invidiam malevolentia subsequatur oportet. Quod reliquum est, dabis operam, ut, quando homines infantissimi tui adversarii hoc assecuti sunt, ut, quod petebas, non assequerere: numquam tamen assequantur, ut cures te illud non fuisse assecutum: ut, quantum eosdem rebus omnibus superas, tantum animi moderatione et magnitudine potius vincas, ne se aliquid posse putent, si te talem Virum vel transversum, quod aiunt, unguem de statu gravitatis et constantiæ dimoverint, atque deduxerint. Vale, Senis.

Ep. XV.

A. PALEARIUS MATTHÆI FIL. S. D. M. ANTONIO PLACIDO ALDELLI FIL.

Incredibilis tua erga me pietas omni ex parte elucet in iis literis, quas ad me proxime dedisti, consilii, benevolentiæ et prudentiæ plenas: in quibus quum sapienter et iucunde collegeris, quæ ad consolandum plurimum valent, et ad declarandum amorem in me tuum, utrumque illud es consecutus, ut, quem tanti faciam tantumque diligam, habeam omnino neminem. Et quidem tuis perlectis magnam cepi voluptatem, quod in eo, in quo a nostris accusabar, quod non omnem animum ad petitionem appulissem, et in ea sententia semper perstitissem, ut ne honorem quidem ab improbis accipiendum putarim, intellexi probari abs te consilium meum. Quod si secuti fuissent æquales tui, minus superbiæ esset adversariis meis: et plus gloriæ nobis, quod aliquid facere visi fuissemus contemnendo, qui petendo nihil profecimus. Noli enim putare, me iam inde a principio non prævidisse rei totius exitum qui inscitiam hominum, qui factiones, qui inconstantiam probe nossem: in iis ut spem aliquam ponerem, qui omnia ad suum commodum referunt; qui quum sint imperitissimi, sapientes vocari et haberi volunt. Age tu, ex iis, quos in Republica versari vides, unum aliquem ostende qui, sciat quid sit Latine dicere? Age ostende alterum, qui si de stilo sermo sit, non obtundat, non pronunciet veluti magnus rhetor? Quid est? Omnes imperiti arrogantes. An Machi Blateronis infantia, cuius perbelle ab Aretino fabula scripta est, ferri decennium potuisset, si inter primarios senes aliqui exstitissent amatores Latinitatis? Hercle quum istud mihi in mentem venit, incipio vereri, te, et Sallustium, et Faustum, nostros, minus fore gratiosos apud barbatulos istos: quod vos vel quasi perduelliones vel perfugas habeant, qui ab eorum castris profugeritis: et elegans purumque dicendi genus secuti, reiecistis sordidum et vitiosum. Nam, per

Deos, nisi aut tu iam nihil coniicis, aut ego semper insanio: quid aliud est, quod Hieron, Vir alioqui gravis et prudens, Blateroni semper favit? Sancium nobis præposuit, qui quum iniuriam hanc aliquando expostularem, nisi summa spe, summo ingenio eius filius me observaret et coleret: cuius mihi ratio habenda est, quod nihil eo iuvene honestius, nihil humanius potest excogitari: sicuti loquacissimo sene Antonio nihil morosius, aut ineptius. Qui quum illud, cum Iuvenale meo canere cœperit, ita obdurescit, ut nulla eum ratio molliat, nihil a literaturæ opinione abducat. Sed ne ego singula prosequar, mitto alia, quæ tu plura esse intelligis, quam velles. Venio ad Octoviros, πρόσθε λέων, ὄπιθὲν δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα. Dii vestram fidem: quæ minæ? qui rumores de purgando gymnasio? Nunc ita frigent, ut Ilcinius in tuto sit, Veteramentarius non dubitet, Blatero serio triumphet. Peto a te, ne quid hinc boni exspectes. In ea enim civitate, in qua privati commodi magna ratio habita est, numquam floruit ulla Respub. Circumspice omnes Gymnasiarchas, qui tibi notissimi sunt: neminem reperies, qui non propinquis, coniunctis, amicis stipendia perhonorifica esse velit. Nos semper vel præteriti sumus vel oppugnati: quorum alterum satis æquo animo ferimus, alterum sane gravi: quod non ita de iuventute meriti sumus, ut hæc speraremus. Nam sive eam philosophiæ partem, quæ ad mores attinet, pertractavimus interpretando sive eam: quæ disserendi ars dicitur, disputando: nihil obfuimus ingeniis, quibus hæc ipsa erant proposita. Quod vero ex arte iam aliqui scribunt, et eloquentiæ studia vigent inter vos, totum hoc nostrum est. Eam quoque partem, quæ est de rebus divinis, cupiebamus oratione illustrare: at quoniam nihil a nobis longius abest superstitione, videmur fortasse nonnullis non idonei. Nam cætera vitæ testimonio satis probantur. Risi Blasium theologum, qui quum quotidie bene mane ad pedes statuæ se abiiciat, et provolvat, æs tamen alienum non dissolvit: ipse in auro atque argento, creditores in situ et squalore, in animum in-

duxit, se Deo, sicuti et creditoribus, per astum posse illudere: enimvero numquam putassem, tot illum scire comminisci dolos. Næ ego homo infelix sum, qui ducem huiusmodi consiliorum meorum delegeram, moderatorem petitionis, ultorem iniuriarum. Eques noster Horatius primus vidit me circumventum atque desertum. Eo spectabat risus ille Octovirum, quum alter alterum intueretur. Mirari satis hominis perfidiam non queo, quam consecutus sum omnibus vestigiis. Speravit — Dii prohibeant — Bellantes meos a me abalienatum iri: illum, illum me defensorem fortunarum, custodem familiæ, servatorem patris, buccinatorem laudis et gloriæ Bellantiæ volebat excludi: atque hæc omnia clam. Interim vero blande salutabat, arridebat festive, prehendebat manu: sed dies ipsa prodet hominem, suique illum mores ulciscentur. Posteaquam nos sibi amicos esse noluit, habeat inimicos: et, quoniam multa ab illo clam in nos profecta sunt, palam gratia referetur. Sine modo Thusce scripta edantur, par pari aliquando; quantum in me oppugnando a mulierculis amari voluit, tantum sibi in vita sentiet esse amari. De Sp. Cæcio neque credidi quicquam: neque ante tuas literas, ut cum improbis sentiret, potui adduci. Magnum capio dolorem, illum contra me stetisse: sed multo maiorem, eum non esse talem, qualem sperabamus: cuius in me officia, non tu magis desideras, quam eius frater, quam omnes boni. De te vero, quem tua virtus et vera nobilitas non sinit esse dissimilem tui, tantum mihi polliceor, quantum animo complecti potius, quam verbis exsequi possum. Quid enim pollicear? si me abs te mirifice diligi certissime sciam, invitis etiam tuis? Quod non eo dico, quod de te dubitem: sed ne, si ego id nescire dissimulem, tu fortasse me minus ames. Utinam Marce, quam amicitiæ legem sanctissime colis, alii non ita violassent: ut iam necesse sit, me vel mihi ipsi manus afferre, vel dolore confici atque absumi. Quantum enim, ut tu sapienter mones, in comtemnendis honoribus, in ferendis iniuriis fortis: tantum in ignoscendo clemens esse, et videri

vellem. Sed dum ipse contorta tela, quæ capiti et cordi infixa hærent, mihi revellere conor, alia adhuc coniicere non desistunt. Quamobrem nihil tibi et amicis mirum videri debet, si vel in revellendis, vel excipiendis telis, vocem aliquam emisero, qua vel quasi repugnans furiosos deterream: vel miserabiliter ingemiscens, significem dolorem meum. Vale.

Ep. XVI.

A. PALEARIUS FRANCISCO CORSINIO S. D.

Ego pro tuis magnis multisque in me officiis, quantum tibi debeam, facile intelligo: tu quantum a me amaris, ut re ipsa intelligeres, quod unum maxime semper optavi, non sum assecutus. Nam etsi quæ ad tuorum commodum, honorem, dignitatem pertinent, curavi diligenter: is tamen exitus fuit rerum, ut vel magnam ex eo capiam molestiam, quod singulari meo studio atque opere, ne dicam labore, bis iam nihil video me profecisse. C. Sfondrati discessus, a quo nobis prompta et parata erant omnia, magno impedimento fuit: ea nunc perturbatio Reipublicæ secuta est, ut, quod in manibus haberemus, ereptum videatur. S. C. factum fuerat in affinem tuum, ut perhonorifice magistratum peteret: in quo licet competitores haberet magnos viros iurisperitos, nihilo tamen secius gratia civium potentissimorum superiores eramus. Comitia, quæ Idib. Maiis haberi solent, reiecta fuerant in Idus Iunias, quod nobis perincommode accidit: tum quod animos Senatorum, opera familiarium nostrorum accensos, refrigescere videbamus: tum quod per id tempus classis illa barbarorum prædonum, quæ omnem prope Europam perlustravit, in Senensium fines conversa, occupavit eorum portus, oramque maritimam. Quamobrem tantus repente timor civitatem invasit, ut omnium mentes animique perturbarentur: uno eodemque tempore cursari ad Senatum, cogi pecuniam, delectus haberi necesse erat. Justitio indicto, nullum fuit tempus vacuum a negotiis pub-

licis. Qui erant amicissimi, negabant se mihi operam posse dare. Fit S. C. de magistratibus prorogandis, comitia tolluntur: iubet populus, ut Senatus unum videat, unum curet, ut barbari e finibus pellantur. Quæ omnia etsi certo scio rumorem ipsum, et multorum literas ad vos pertulisse: volui tamen scribere, ne ignorares, in tanta rerum difficultate nihil fuisse remissum de officio et diligentia mea. Immo vero quum in arcem Bellantiam, quæ ad Arbiam est, confugissem, et Ugolinus pater ad milites auxiliares missus esset, comitiaque interim restitui dicerentur, contuli me Senas. Id ubi falsum comperissem, redii in Arcem: et, quoniam viis obsessis tabellarii sexcentis locis excutiebantur, scripsi de iis rebus ad affinem tuum, qui neque tam longe aberat, et via ad Liguriam tuto ibatur. Ab eo sunt ad me literæ, opinor, nondum acceptis meis: quibus significat, a villico, qui ex agro Senensi venerat, renunciatum de magistratu sibi demandato. Qui tamen fieri posset, tantis tempestatibus coortis, dicebat, se non satis intelligere, præsertim, quum comitia nulla fuerint: et propterea se non pedem inde, nisi ea de re certior sit a me factus. Rogat item alia, quæ spero nos impetraturos cum dignitate, si spes otii fuerit: in quam nonnulli veniunt, quod prædones classiarii in Græciam transmittere dicuntur. De Corsinii nostri suavitatibus, quæ cupio, legi libenter: iis literis nihil mihi poterat esse gratius. Spero illum talem fore, qualem tu optas. Huic omnia a me esse paratissima, nihil opus est valde polliceri: res enim ipsa, siquando usu veniet, faciet fidem. Nam cui mehercule plus quam tibi debeam, habeo neminem. Quodcunque tuum in ea re consilium erit, illud persequar. Meum consilium, inquies, novi: tuum requiro. Tu, qui ab initio ætatis egregiæ eruditionis, et literarum non vulgarium perstudiosus fuisti, eruditulis quibusdam vix semilatinis, quos ego audiendi spe in Hetruriam veni, non eris contentus: præsertim quum Corsinii causa Romæ neque Reges, neque Cæsares, neque censu istos amplissimo præditos, sed poetas, oratores, philosophos esse vel-

les. Nihil est hic, quod præstanti ingenio adolescentem delectare possit: Gymnosophistæ tres aut quatuor, summum quinque, barbare iubent loqui Aristotelem: quem non intelligat Oedipus. Ita implicite obscureque omnia, non auctoris, sed interpretum vitio, qui philosophi ordinem sæpe invertunt: et loco non disputant, sed per coacervationem, veluti ex commentationibus et sectis digladiantur: quantum a veterum ratione remotius, tantum, ut ipsi aiunt, melius, idque vocant acutius. Dialectici nusquam hebetiores: nihil habent eius scientiæ, quam profitentur, nisi quod maxime sunt contentiosi. Medicos obsecro ne quæras; pessime enim habere sese eos necesse est, qui tales quærunt: morique non tam miserum est, quam quod per hosce *ἀνδροφόνους τε καὶ ἀνθρωποφάγους*. Nullos habet hæc urbs, mihi crede, viros, ex quibus possit haurire, quod velit avidum illud ingenium Corsinii tui. Quod vero maximos istic te sumptus facere dicis, credo equidem: facies hic etiam aliquos, sed non ita magnos. Aberit tamen adolescens longius, non satis firma ætate: at ea, quæ ad morum et valetudinis rationem accommodata minime est. Gallia bello ardet, Allobroges sunt in armis, in Piceno delectus habentur, Hetruriæ aliqua tempestas impendet. Bellum longius trahi videmus: quid futurum sit ignoramus. Hæc si te non pungunt, mihi cætera perplacent. Ego me Senas cras vel perendie. Hæc quamvis ita se habent, aut non multo secus, tamen cum amicis colloquar. Sequentur has aliæ literæ, in quibus de sumptu, de gymnasio, de sophistis, de re omni faciam te diligentissime certiorem. Vale, VIII. Calend. Augustas, ex Arce Areolæ.

Ep. XVII.

A. PALEARIUS ALEXANDRO VICE COMITI URBI PRÆFECTO S. D.

Si quam mihi in te colendo atque observando, semper animus præsens est, tam aliquando adfuisset in scribendo, neque in hoc tempus gratiarum actionem distulissem, neque tam paucis agerem: ut intelligeres, magna ac multa beneficia erga me tua, et mihi gratissima esse, et a me maximi fieri solere. Sed quemadmodum iis, qui solem intuentur, evenit, ut, si quo postea oculos convertant, diu eandem orbis perlucidi imaginem videre videantur: ita, ubi tua mihi humanitas perspecta est, me in eam admirationem traxit, ut nihil aliud facere sciam et possim, quam admirari suavitatem ingenii tui. Quodsi, quum in cogitationem alicuius rei impensius incumbimus, sæpe prætereuntes prope non videmus, et loquentes non audimus: quid mirum videri debet, si, dum bonum istud tuum tam excellens toto animo complector, et ad scribendum factus sum piger, et ad gratias agendas ineptus? Crebritate vero meritorum ita mecum actum est, ut nullum umquam mihi spatium datum sit ad me recipiendum. Primo enim quoque tempore, quo in Hetruriam venisti, apertis mihi non modo foribus, sed adytis amicitiæ tuæ, nihil abs te prætermissum est, quo in tuas partes raperes, raptum magnitudine officiorum devincires. Nullus dies fuit, quum in urbe essem, in quo tuam erga me benevolentiam non sim expertus. Absentem etiam in villam usque prosecutæ sunt humanissimæ literæ, plenæ illæ quidem amoris et desiderii: in quibus peramanter significas, maximæ tibi curæ esse dignitatem meam: et propterea quum quidam literis obstrepuisset, non dubitasse ad me scribere. Subvereri te ais, aliquid ad Lucenses, honestissimos homines, de me iniquius esse delatum: cuius opera, quoniam dicis te ignorare, faciam ut scias. Machus Blatero, is, de quo hominibus nostris fabula data est ab Aretino, lepide et

festive scripta, homo impudentissimus, et puræ veræque Latinitatis tam ignarus, quam ii, qui trans Taurum incolunt: Senis quamdiu fuit, magnas mihi turbas fecit, veritus, ne munus interpretationis scriptionum Latinarum mihi demandaretur: in qua, quum ille infeliciter multos annos laborasset, apud eruditiores iuvenes nihil aliud fuerat assequutus, quam turpissimum infantiæ nomen. Is nunc Lucæ est: utinam tam cognitus, quam Venetiis, ubi et fabula acta est, et Machus ludibrio habitus: propterea que desperatis rebus, clarorum hominum conspectum fugiens, ad fossas Claudias abire coactus, ludum Græculis naviculatoribus aperuit, in quo non sat scio, plurane docuerit, quam didicerit. Nam per Deos, quid iste præter barbariem potuit docere? At mentiri, fallere, quod Græcorum est proprium, ita repente didicit, ut magistri ipsi mirarentur. Levitatem vero, loquacitatem, audaciam — quæ vitia, veluti innata, homini semper tribuit Aretinus — noli quærere, quam Græcorum hominum consuetudine firmavit atque auxit: et quoniam, ut in proverbio est, sæpe fit, ut pro astuto prudens, pro audaci fortis, pro loquaci disertus quis habeatur: nihil miror, si in vulgus Macho etiam aliquando fuit opinio eruditionis, quam fortasse sustinuisset, si, ut tibicen Xenophontius a canendo, ita hic a dicendo potuisset abstinere. Verum lucri cupiditate adductus, Lucam superiore anno profectus est, quasi aliquis magnus Rhetor: ubi si, ut audio, homines sunt, qui aures habent teretes et religiosas, Blateronis infantia diu latere non potuit. Quod ex eo coniicio, quod propediem affuturus dicitur infirma valetudine, cuius ille opinionem semper auget: ut, si quando inscitia detegatur, aut hebes sit in interpretando, facile excusationem habeat, et potestatem decedendi, quod aeris modo tenuitatem, modo crassitudinem ferre non possit: astute. Nunc, quantum Victorii literæ significant, aliqui sunt in ea civitate, qui me acciri vellent, deligique in interpretis Latini locum: quod quum Blatero audivit, quo credis animo? quid putas buccam illam maleolentem, ex barbarie et mendacio composi-

tam, potuisse contineri? cor illud odio exæstuans non efferbuisse? non eructasse virus improbitatis? Noli iam pro tua prudentia quærere, qui tam falsos rumores de me sparserit in ea civitate, in qua is est, qui ne me Senis competitorem haberet, hisce ipsis obtrectationibus, iisdem fallendi atque abalienandi artibus usus est, homo vafer, atque ad hæc natus. Quem ego, ita vivam, ut probe ulciscar. Nihil enim potest esse acerbius homini, qui literarum falsam sibi vendicat scientiam, quam si scripto lacessas: et, ut scripto respondeat, pungas aculeis vel liberi carminis, vel vehementis orationis. Hasta, ensis, mucro, literatorum hominum oratio est. Feriat Blatero, si potest: at is, si Diis placet, nisi puerum aliquem de grege, nolo plura dicere, subornabit ut respondeat: veluti Aretina illa, itidem hæc nostra simulans se contemnere, tametsi animum exedent: scripto nihil, dolo omnia. In conspirationem hominum potentum cogitationem figet. Cives concitabit: alios ad Prætores, alios ad Patres conscriptos mittet: omnia experietur potius, quam rem scripto agat, ne inscitia nudetur sua. Hæc ego tam video animo, quam ea, quæ oculis cerno. Dii boni, quam nos ridebimus, qui tanto antea tempore vaticinati fuerimus: quam optimi iuvenes, qui eius ingenium norunt. Sed ego in bellua nimium: tu, si me tantum amas, quantum profecto amas, cura ut splendor iste generis, nominis, et animi tui tenebras indignissime mihi offusas excutiat atque propellat. Si Lucenses, ab his enim ad te literas esse arbitror: tu nihil horum scribis, sed ego coniectura ducor ad suspicandum, in falsam aliquam de me opinionem huius nebulonis opera adducti sunt: commoneas amice, ne quid temere credant: Christianum hominem esse me atque eum, qui, si usu veniat, pro *Christo* emori possim: imperitorum, et Blateronis similium obtrectationibus, copiosa oratione, quam tu ipse legeris, fuisse responsum: adversariis convictis atque reiectis, populum Senensem de nobis bene existimare et loqui. Quæ res, etsi in obscuro esse non potest, cupio tamen eam fieri illustriorem testimonio tuo: ut omnes intelli-

gant, nostrorum studiorum similitudine, et vitæ integritate sanctissime iuncta inter nos amicitia, et perdiligenter culta, neque meam in te observantiam, neque tuam erga me benevolentiam ulla umquam in re defuisse. Ex Argiano Bellantis, IV. Id. Aprilis. Vale.

AONII PALEARII VERULANI

EPISTOLARUM LIBER IV.

Ep. I.

A. PALEARIUS SENATUI POPULOQUE LUCENSI S. P. D.

Etsi mihi sum conscius, ea in me ornamenta non esse, quæ de me ad vos perlata sunt a laudatissimis summa humanitate et modestia Viris: gratissimum tamen fuit, invitari in eam Hetruriæ civitatem, quæ sapientia civium viget, quasi divinum aliquod lumen. Neque enim virtus vestra in obscuro esse potest, quæ in totius Italiæ conspectu posita, præ se fert magnam animorum continentiam, et Reip. temperandæ optimam disciplinam. Itaque quod difficilibus, miserisque temporibus florentissima est Respublica Lucensis, nemo est omnium, qui id aut fortuito fieri, aut ab aliis quam a vobis putet esse profectum. Etenim animos magnorum Principum, a quibus omnia meliora sperare debebamus, ita pugnandi cupiditate efferri multos annos vidimus, ut arbitrer esse neminem, qui ab ipsis otium civibus, et rebus publicis securitatem concessam audeat affirmare. Vestra industria, vester labor, vestra laus est, omni prope Italia sæpe bello barbararum, et immanium gentium ardente, urbem unam non æstuariis ac paludibus, sed consilio et prudentia civium pulcherrime esse servatam. Dumque proximis temporibus aliæ urbes aut externis aut civili-

bus discordiis exagitatæ, in magnas calamitates inciderent, cœlumque et terra misceretur, obrueretque omnia belli eluvies: vos ad Reipubl. gubernacula sedentes, veluti magni Dii, repulistis tempestatem e mœnibus vestris. Sed hæc maiora sunt, quam ego exponere possim, et epistola complecti. Ad ea venio, de quibus ut aliquid scriberem, si plusculum temporis mihi esset, res ipsa admonebat, quando ob hæc ipsa tam humaniter a vobis per literas invitor. Aluit semper ista civitas studia bonarum artium, quodsi alacritas et animi firmitudo numquam defuit, ut, quum liberet maria transmitteretis, ut magnis opibus et fortunis augeretis civitatem, numquam etiam defuit studium, ut exornaretis optimis disciplinis. Huius rei testes habeo eos, quos accivistis sæpe et præfecistis erudiendæ iuventuti, disertos et eloquentes homines: testes item eos, qui apud vos excellunt in iis artibus, quæ liberales appellantur, cives vestri, Dii immortales qui Viri, quibus laudibus? De quibus quoniam ego libenter cogitare soleo, et ex cogitatione ipsa incredibilem capere voluptatem, vel quantum hoc est? quæ gratiæ agendæ sunt vobis? per quos occasio nunc mihi detur videndi et salutandi sapientissimos Viros et fruendi consuetudine lectissimorum civium, et honestissimæ iuventutis, quam ego audio studiis bonarum literarum mirifice delectari, et teneri iam desiderio nostri. Atque utinam vigiliis et laboribus a pueritia susceptis id aliquando assequar, ut spes, in quam optimi adolescentes venerunt, hoc delectu vestro neque inanis omnino, neque falsa fuisse videatur! Qua in re non mediocrem mihi spem affert admirabilis propensio adolescentium vestrorum in præclara studia. Solet enim fieri, ut, in quod nostra sponte ferimur, id vel parvo freti auxilio, facillime consequamur. Nam, quod ad me attinet, illud vobis polliceor ac recipio: si quid desiderium obtemperandi voluntati vestræ, et studium colendæ atque observandæ numquam satis laudatæ Reipub. efficere potest, id perficiam, ut omnes intelligant, multos a vobis eloquentiores et peritiores eligi atque accersiri potuisse: at qui iuvandæ

vestræ iuventutis sit studiosior, et æque ex sensu animorum vestrorum cupiat esse totus effictus et compositus, vos habituros fuisse neminem.

Ep. II.

J. SADOLETUS CARDINALIS AONIO PALEARIO S. D.

Ex iis literis, quas ego et collega meus ad Cardinalem Vidacionium dedimus, intelligere potes, quantum te amemus, quantique faciamus. Neque enim maiori pietate testimonium dare potuimus probitatis, ingenii, animi, studiorumque tuorum. Maluisset Bembus istas ipsas literas scribi ad Senatum populumque Lucensem: quod mihi quoque perplacuisset, si istorum hominum ingenia, mores voluntatesque cognosceremus. Veritus sum ego suspiciosam fore commendationem, quæ ab iis proficisceretur, quibus cum nullus fuisset usus, nulla necessitudo intercessisset: præsertim quum in epistola ad me scripta significares, id unum te petere, quod maxime velles, maximeque scires tibi esse necessarium: quod quum Bembus quoque legisset, facile ivit in sententiam meam. Optamus tibi salutares esse literas nostras, quæ quum ad te perlatæ fuerint, si Vidacionius Luca discesserit, tuum est curare, ut aperiantur et recitentur in Senatu: ut, qui tibi sunt infensiores, intelligant, se pusillorum et malevolorum obtrectationibus nullis satis iustis de causis fuisse commotos. Qua in re tu singulari quidem, ut dicis, es fato: et propterea fecisti sapienter, quod ab iis artibus, quarum a puero fuisti studiosus, auxilium petisti: quæ quum sint liberales, numquam commisissent, ut, quæ ab eis sæpe adiumenta accepisti, ut cæteris opitulari, et alios servare posses, tibi defuissent. Scripsisti orationem pro te ipso in primis ornatam et gravem, numeris quidem omnibus absolutam: in qua tu mihi tonare et fulgurare videris, neque id assentatorie. Præteriri sine scelere non possunt tuæ lau-

des, quas ignorare, imperiti hominis est: improbi, dissimulare tacendo. Causa nulla est, cur pudentissimo viro et mihi amicissimo mentiar: verissime tecum ago. Quum tua lego, sic afficior, ut inflammer, et impetu quodam rapiar vehementis orationis: quæ veluti amentata hasta, magnis viribus contorta, fertur, et varietate numerorum incredibiles motus ciet. Ad egregias ingenii tui dotes, hæc etiam accedit: divino illo poemate, a me numquam satis laudato, quid versibus posses, intelleximus. Non difficile est iudicare, utra facultate plus valeas, poetarum, an oratorum. Laudati sunt quidam superioribus annis, quod in hac, atque in illa excellere viderentur: quibus tu sic cultu, et vero etiam castitate orationis anteis, ut quum illorum scripta cum tuis confero, cætera ut omittam, ornate magis, Latine loqui solus videare. Quod scribis, te vereri, ne quem offendas, quod, quum miserabiliores epilogos velles elicere apud P. C. Reip. Senensis, ad quos oratio est, mentionem Bernardini Ocelli feceris desiderii plenam: nemo est in dicendi arte mediocriter versatus, qui non videat, id tibi propositum fuisse in peroratione, ut commoveres et incenderes cives, civis cupidissimos. Nihil est, quod metuas: sunt enim omnia abs te accurate et prudenter scripta. Quid, quod ego tibi sum testis, quum in Galliam legatus proficiscerer, me Senas venisse, ubi et tibi affui, et commendavi te antistiti maiorem in modum: tum primum fuisse rumorem de Ocelli fuga, incerto adhuc auctore, nec satis constantem. Quo tempore si tu, quum scriberes istam orationem, cuius principium mihi legisti, eadem vel sperasti vel desiderasti, quæ omnes, qui popularem illam Ocelli eloquentiam norant, quis te reprehendat? quum sit potius observandum, quæ tu ab illo fieri voluisses, quam quæ ille multo post aut dixerit, aut fecerit. Quodsi hæc commendationis conditio est, ut præstare debeamus omnia, quæ usquam gentium ab eo, quem amice nominaverimus dici, fierique possunt: nulla erit laudatio periculo vacua, nulla officia humanitatis, nulla munia amicorum. Ea re quum magnæ sæpe pertur-

bationes ab iis profectæ fuissent, qui nec clementia, nec æquitate, nec consuetudine maiorum nostrorum de scriptoribus iudicarent: sapientissime fecisse videtur Paulus Pontifex, quod præfecit scriptionibus rerum divinarum doctissimum et temperatissimum Virum: in cuius gratiam quum ego et Bembus ponere te vellemus, dixit is, se superiore anno accepisse abs te literas, veluti interpretes humanitatis et pietatis, et propterea profiteri, et polliceri singulare studium, ut, quæ a nobis tibi prompta esse sciret, a se essent paratissima. Sed ego te meo et Bembi nomine non modo hortor, sed rogo, audi homines tui amantissimos: quoniam in ea tempora incidimus, quibus, non quid sentias, sed quid calumnientur quidam, maxime observent: ut iis scriptionibus te exerceas, quibus incitetur, non impediatur cursus ille nobis non ignotus animi tui In eam civitatem venisti, quæ optimis legibus et moribus instituta dicitur: quid est, quod animum, ut civibus gratum facias, ad ea non appellis, quæ de moribus a tota illa familia Peripateticorum tuorum sæpe scripta, numquam apte oratione Latina illustrata sunt? Nihil opus est, ut ea colligamus, quæ tu iam vides: sunt quidam aversissimo animo a scriptoribus. A Peripateticis interpretandis, aut illustrandis, nullum periculum est. Postremum illud, ut tranquillitati servias. Nam qui studia, vitam, mentem, voluntatem tuam tam novimus, quam qui semper vixerint tecum: numquam auderemus ea legere aut attingere, in quibus de nobis perhonorifice scribis, et amicissime opinaris, si te desereremus. Vale.

Ep. III.

A. PALEARIUS SYLVESTRO LILIO S. D.

Si patriæ caritas et desiderium tuorum facit, ut quum Romam veneris, tam cito cupias ad nos redire, pietati magis tuæ tribuo, quam consilio tuorum. Sin magnificentia et pompa ista Curiæ, quæ cæteros magnopere delectat,

stomachum facit, et cum tua nobilitate atque opibus isthic bellissime potes esse, redire ad nos mavis: tibi gratulor, quod sapientia præditus sis certe singulari: et nobis gaudeo, quod fructum capiemus aliquando dulcissimæ consuetudinis tuæ. Noli tamen putare, me a principio non divinasse: qui probe nossem, te perpetuum hostem ambitionis, observatorem integritatis, non modo amicum, sed amatorem pudoris et modestiæ. Mirabar interea, te mensem abfuisse a rebus animo tuo gratissimis: præsertim, quum tibi carius nihil esse debeat optimis parentibus, locus nullus dulcior patria. Quæ vero patria? libera civitas, sanctissimis instituta legibus, ac moribus: in qua improbis neque locus est maleficii perficiendi, neque spes sceleris occultandi: in qua summa est exspectatio tui, ea observantia, ut ista ætate habearis, et verissime sis moderator seniorum, dux religionis, magister sanctitatis. Quamobrem ne patiare, quum omnibus tam carus sis atque iucundus, ut oculi nostri tua præsentia defatigari possint, satiari non possint, ut tamdiu sine te simus. Nam ego, qui mihi sum conscius, hoc certo scio, post tuum et Josippi nostri discessum, nihil umquam fuisse, quod me lætitia valde affecerit: quin etiam is languor, et mentis torpor est subsecutus, ut omnes mirentur illam hilaritatem, quam in me tu admirari solebas, omnino ex animo et vultu meo excussam. Quam si quis suavitate ingenii restituere poterat, erat unus Martinus Lilius patruelis tuus. Hunc incommoda valetudo, qua prope emerserat, adhuc tenet, et frigus et anni tempestas incredibiliter angunt: cuius ægritudo ita me sollicitum habet, ut non dubium sit, vel ego ægroto, vel proxime incidam in morbum. Eius mater, præstantissima omnium feminarum, eius uxor humanissima, suavissimus frater, orant, obsecrant, ut me ad se transferam: sed ego adhuc in domicilio meo sum, sine uxore, sine liberis, sine servo, sine arca: quod, ut scis, superioribus mensibus longa via et pulverulenta, in municipium Collinum ire necesse fuit: nunc via lutosa, his præsertim imbribus, nolo miseros cursare mea causa. Amici tamen omnes, pater tuus,

Bonvisii, Cenami, Bernardini, Arnulphini, nullo loco desunt: curant diligenter, ut in omnium rerum inopia abundem omnibus rebus. Quamquam ego tam paucis contentus sum, ut facile superem Crassum divitiis. Quodsi, ut ex literis, quas ad patrem misisti, intellexi, tuus adventus appropinquat: brevi multo plus mihi futurum est boni, quam nunc impendet mali. In iisdem literis vidi, te Pauli epistolas legisse. Næ Flaminius tuus, et idem noster, ad Theologiam cohortatus est: Dii bene homini faciant qui, ut te bearet, deduxit ad magistram veræ vitæ, ad disciplinarum principem, et reginam. Quodsi tu, qui ab initio ætatis omnium liberalium artium studiosus fuisti, et didicisti omnia, quæ a sapientibus tradita sunt ad bene vivendum, nunc interioribus literis operam das, quæ tua studia futura sunt? quæ censura morum et vitæ? Id si verum est — nam ego certi nihil habeo, sed coniectura ducor ad suspicandum: quia te plus amo, quam me ipsum: plurisque facio tua, quam mea commoda omnia — cave pedem ex urbe efferas, id est, e Flaminii domo: qui quod apud ornatissimum Polum est, quem ego reverentiæ causa nomino, quantum putas interesse? Dii immortales, quæ omnium rerum tibi accessiones fient, si cum his diutissime vixeris? Quare, etsi ego, tam sum tui cupidus, quam qui maxime, nihil tamen temere faciam: nullæ meæ literæ nullæ preces, nullæ commendationes vel parentum, vel patriæ, vel rerum omnium tibi carissimarum, tanti esse debent, si cum Flaminio apud Polum es, ut te loco moveas. Vale. Parentio et Pacino, nostris, salutem dic. Vale.

Ep. IV.

A. PALEARIUS BARTHOLOMÆO RICCIO S. D.

Si minus sæpe ad te scribo, quam amicitiæ nostræ vetustas postulat, peto a te, ut occupationi meæ potius tribuas, quam aut negligentiæ, aut oblivioni tuorum in me meritorum, quæ tu officiorum crebritate quotidie auges: et sig-

nificatione optatissimi et iucundissimi amoris mentionem tui non intermitti sinis. Quotusquisque est, qui istinc veniat, qui ubi tuo nomine mihi plurimam salutem dixit, non multis etiam prosequatur mirificam benevolentiam et humanitatem tuam? qui libellus a te scribitur, in quo ego non honorifice appeller? qua in re quum parem tibi gratiam referre non possim, moriar, si non me angunt putidissimæ interpretationes meæ sive Græcæ, sive Latinæ, in quas, veluti in pistrinum detrusi me, non tam imprudentia, quam necessitate. Ego enim, ut ex meis studiis nosse potuisti, semper iudicavi obscurum et sordidum iis, quorum ingenio aliquid fieri potest illustrius, si interpretandis scriptis aliorum humiles ac demissi quasi servitia ancillentur. Sed, quum mihi res domi esset angusta, uxor lauta, liberi splendidi, et propterea magnos sumptus facerem, mancipavi prope me iis studiis, a quibus semper abhorrui. Nam, quum Lucenses, homines honestissimis propositis præmiis, invitarent me singulorum dierum unius horæ usura ad interpretandum, accepi conditionem duram mihi et asperam, et vero etiam odiosam. Dicendum est enim quotidie et ex tempore, quod inprimis est sophistæ. Id ne faciam, sumo mihi semper aliquid temporis ad meditandum, in qua re plurimum noctes me adiuvant: quum tamen inopiam et ieiunitatem interpretum non probem, et multa e penu locupletissimo Græcorum petenda esse ducam. Quicquid diei reliquum est, in scriptoribus Græcis legendis tero. Sed omnino concisum est hoc dicendi genus διδασκαλικόν; in quo, si qui diu versantur, summum periculum est, ne exercitatione umbratilia mittant, quicquid habent roboris et nervorum. Quod quum ego in me fieri sentirem, ne hoc morbo intabescerem, retuli me aliquando ad eas exercitationes, quas tu maxime probas. Vide quanti faciam iudicium tuum. Quum ex iis literis, quas proxime abs te accepi, intellexissem, placere tibi scriptiones meas: magna mihi spes iniecta est, posse orationes aliquas a me scribi. Eas, quæ sint, propediem exspecta, modo typographus non moretur. Tu contra ad nos,

tuos libros De gloria: obsecro, ne sinas diutius nos duci exspectatione. Si non perfecisti, scito eos libros dignos esse, ut abs te absolvantur, qui ingenio et industriá assecutus sincerum et ornatum dicendi genus, habitas in oculis Principum, quorum feminæ multis Regibus sunt sapientiores. Nam quid est, si non hæc verissima gloria est, potentissimi Regis filiam, maximi Ducis uxorem, sic versari in studiis nostris, ut excellat? Annam vero et Lucretiam, aureos Herenea partus, scrutari interiores literas Latinas et Græcas? quæ quum in matre quoque essent, et eæ neque paucæ neque vulgares, Regina in philosophia hac humana noluit acquiescere: sed ob magnitudinem ingenii, et studium sanctitatis, quæ in ista semper veluti divinum aliquid eluxit, maturiore ætate retulit se ad cœlestes artes, et disciplinas theologorum. Quod ad te scribo, ne in texendo opere, quum isthic habeas maxime illustres et gloriosos Principes, quos proponere omnibus potes ad imitandum, tu rerum gestarum causa eos quæras, qui in unis armis omnia posita esse censent, studiorum nostrorum hostes acerrimi: quorum exprobatione extenuari spem literatorum et evanescere videmus. Non est credibile, quæ sit imperitia et superbia in quibusdam. Ego me abs te tantum amari puto, quantum volo: volo autem plurimum. Si me amas, sine istos in tenebris et situ iacere. Qui, si ad eorum pedes nos abiicimus, ne sublevant quidem. De Sardonio, quum defensionem tuam legerem, valde mehercule risi. Si est homo, posthac tacebit. Sed, quantum suspicor, aliquid etiam scribet: et tamen dicet nihil. De Jacobo Grifolo scripsi ad te superioribus mensibus: ti quid ad me postea dedisti literarum, non est allatum. Is tam belle se habet, quam ego et tu. Exanimatus prope sum tuis literis, in quibus dubitare videbaris de eius vita. Quum in oppidum Collinum venissem, misi pueros, qui quærerent diligenter. Ii postridie Senis omnia læta et optata retulerunt: hominem ingenio et studiis florentem, magno in honore esse apud suos: pangere etiam aliquid, et

meique memoriam amantissime conservare. Lucæ, pridie Nonas Octobris. Vale.

Ep. V.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS A. PALEARIO S. D.

Equidem Aoni excusationem, quam affers, quo minus crebro ad me scribas, libenter accipio: ne, si de te literarum intermissione accusare velim, eodem ipse me crimine condemnasse videar, qui nihilo crebrius ad te, quam tu mihi literas dare consueverim. Sed quid tu te, contra item ego me, quod minus frequentes in hoc scribendi genere fuerimus— tam inique accusamus: quum uterque huic officio abunde satisfecimus? neque enim ego quemquam umquam nactus sum, qui istuc veniret, cui meas ad te literas non dederim: neque tu contra quicquam a te mihi ad eas desiderari permiseris. Sed arbitror, quia id ea lingua fecimus, qua omnes Itali vulgo loquimur, qui magis Latina ex nostris studiis uti debuimus: nobis propterea nos a scribendo cessasse quodammodo, atque etiam prope merito accusari posse visum iri. Ac si mihi dicendum est, quod ego sentio, parum prudenter atque nulla cum ratione ab utroque nostrum est factum, qui eo modo primum Latinum stilum non mediocri exercitatione defraudavimus: deinde, quod amicitiæ nostræ vel sempiternam testificationem, qua literæ Latine scriptæ in omnium ætatum memoriam producere potuissent, improbe detraximus. Sed satis de excusatione, vel de accusatione potius: si posthac tamen curabimus, ut hoc modo frequentiores simus in scribendo, quam alio committere, ut nos excusando, magis accusandi esse videamur: atque ad tuas literas redeo. Eas igitur scito mihi iucundissimas accidisse: quum quoniam eo modo, qui mihi magis probabatur, erant conscriptæ: tum quia iis certior fiebam, meum Grifolum vivere, quem ego iam triennium fraterne luxeram: quo uno optatissimo nuncio, nihil est, quod evangelii a me auferre

non possis: tametsi nonnihil molestiæ tamen epistolæ pars illa, in qua de meis erga te meritis atque officiis extollendis quasi finem non facis, meam hanc tantam lætitiam non leviter aspersit. Nam, etsi te quidem gratissimo animo atque optime instituto facere certo scio: id tamen quodammodo ægre tuli. Nam præterquam quod magnam iniuriam amicitiæ nostræ facis, qui tantopere queraris, te parem ei gratiam referre non posse, cui ne ullas quidem agere debuisti: non ego in tuis scriptis, et amici et iure optimo laudandis, plus sum laudis assecutus, quam aut studii aut officii in eo ipso posuerim præstando? Quid enim mihi tam faciendum fuit, quum ad nostræ ætatis poetas veni, quam ut prudenter viderem, ne quis ex eis, qui in aliquem bonorum numerum venissent, me præteriret? in iis vero, qui suo splendore cæteris quasi lumen prælucerent, ne aut cæcus, si non animadvertissem: aut iniquus, si non iis suam quoque laudem impertissem, viderer omnino? In quibus, quum tu non ultimum locum obtineres, hunc ego, si tibi cum cæteris bonis concessi, aut adversus improbos tutatus sum, nihilo sim amplius de te meritus, quam qui de virtute virtutem laudans mereri posset: nisi ea quoque tibi gratissima videri, quæ sine maxima culpa in te omitti non possent, omnibus significare voluisti. Quod vero de Principibus meis, tam doctissimis, quam etiam nobilissimis feminis scribis: scito, filias illas egregie eruditas esse, et una cum ætate sua omnium etiam opinionem superare: easque suum locum hoc quoque nomine in nostris De gloria libris habere. Nam, quod me mones, ut in eius operis exemplis minus ambitiose agam, neque etiam quasi de Principum fæce hauriam: tu recte quidem, et sapienter mones: neque id ego tecum non sentio: sed tamen, si pauciores quosdam offenderis minus hoc mea laude dignos, id a me in eam partem factum accipias velim, me unum aut summum alterum non tam hac mea commendatione cohonestasse ut ea inaniter gestiret, quam ut, quid sibi ad veram gloriam faciendum esset, inde plane perspiceret, qui mei tres De gloria libri iam pridem mihi sunt absoluti. Utinam qui-

dem, ut materia postulat! nam eodem tempore tantam mihi gloriam confecissem quantam omnes, quorum in iis exempli gratia meminimus, sibi compararunt. Quod vero ad præcipiendi rationem pertinet, ita quidem est, ut dixti, quum summi res negotii, tum summæ etiam difficultatis. Sed his quoque id accedit, quod ea dicendi ratio, ut summam indignitatem, quæ in docendo versatur, omittam, quamvis politiorem dictionem facile corrumpere posset. Quare ego quum publicam istam præceptionem exercerem, plerumque ea lingua utebar, qua omnes nunc loquimur. ' At quis hoc, te præter unum, probabit? At mihi magis in recte scribendo, quam in inepte loquendo ex tempore, consultum volui: meque omnes Latine scribere, ut viderent, quam auditores impolite semper, improprie interdum, si minus barbare loqui, malui audirent. Sardonium, ut tu dicis, atque Sardonianos omnes ita fregimus, itaque contrivimus atque confecimus, ut mutos diceres. Coaxant quidem, nescio quid, sed subter aquam, ranarum more: nullum enim, quo suam ignorantiam defendant, adhuc verbum faciunt. Sed isti, atque adeo istis Dii meliorem dent mentem. Quæ in Catullum scripsimus, propediem exspecta. Si me diligis, si te a me amari scis, quum primum occasio dabitur, ut usquam in Grifolum meum incidas, ut meo eum nomine complectaris — nimis enim parum est atque exile, ut salutes — te etiam atque etiam rogo. Vale, Ferrariæ, Cal. Octobris.

Ep. VI.

EIDEM.

Quid hoc est, Aoni? num semper Italico sermone per literas agemus: numquam ne Romanus stilus, quo in perpetuis scriptis, atque ad alios sæpe amicos utimur, locum ullum in nostris literis habebit? hoc quidem, quo vulgus noster loquitur, sensa nostra, perinde atque Latino, plane explicamus: nisi id etiam interdum ex rebus novis, suis Lati-

nis nominibus carentibus, plenius ac significantius facimus: hæ tamen literæ nullum aliud lumen, nullius alius lectionem, quam utriusque nostrum, sunt habituræ: præsertim meæ, quæ tam longe a vestra Hetrusca dicendi ratione absunt, quam qui longissime gentium, etsi tantum Apenninus nos disiungat, et natus et altus sit: ut eas in ulla volumina, quæ eius quoque linguæ multa multorum simul una scriptorum quotidie eduntur, coniici posse nullo modo sperem. Quare ego hoc Latino posthac utar: et ut stilum exerceam, et te quoque ad hanc meliorem scriptionis rationem revocem. Mitto igitur tibi defensionem meam adversus quendam Sardum, hominem tam iniquum, quam etiam ignarum: cuius stultitiam in ea facile cognosces. Nam in quo me accusat, proponi primo in loco fideliter, postea vero, mea ut sequatur defensio, æque curavi: in quo meo adversario, Dii me perdant, si quid boni est, præter quod ego alter Cicero cum isto esse videor, quando et ipse suum Sardum Sardo habuit nequiorem. Tametsi in meo multi insunt Sardi, etiam nequissimi: quos tamen ita fregi, itaque contemptos reddidi, ut ne hiscere quidem audeant. Nam quod præfracte pergant in suis nominibus, Catonibus, Lentulis, Metellis, Cethegis, Dolabellis, et reliquis eius generis cognomentis insanire: concedunt tamen, Romanarum familiarum nomina in IUS terminare: ut modo nobiscum sentiant, modo contra: secum autem eodem modo semper, hoc est, inconstanter agant. Sed iam istos missos faciamus. Quintus annus agitur ipse, quum Jacobus Grifolus hac transiit, Senas accitus, ad Latinas literas publice profitendas: nil postea neque ab eo, neque de eo mihi nunciatum est. Nunc vero Venetiis tristis mihi rumor affertur, qui me quoque prope occidit: illum diem suum obiisse. Si me amas, quæras, quid de illo sit, meque postea hac gravissima sollicitudine libera. Amavi enim illum, quam qui maxime amari potuit amicus. Ac, quod ego spero, cupio quidem certe, me certiorem fac, eum vivere, etiamsi mortuus sit. In hoc enim falsa spe me sustineri facile patiar. Apparatus meos, quos requiris, scito

me nullos esse: Florentiæ tamen reperiri quosdam audio. Id utrum sit, ex librariis scire, atque inde tibi accommodare poteris. Opus De gloria — vide — quæso, quid mihi in mentem venerit, paulo ante sum aggressus: idque in tres libros distribui, iamque primum absolvi, reliqua pergo. Utinam propius adesses, aut saltem tanta Alpium iuga nos disclusos non haberent. Sperarem enim, tuo iudicio uti posse, sed Dii videbunt, quum erunt absoluti. Vale. Cal. Maii.

Ep. VII.

A. PALEARIUS BARTHOLOMÆO RICCIO S. D.

Ego vero fateor, me dicendi genere, quod hoc tempore in Hetruria floret, valde delectari: et quia elegans est et venustum: et quia ab eo non longe abest, quod in Italia nati atque alti hausimus. Utinam, mi Ricci, natura nos labore hoc levasset, quem quotidie insumimus in ediscendis linguis. Id fecisset certe, si, ut sunt omnium gentium et nationum sensa communia, sic essent *τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα*. Græce dico, quod Latine æque non inveniam. Nam melius non audeo dicere, Thusce fortasse possem. Quodsi cum amico sic agier oportet, ut non quasi alicunde meditatus venias: quod ego sic interpretor, ut, quidquid in animo est, quicquid venit in buccam, illud ipsum scribas: vereor ne iniuriam faciamus veteri amicitiæ, si, quum amamus nos inter nos, et per literas familiariter loquimur, quasi præsentes, in perquirendis et coniungendis verbis Latinis simus occupati. Quid igitur, inquies, verba Græca sunt in epistola tua Latine scripta? quia consuetudine illa interpretandi, non quæsita etiam occurrunt. Ut, quum somnus arctior nos complexus est, ea sæpissime animo obversantur, de quibus vigilantes quotidie cogitare et loqui solemus: sic dum scribimus, verba sua sponte prodeunt, ac offerunt se ex formis, quam legendo et scribendo in nobis hæserunt. Quin etiam, ut dicam tibi, quoniam tu institu-

tum mihi tuum aperuisti, ego quoque in interpretationibus Latinis et Græcis, quum oratio Latina cursum tenere non potest, inhibeo: quumque alio modo remigare cœpi, paulisper adhibeo voces Hetruscas: non dico Italas, quod non omnes probem. Sicuti enim in Græcia aptissima fuit lingua Attica solutæ orationi, sic in Italia Hetrusca mirifica est: et ad dicendum et ad scribendum maxime accommodata. Cuius ego te in his literis, quas ad me iam sæpe dedisti, ostentatorem non agnosco inanem ac tumidum, sed scriptorem accuratum et diligentem. De hoc satis. Ad illud venio, quod epistolam tuam superiore anno scriptam, hodie Nonis accepi. Tu vide, quam raro tuæ ad me perferantur. Desino mirari, si, quas Florentia dedi, ad te non sunt allatæ. Posthac, ut omnia impedimenta vincam, si quid erit, quod aut mea aut tua interesse arbitrer, dabo eodem exemplo plures scriptas. De nominibus Romanarum familiarum nemo est gnarus antiquitatis, quin tecum sentiat: ipsi etiam, quod tibi gratulor, qui Græcam rationem sequebantur, ipsi etiam barbari tuis scriptis admoniti, ut videantur Latini, secundum nomen correxerunt imitatione Romana. Grifolum nostrum feriis æstivis omnino conveniam, et interea faciam per literas certiorem de pietate ista tua. De Apparatu linguæ Latinæ, scripsi ad te antea. Florentiæ curata fuit pecunia Bonvisiorum nomine: et est iam copia adolescentibus nostris, qui ob isthuc ipsum te multum amant: avidissime tamen exspectant libros De gloria. Vale.

Ep. VIII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS A. PALEARIO S. D.

Nicolaus Aliena, vestræ Reipubl. ad Herculem Principem nostrum legatus, mihi tuis verbis perbenigne salutem dixit: quem ego contra humanissime accepi, eique tua causa omnia pollicitus sum. Iste ipse, vel suapte humanitate, vel ut meæ par referret, pridie quam a nobis discederet, domum us-

que mihi nunciari iussit, si quid isthuc illi mandarem: qui quum nihil haberem omnino tanto Viro dignum, ne me tamen aut superbum, si nihil scripsissem, aut ineptum, si non mandassem, has illi inanes literas tibi perferendas dedi. Sed heus tu, nimis lautus factus videris, qui tam præstanti Viro loco tuarum literarum utaris. Mihi quidem longe gratissimum fuit, vel a quovis homine de te intelligere: sed, si a te ipso id intellexissem, multo mediusfidius id mihi gratius ac iucundius accidisset. Quare posthac tu me, hoc est, tui amantissimum, in hoc salutandi genere imitabere: qui etiam si nihil habeam, quod scribam, scribo tamen, ut vides, neque quod in buccam. Vale, Ferrariæ. pridie Calend. Decembr.

Ep. IX.

A. PALEARIUS PTERIGI GALLO, FAMILIARI SUO S. D.

Marci Casalis epistola valde mihi placet. Est enim amanter et eleganter scripta: quædam tamen in ea commutari volo, ut habita ratione temporum et locorum, apte libro quarto collocari possit. Scribam ad eum hodie pluribus: quæ, ut tu quoque cognoscas, erit epistola aperta et in schedula signum, ut obsignatam, si is in oppido Collino est, reddas tua manu. Sin autem in Geminiano, multi erunt, qui perferent: nihil est, quod te des in viam. Nam et ego adero Nonis. De Aganippe laudo consilium tuum: nolo aquam duci per fundum, nolo rivulis colligi uberiorem, ubi primum erumpit, ibi hauriri volo. Nam, quod gelida est, et ad orientem solem spectat, eo est salubrior. Necesse est tamen murum, qua vergit ad occidentem, perduci in altitudinem pedum octo, et sedilia fieri ex lapide quadrato, et triclinia æstiva, in quibus nos cœnitemus: ex rivorum deductione hortos irrigabimus. Quod de inscriptione rogas, feci libenter. Tuum est invenire, qui bene insculpant antiquas literarum notas. In iis est, quod Priscianus tuus vocat digamma Aeolicum,

quod Helvetii et Germani adhuc sincere pronunciant, et Romæ est in laudatis marmoribus,

AMPLIAℲIT TERMINAℲITQUE.

Sic igitur facito, ut sit in saxo oblongo:

QUEM PELLUCIDULA MANANTEM CERNITIS UNDA
FONS HIC MUSCOSIS OBSITUS IRET AQUIS.
NI THUSCOS PROPERE COLLES ℲISURA TULISSET
CECINNÆ CAMPIS HERNICA NAIS OPEM
DEDUXIT RIVOS NE QUISQUAM DICERET HORTOS
HESPERIDUM POSTHAC ESSE SED AONIDUM.

Redemptoribus, qui domum conduxerunt exædificandam, curabo pecuniam. Plateam sterni volo sabulone, et lapidibus siliceis, ob deambulationem matutinam. Nosti, quo stomacho sint studiosi, præsertim quum senectus advenerit. De versibus, quos vis esse in superficie domus, ne sis sollicitus utinam tam cito expediri posset ædificatio, quam illi sunt facti: Musæ præsto fuerunt, ne toties villico sit ultro citroque cursandum, mitto eos ad te,

QUEM THUSCUS CECINNA OLIM POSSEDERAT AGRUM
INSIGNEM LATE FRUGIBUS ET PECORE
HERNICUS AONIUS LONGO POST TEMPORE CULTU
LONGE AUCTUM ANTIQUO RESTITUIT GENIO.

De piscina quod scribis, non probo. Annon Fuscus amnis satis est? an non Riparduus? Diligo frugalitatem, odi luxuriam. Aspasia viaticum poscit, mox petet Sophonisba: quid Lampridio et Phædro fiet? Obsecro, ne suavissimos pueros perdamus. Prudentiæ nostræ est, adhibere modum, ne omnia occupent redemptores. Lucæ, Nonis Maii.

Ep. X.

JOANNES BAPTISTA GADIUS A. PALEARIO S. D.

Quod locorum intervallo disiuncti, fructu caremus iucundissimæ nostræ consuetudinis, est id quidem certe mihi permolestum. Video enim, quantam iacturam fecerim studiorum meorum, quum mihi necesse fuerit hoc tempore rusticari, proculque a conspectu tuo degere, cuius a latere mihi numquam recedendum proposueram. Quamquam illud me consolatur non mediocriter, quod hanc sane molestiam literis aliqua ex parte leniri posse perspicio: in quibus statui omnino spem mihi aliquam ponendam esse, ut quamdiu abfuerimus, certemus inter nos officiis, colloquamurque per literas. His enim ultro citroque quasi commeantibus, confirmabitur mutua inter nos amicitia. Equidem, nisi facere flagitiose voluero, ea mihi sancte colenda est necessitudo, ad quam summo me beneficio voluisti adiunctum. Cave enim fore dubites, meam tuorum erga me beneficiorum memoriam aliqua ut oblivio deleat, quæ et propter necessitatis nostræ vinculum minime solvi possunt: et vetustate, quum sint immortalia, nullo pacto exstingui. Quamobrem sic habeto, nullam tantam calamitatem posse accidere, qua vel tuum in me collatum officium intermoriatur: vel eum ipsum, quem tu in familiaritatem tuam libentissime receperis, perinde ac parum officiosum accuses. Nam, quod superioribus diebus nihil ad te dedi literarum, magis id quidem factum imbecillitate valetudinis, quam ulla mea negligentia: qui postea quam sum abs te profectus, sic e stomacho laborare cœpi, et latere, ut quod animus vehementer expetebat, id præstare mihi integrum non fuerit. Huc accessit vis quædam maxima tuberculorum, unde facta ad dolorem accessione, ægrotum corpus quasi convulsum penitus contabesceret. Ita nimio quodam languore totus confectus, aliquando obtorpui: et eo quidem vehementius, quo mihi minus bene constitutum esse corpus, haud ignoras. Nunc vero Diis bene iuvantibus, convalui: morbumque omnem, qui me

graviter afflixerat, quamvis ægre, depuli. Itaque pristinæ valetudini restitutus, cursu corrigere tarditatem cogitabam tum equis, tum velis: quum mihi Franciscus Arnulphinus præsto fuit, bonæ spei iuvenis, et ut ipse satis nosti, permodestus: meque verbis tuis sane quam liberaliter salutavit. Quod, an mihi carum, iucundumque fuerit, malo ipse diiudices. Is a me tum de studiis, tum de rationibus tuis diligentius quum rogaretur, venit in eum sermonem, ut diceret, brevi nos una futuros. Arridens enim: Optatum, inquit, nuncium affero: Aonius noster, quum de te forte incidisset sermo, significavit non obscure, cogitare se in Pancratianum nostrum. Hic ego lætitia exsultare, statimque exsilire gaudio. Sensi enim quam optatus mihi accidere adventus posset tuus. Unum, mediusfidius, diem tecum libentius posuerim, quam cum plerisque aliis vitæ reliquum tempus. Te igitur etiam atque etiam hortor, hoc ut efficias, et ad nos quamprimum cursites; ardeo enim iamdiu videndi tui incredibili cupiditate, atque, mehercule, vereor, ne si opinionem hac in re meam fallas, quemadmodum nunc nimio pæne gaudio desipere videor, sic in posterum animi mærore conficiar. Tametsi nihil esse in causa opinor, quod diutius animi pendeam, meque timor iste plane rusticus tantopere sollicitum habeat, ac vere, ut dicam, excruciet: quum præsertim subinvitare te loci possit amœnitas: et fides ipsa, quam mihi alieno nomine obstrinxisti, pertrahere vel invitum debeat. Nihil in præsentia loquor de Hieronymi Arnulphini magnificentia villarum, quas quum præsentioribus oculis intueberis, eas esse prædicabis, ut ne Luculli quidem splendori cedant. Nam, quod valetudinem aliquam excuses, nihil est, nisi fortasse longissimi itineris labore supersedendum arbitraris: qui tamen, quod nullus sit propemodum, prohibebit sine dubio accipere ullam tuam excusationem. Villa enim, quod tibi probe cognitum reor, vix quarto ab urbe lapide distat. Tu modo desiderium urbis depone: et omni prorsus abiecta literarum cura, animique deposita sollicitudine, redi aliquando cum natura in gratiam: illudque in memoriam redige, nimis

diu defraudatum abs te fuisse genium: quo vel uno nomine valetudinem istam tuam, cui præcipue serviendum est, hoc maximo solis æstu sustentare debes. Huic tu nostro consilio assensus si fueris, id saltem consequere, ut molestissimis istis occupationibus animum si non exsolvas, at relaxes aliquantulum. Quare te vehementer etiam atque etiam oro et obsecro, te, ut des primo quoque tempore in viam. Quod quidem commodo tuo ut fiat, itineri te committere, aut ubi primum illuxerit, aut inclinante in pomeridianum tempus die poteris: ut, quum se calor fregerit, tuto ad nos, celeriterque convoles. Ex Pancratiano Arnulphini. Cal. Juniis.

Ep. XI.

A. PALEARIUS CORNELIO GRAPHÆO S. D.

Hominum Lucensium mercatura est ampla et copiosa. Iis ego utor valde familiariter, qui quum omnes in me fuerint liberales, maxime omnium Bonvisii, quorum splendor magnus est in civitate: ex ea familia Alexander Ludovici filius hoc tempore in Belgica est, adolescens sane bonus, et mihi gratissimus. Est enim ingenuarum artium perstudiosus, et amantissimus mei. Non dubito quin his paucis intelligas quid velim. Hoc certo scio, si in tuam consuetudinem et amicitiam receperis adolescentem, fore tibi carissimum. Is, quæ eius est humanitas, et modestia, confidit magis literis meis, quam meritis virtutis suæ, quodque ego te amem, meque abs te amari sciat. Petit per literas, ac rogat, ut ad te scribam aliquid non vulgare, quo tibi commendetur maiorem in modum. Ego Alexandrum æque amo ac filium, ita eius patrem colui, ut si quis iis, qui e vita discesserunt, earum rerum, quæ hic fiunt, sensus est, desiderem, ut pater ipse sentiat: sin autem omni sensu carent, quod *ἄνευ ὀργάνου, ἄνευ φαντάσματος* sint mentes solutæ, ac liberæ, et veluti radii solis quum reliquerunt orbem nostrum, in sole tamen ipso sint, sic illæ in Deo, cupiam, ut qui sunt superstites,

intelligant, me hunc unum delegisse ex omni familia, quem dignissimum putem commendatione mea et gratia similium tui. Vale.

Ep. XII.

A. PALEARIUS JOANNI BAPTISTÆ GADIO S. D.

Quum mihi tantum otii esset, quantum bellum patitur, quod cum barbaris continenter gero, et munus publicum concedit, ut per me Athenæ comportentur ad Apenninum: accepi literas tuas, plenas humanitatis et desiderii, quibus in Pancratianum Arnulphini invitas, quod audio esse peramœnum et suavissimum: credo præsentia eorum, qui tecum sunt, omnibus naturæ donis, omnibus ornamentis, et fortunæ accessionibus honestissimi. Quod nisi me Eutychus meus præoccupasset, qui uxoris suæ, lectissimæ feminæ nomine uxorem meam invitavit in Granianum suum: numquam sivissem, ut isthic hodie sine me esses. Nunc ut cum uxore sim mea, visam serius Pancratianum, differamque adventum istum in alium diem. De valetudine tua et audivi, et dolui vehementer: sæpeque locutus sum cum iis, quibus es carissimus quibus nihil potest fieri humanius. Consolatione leniebant dolorem meum, quod reciperent, et viderem, neque sumptui neque labori eos parcere, quo ad curationem opus esset. Dicebant etiam ἀκίνδυνον, et te propediem firmiorem futurum. Franciscus noster, quæ eius est suavitas, credo, ut incitaret ad currendum, dixit, te validum esse, et bellissime habere: quo non credo, etsi literæ etiam tuæ id significent: quod purgationibus et morbi vi, qui te graviter afflixit, es consumptus. Quo si liberatus videris, nihil festina: mature omnia, ne ad morbum hoc etiam. Solent enim eorum, qui ægritudine liberati sunt, si in eandem recidant, graviores esse offensiones. Quamobrem mihi gratissimum feceris, si valetudinis diligentissime habueris rationem: ut, quum venero, non duo vel tria tantum spatia facere mecum in xysto,

sed pedibus quoque fundum obire possis, et sequi in proximas villas, et te invitare plusculum in cœna, et sermonem producere ad multam noctem. Vale. Lucæ, IV. Non. Junias.

Ep. XIII.

JOANNES BAPTISTA GADIUS AONIO PALEARIO S. D.

Serius mihi, quam scripseras, redditæ sunt tuæ literæ: credo, illius negligentia, cui te recte dedisse existimasti. Is istinc discedens nihil prorsus ad nos attulerat. Quem quum percontaremur, quid ita factum fuisset? Est, inquit, quod des nobis veniam. Aliis enim districti negotiis, epistolam quandam sumus apud Arnulphinos obliti. Ego, quo sum ingenio, irasci primum, deinde etiam obliviosum hominem atque adeo rusticanum, contumeliis onerare non destiti, quod in re minime levi tam egisset negligenter. Quid quæris? hisce ille conviciis nonnihil commotus, continuo in urbem rediit: perfecitque hoc, ut lubentius literas tuas perlegerim, quo allatæ tardius fuissent: ex quibus morum sermonisque tui cognovi suavitatem, et quam me amares, facile perspexi. Mones enim pro tua in me pietate, mea mihi curæ sit valetudo: in quo tibi obtemperabo non invitus, ut qui sim memor, quotannis me periculose ægrotare solitum. De Eutycho tuo quod scribis, plane accipio excusationem: tuaque causa magnopere lætor, quum te sentio ab omnibus ordinibus et coli plurimum et diligi. Sed subinvideo tibi tantam felicitatem, qui in ista luce hominum ita vivis, ut, quum ipsi maxime sint urbani, solus tamen *εὐτράπελος* videare, aut certe omnium festivissimus. Nunc te hortor, complusculos dies salutem literis dicas, si modo gravissimæ tuæ occupationes id patiuntur. Dii male faciant barbaris istis, qui tibi tantum facessunt negotii: quos si licebit umquam, iunctis copiis velim aliquando profligemus. Interea: quæ tua est fortissimi Imperatoris virtus, hostilem impetum solus acriter sustinebis. Nos ex

istis tuis Athenis, si differas adventum, literas exspectabimus crebriores: sin minus, sic te memineris exspectari, ut nos omni gaudio propediem delibutos reddas. Vale, ex Pancratiano Arnulphini.

Ep. XIV.

PAGANUS PAGANIUS AONIO PALEARIO S. D.

Vincentius Menochius, utriusque nostrum amantissimus, his proxime præteritis diebus, ut scis, Pisas venit: quicum semel vix sum congressus, idque per brevissimum temporis spatium. Nam quum in comitatu esset quarundam feminarum Lucensium, summo loco natarum, homo *φιλογύναιος* ab earum latere numquam potuit abduci. Nec mihi, quod maxime in optatis erat, contigit: ut, quum non potuisset ad me divertere, quod quidem iure hospitii debitum videbatur, semel apud me saltem cœnaret. Ille tamen, ut est omnium officiosissimus, meque in ære suo, ex quo me superiori æstate Genuæ novit, habet: ad me, quum vellet discedere, petasatus venit, totusque sudans — nam feminæ illæ, quæ huc venerant comœdiam spectatum, iamiam conscensuræ equos illum exspectabant — petivit, numquid vellem? Colloquentes igitur, tria aut quatuor spatia, dum inambularemus, fecimus tantum: isque tunc inter nos fuit sermo, qui inter amicissimos esse solet, quum alter alteri repromitteremus officia, mutuamque operam et studium, quod a verissimis amicis expeti et requiri solet. Ille autem illud omnium postremum et summopere a me contendit, ut aliquid ad te scriberem: quod ei quum recepissem me facturum, quid enim promitterem, non æque tunc ac postea, cognovi, hocque cogitarem, non semel promissi me pœnituit: idque ea potissimum causa, ut multas alias taceam, quod sum semper occupatissimus, animoque in præsenti perturbato. Sed quum in ea meditatione versarer, ut semper in animo haberem, cui id promiseram, id est, Menochio, cui aliquid negare nefas ego esse existimo,

dare autem verba nefas maximum: ad te vel ineptissimas dare literas malui, quam nullas. Sed nequeo invenire principium, neque, quid ad te potissimum scribam. Non inde faciam initium — possem fortassis — ut te accusem, propterea quod, ut postea intellexi, tu superioribus diebus huc venisti, ego tamen de isto tuo adventu a te celatus sum: quod quidem ob nostram amicitiam nuperrime Lucæ institutam, ut recte factum possis defendere, tu ipse videris. Ego quidem libentissime te vidissem. Atque ut non repugnarim, te, apud quos divertisti, fuisse lautius: non tamen facile concesserim, ut te aliquis lætiore animo et benevolentiore potuerit accipere. Sed hæc omitto: nolo enim exordium mearum ad te literarum a querelis duci. Quamquam hæc mea præsens expostulatio, vel tibi eo nomine grata esse debet, quod in hoc, quantum a me ameris, facile potes cognoscere. Illud potius initio dicam, quod de Luca Antonio, medico Pisano, qui isthuc venerat pridie Nonas Martias, primum audiveram — ea enim mandata ad me habuerat — et postea Menochius quum semel, ut dixi supra, una fuimus, mihi exposuit: vos, hoc est, Nicolaum Vidacionium, Benedictum Manfredum, Dinum Sardinum — Dii boni quos Viros, quaque doctrina et virtute præditos? — aliosque quosdam Viros Lucenses literatorum amantissimos, et te maxime cum meo Peccinio, etiam atque etiam optare, ut ego isthuc veniam, atque iam inchoasse huius negotii effigiem: quæ, qualis sit, mihi Menochius narravit. Hic igitur multa mihi occurrunt: sed, quia vix hæc possum scribere, animumque meum nostro Menochio aperui, rem brevi comprehendam. Aveo et ego isthuc venire, vel publice, vel privatim, vel utroque modo: sed privatim magis, bonas literas istam iuventutem pro virili et pro parte mea docturus. Tu igitur cum reliquis meis, quos supra nominavi, vel, si qui alii sunt, qui id exoptent, in eam curam incumbes, ut res ad finem perducatur. Illud ego sancte et ex animo promitto, me daturum operam, si isthuc venero ad hoc munus accersitus, ut nullo umquam in tempore te, vel quemvis alium, me iuvisse, vestramque diligentiam mihi

navasse pœniteat. Exspectabo, quid vel tu, vel Menochius de hac re scribatis ad me: et rationem mearum rerum vestræ literæ gubernabunt. Nescio, an in more sit istic positum, ut publico nomine diploma mittatur ad literarum humanarum professores, quos hac de causa isthuc vocant. Ego si publice eligar, vellem illud ad me dari. Ad res meas hoc multum interest. Te in reliquis rebus reiicio ad sermonem, quem de hac re cum Menochio habui: qui etiam me rogavit, ut aliquid meorum scriptorum istuc ad vos mitterem. Itaque mitto tres epistolas cum his complicatas, recentes satis, ut est videre. Plura si volueritis, et alio in dicendi genere, mittam. Sed ex illis versibus, qui sim in stilo et dictione, optime coniicere potestis: a me tamen otiosiore et quietiore, meliora fortassis possunt exspectari. Meis verbis dicito plurimam salutem Peccinio, Manfredo, et Dino, articulate etiam Vidacionio. Licet enim de facie minime hominem cognoscam, tamen, quod me amat, quodque a nostris literis, licet sit iurisconsultus, non abhorret, eum summe colo et observo. Non dico Menochio, ad eum enim scribo separatim: cui hunc literarum fasciculum curavi reddendum, ut certius perferatur. Pæne illud omisi: tutius hæ meæ omnes epistolæ domi vestræ erunt. Id ita interpretamini, ne ulli detis describendas: hoc vos supra modum rogo. Vellem, ut hæc etiam de mea causa attingam, rem quidem cito confici, ne interea animi pendeam: sed nollem, id si ullo pacto fieri potest, ante Julii Idus istuc venire. Sed nolo tempus ullum rationem negotii conficiendi impedire: me enim ad id, quod feceritis, accommodabo, dum interiectus saltem sit mensis. Vos omnia pro vestra singulari sapientia, proque non vulgari vestro in me amore credo facturos: et præcipue, ut totum negotium cum dignitate conficiatur. Nihil igitur præscribo. Illud tantum tibi: Ego te, Aoni, ob summam tuam eruditionem, pari cum humanitate coniunctam, mirifice amo et observo, hæresque mihi in visceribus. Eam tu igitur mihi in hac causa præsta operam, quam de te mihi polliceor. Effice, ut te necessario, ni ingratus esse velim, colam: quem

antea libenter tantum et sponte, nullo tibi beneficio nulloque merito obligatus, mihi proposui observandum et hæc satis. Credo, vos audivisse, Rectorem, ut appellant, huius Academiæ, a Cæsare Crasso patricio Mediolanensi nudiustertius mane in scholis accepisse tria vulnera in scapulis, levia admodum: qui miser iuvenis repente post factum comprehensus a cohorte prætoria, quum multum, nullo armorum genere tectus, ille se nudato ense defendisset, hocque mane, vel magis paulo ante lucem securi percussus est: iacuitque pro Palatii porta ad quatuor horas, vulgo miserabile spectaculum temeritatis et imprudentiæ iuvenilis. Sed hoc triste omitto: tu me amabis, ut quidem amas, qua in re non patiar a te vinci. Tuas exspecto, te dignas: Aonias scilicet et perelegantes. Pisis, XV. Calendas Aprilis.

Ep. XV.

A. PALEARIUS PAGANO PAGANIO S. D.

Ego vero vellem nobiscum hic esses: studium enim meum et diligentiam amicorum in petitione præsens videres, et nos fructum caperemus dulcissimæ consuetudinis tuæ. Sed tu, dum ab uxore, liberis, et rebus tibi carissimis abesse non potes, adhuc angis nos desiderio: et negotium tuum, qua vellem celeritate, non explicatur. Post tuum discessum, ut ex Menochio audire potuisti, nullus prope dies fuit, quin de te simus collocuti, commentatique inter nos, qua ratione res transigi possit. Ego de publica conductione prius agendum censebam apud Gymnasii præfectos, postea de privata: ille contra, de privata prius, quod vereatur, ne, ubi a præfectis impetraverimus omnia, privati, quorum flexibiles sunt voluntates, differre ac procrastinare incipiant syngraphæ subscriptionem. Non dissentiam ab homine tui amantissimo, a quo tibi prompta et parata esse omnia certo scio. Eius consilium omnino sequar, quod putem, me tibi in ea re facere gratissimum. Adduci tamen non possum, ut credam, præ-

fectorum conductionem faciliorem esse subscriptione privatorum hominum: ita te Lucæ florentem videam, ut, ubi intelligent aliquorum commodum in primis agi, Herculis labor erit exantlandus, ne nobis adversentur, qui rem publicam gerunt: præsertim quum ludimagistri quidam, quibuscum tibi bellum gerendum continenter esse video, maiori stipendio conduci te gravissime ferent. Iis quum magnæ sint necessitudines, veteres amicitiæ, arctissimæ coniunctiones cum Principibus civitatis, nonnihil pericli est, ne Senatorum animos a nobis alienent atque abducant. Propterea antequam illi rescirent, cum præfectis agi, ad Senatum referri, et S. C. fieri in te perhonorificum volebam: quid impediebat postea, ne cum privatis nostro commodo pacisceremur? Magna est avaritia hominum, fateor: imo vero maior est, quam putaram. At magnum hoc est et optandum, ut invenias, cuius fidei liberos committere possis, bonum et disertum Virum. Ego, etsi quum has literas legeres, putabam fore, ut scires, quid iam Menochius egisset: volui tamen scribere ad te sententiam meam, adversos magis rerum exitus metuens, quam sperans secundos. Quod quereris, me proximis superioribus diebus Pisis fuisse, neque ad te: ignosce festinationi meæ. Fuit mihi negotium cum publicanis: quibus ut satisfacerem, eodem die, quo veneram Pisas, erat mihi Lucam recurrendum. Verebar, ne, si amicis conveniendis tempus tererem, nox me in itinere opprimeret. An locupletior mihi testis quærendus est, quam Robortellus? qui me quasi per transennam asspexit abeuntem potius, quam venientem: qui quum tamen non modo diem, sed annos libentissime ponerem. Pluviis et tempestatibus coortis, non potui satisfacere publicanis: quare trium dierum iter mihi fuit conficiendum, via pessima et lutulenta, ne mundum muliebrem uxor mea amitteret, quem illi interceperant, arculis non obsignatis. Quod eo scribo, ut accipias excusationem meam. Sed quid ego tam multis ad te? qui non ignores, quæ sint imperia uxoria: quo minus est succensendum amico nostro, qui sudans et petasatus servit. Epistolas tuas

non vidi. Vincentius, opinor attulit ad Vidacionium: is Vir optimus est, et tui similium perstudiosus, eam quoque, quam ad me miseras, quum vix legissem, quoniam aperta illa quidem erat, putavit ferendam ad Bertolinum et Peccinium nostros. Nolui repugnare. Itaque nullæ sunt apud mæ literæ tuæ: nihil erit mirandum, si non ad omnia. Certior tuæ voluntatis factus, non exspectabo literas, quæ ad tuum commodum, honorem, et dignitatem pertinent, maxime mihi curæ sunt, eruntque: ea prosequar omni genere officii, industriæ, diligentiæ, quæ vel tibi placere intelligam, vel amicis tuis. Vale. Luca, octavo Calend. Aprilis.

De Cæsare Crasso quæ scripsisti, non potui legere sine lacrimis. Eius pater suavissimis et temperatissimis est moribus, et propterea a me valde amatur. Filii autem aspera quadam, et indomita natura, quæ patri displicebat: si vel disciplinis vel ætate corrigi potuisset, habuissent Insubres aliquid singulare atque egregium. Sed is animo feroci, ac exsultanti aviditate gloriæ ferebatur: gloriam, quæ summa in patre erat, non videbat. Miseret me adolescentis: nam patris eius non audeo dicere, in quem miseria et dolor cadere non potest. Nam aut hic est sapiens, aut nemo est sapiens. Adhuc ambigo, daturusne sim ad eum literas consolatorias.

Ep. XVI.

PAGANUS PAGANIUS A. PALEARIO S. D.

Ut te nostro de Menochio puto audivisse, istuc veni superioribus diebus, omnia ex animi mei propemodum sententia confecta inveni: quod acceptum secundum Deum refero vobis omnibus, qui me, ut estis omnium humanissimi, supra modum amatis: sed tibi præcipue. Audivi enim ab omnibus, qui se in hoc negotio meo immiscuere, te ita mea causa, cum summa diligentia et benevolentia elaborasse, ac si tibi essem frater. Illud non admodum belle mihi ce-

cidit, quod tunc tu aberas: te enim præsentem vidissem, quicum aliquantulum temporis, quod brevissimum dabatur, decreveram ponere. Has igitur in præsenti tibi habe, ea potissimum causa scriptas, ut intelligas id, quod etiam me non scribente tibi persuasum esse certo scio, me scilicet hoc nomine plurimum tibi debere: atque id unum mihi esse in animo, ut pro tuo isto fraterno in me amore, me semper in omni re cognoscas gratum et memorem tuorum in me beneficiorum. Nam nulla res erit umquam tam difficilis, quæ a me tua causa suscepta, non mihi perfacilis videatur, Perge igitur, ut facis, et rem meam confice, si quid restat conficiendum: tu certe me tibi arctissimo amoris vinculo devincis, et imponis necessitatem mihi amabilissimam, ut te perpetuo colam atque observem. Et hæc satis. Mea uxor, quæ a me intellexit, ut de me optime sis meritus, te tuosque omnes multum diligit. Eius igitur nomine tuæ uxori plurimam salutem nunciato. Et tu me plurimum, ut facis, ama. Ego te certe quidem fraterne amo, pæne dixi æque ac me ipsum: possem vere id dicere. Vale, Pisis, Calend. Maiis.

Ep. XVII.

A. PALEARIUS JOSIPPO JOVIO S. D.

Pridie Nonas Octobris exspectatissimæ literæ mihi Principis Salernitani nomine redditæ sunt, quæ ad similitudinem tuæ manus proxime accedebant: tam tui similes, quam tu es tibi: pietatis, humanitatis, et amoris plenæ. Cum his erat Vincentii Martelli epistola perofficiosa. Postridie eius diei quum cœnarem, ecce nuncii optati et iucundi, Lucam cum heroe illo venisse cœlestes et divinos Viros. Quid censes? potuisse me supersedere, quin ego recta ad Cenamii ædes, ad quem is divertisse dicebatur? quum eo venissem, neque te, neque Martellum, n eque Tassum comperissem, neque eorum quemquam, quos mihi proposueram, per quos

intromitti sperabam, noli quærere, quam animo ceciderim. Sentiebam enim extenuari spem, quam mihi Martellus epistola iniecerat, et tu promissis illis tuis confirmaras. Quum tamen recentes essent literæ vestræ, et magnifice pollicerentur, cohortatus ipse me, nolui exspectare deductores, tum quod nulli essent: tum quod audieram, quod multo est verissimum, eo Principe nihil esse illustrius, nihil humanius. Ad quem quum venissem, et abiecissem me ad eius pedes, non sustinuit, sed complexus libentissime accepit propensionem animi mei. Deinde me de studiis nostris percontatus numquam mentiouem fecit earum literarum, quas per vos dederam. Subodoratus sum, quum in Hispaniam esset eundum, veritos vos, ne videremini invenusti et inurbani, si ad me non rescriberetur: mirabar vero, te id oneris suscepisse, quod semper recusasses. Antonius Collinus, qui te valde amat, ad matrem tuam, lectissimam feminam, quæ tui desiderio moritur, literas detulit. Affirmavit illa, tua manu esse scriptas: quas amplexa, osculata, lacrimis prope delevit, neque postea passa est eas a se divelli. M. Lilius, qui mecum est totos dies, observavit genus dicendi grave et elegans, in quo tu nobis Deus videri soles. Dolet, istam suavitatem ingenii diutius abesse a nobis. Adhuc dum tu nullo loco constitisti: nos te non fruimur, et tu nobis cares: pendemus interea exspectatione, ubi, quibuscum apud quos futurus sis. Novi fastidium stomachi tui, in quo ego agnosco meum. Is est cursus temporum, ea sunt ingenia hominum, ut nihil melius, quam ut nusquam: id quoniam fieri non potest, ut necubi sis diu. Hoc loco si videor facere, quod vulgus medicorum solet, ut, quos ægritudine levare velint, eos medicina gravius afflictent: fateor me non invenire remedium, quod non faciat dolorem. Grave est Lilio, grave matri, mihi gravissimum, tam longe te abesse. Verum quum patria ingrata sit, durus pater, qui te colere et observare deberent, non intelligant, quam tuæ virtutis splendore illustrari possint: quid dicam? Cepit me incredibile odium generis humani, quod vel a consuetudine,

vel ignavia, veluti ab aliqua Circe ita est immutatum, ut mira sit ubique inopia hominum. Tu virtute ista tua te confirma, bonoque animo sis: imo vero etiam gaudenti, quod illis places, qui tibi mirifice placent. Cuius rei non est locupletior quærendus testis, quam ego sim tibi, qui de te nullum finem facio cogitandi et quotidie admiror magis istam despicientiam rerum humanarum: quam tamen si tu sic humanitate temperares, ut ad eos, quibus es carissimus, crebrius scriberes, cave putes quicquam fieri posse suavius ingenio tuo. Vale.

Ep. XVIII.

A. PALEARIUS VINCENTIO PORTICO JURISCONSULTO S. D.

Ego ita amicus sum iurisconsultis veteribus tuis, ut, qui eos non colant, et qui non caste colant, mihi plane sint inimici. Intelligis, mi Portice, cur ego te valde amem et quid velim, antequam petam? Audio esse apud te veteres aliquot interpretes iuris civilis, tanta me cupido invasit, ut, si in conclave illud Hermathenæ tuæ irrepsero, non verear haberi in numero direptorum. Equidem vel quod ingravescente ætate simus omnes avidiores, et appetentiores quam par est: vel quod, ubi plus sapimus, suppudeat nos tam parum scire: id ætatis factus sum librorum belluo voracior quam credi possit: quod est indicium stomachi crudioris, et qui facile moveatur. Sunt præterea mihi duo liberi, quorum alterum Latinis et Græcis literis, et philosophiæ naturali dare operam volo, alterum Latinis et iurisperitorum facultati: huic Græcorum librorum copiam feci, illi iuris civilis supellectilem paro, cui te ducem do, amicum, tutorem, patrem, ut his nominibus filio meo plurimum debeas. Sed nolo ego te omnia meorum causa facere: cupio etiam aliorum: desino orare, ut volumina illa alicui transscribenda des, cuius manum amem. Esset enim id immensi laboris. Illud potius rogo, ac peto in commune, ut

consulas, id est in societatem studiosorum: imperti nobis aliquid bonæ istius fortunæ tuæ: sine, ut commentarii isti a typographis edantur. Quod quum feceris, dempseris tibi nihil,

Ut homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit
Ut nihilo minus ipsi luceat, quum illi accenderit.

Nollem tuas istas divitias latere diutius in tenebris, nollem in te includi ullum commodum studiosorum: illud præterea: si qua in his commentariis tua sunt, id est, a te scripta quæ facio plurimi, quod ad interpretes illustrandos accesserint, scito interpretes istos sequi debere.

SI UT HABILITER GEMMÆ GERI POSSINT INCLUSÆ AURO FUERINT, TUNC AURUM GEMMIS CEDERE DICIMUS.

Paulus Iuriscons.

QUONIAM HOC SPECTAMUS QUÆ RES CUIUS REI ORDINANDÆ CAUSSA FUERIT ADHIBITA NON QUÆ SIT PRETIOSIOR.

Ulpianus:

ET IN ARGENTO POTORIO NON ID DUNTAXAT INESSE VIDETUR IN QUO BIBI POSSIT, SED ETIAM QUOD AD PRÆPARATIONEM BIBENDI COMPARATUM EST.

Pomponius respondebat: additamenta enim sequuntur ea, quibus sunt addita. Vides, quantum semihora profecerim in studiis tuis? ut audeam tibi iurisperitissimo negotium facessere, et contendere, ut, quæ tua sunt, non sint tua: sed ego non te ex iure manu consertum voco: nihil superbe, nihil insolenter faciam, modeste et humaniter omnia. *Τῶν θεῶν ἐστι παντα. φίλοι οἱ σοφοὶ τοῖς θεοῖς. κοινὰ τῶν φίλων πάντα. ἄρα τῶν σοφῶν πάντα.* Et omnino, si

a Deo sunt omnia, a quo non modo mentem et bonum ingenium dari, sed vitam quam vivimus, et spiritum quem ducimus, nobis impertire videmus, cur nos aut tam iniuste avari sumus, aut tam odiose invidi? ut studiosis bonarum artium, qui Deo sunt acceptissimi, non concedamus ea, quæ, si edantur, nobis gloriæ esse, et aliis prodesse possunt, obesse certe nemini. Sed quid ego tam multis expertus toties benignitatem et liberalitatem tuam? vereor, ne sim iniurius, qui sic rogém, quasi dubitem, quin mihi pro communi bono laboranti non respondeas, quem sciam semper omnibus optime respondere. Vale.

Ep. XIX.

FRANCISCUS CORSINIUS A. PALEARIO S. D.

Heus tu, qui perpendis momenta officiorum omnium, nonne debes mihi plurimum? Quid tibi? inquies, a quo nullum umquam beneficium. Quid ais? itane tandem? te in iudicium voco, litem intendo, vel te iudice dirimendam. Primum a te summa contentione peto, utrum per Deos neges amicitiam nostram a pueritia inceptam, cum ætate crevisse simul, longa consuetudine confirmatam, stabilitam esse multis ac magnis officiis? Vide, quid respondeas: verbum non audebis. Si concedis, vici: si negas, ego te aggeribus et vallo cingam, vineis et turribus admotis oppugnabo, ariete arcem defensionis tuæ percutiam: quid obsecro facies, quin te dedas? Omnia tormentorum genera mihi sunt Verulis, Babuci, Turricii: etiam, si opus sit, ad te expugnandum expeditæ legiones ex Hernicis tuis educentur. Nega, fatere: quoquo te vertas, bene habet, vicimus, et quidem parvo negotio. Nam illud firmissimum est, ut idem velle, et idem nolle, sit amicorum: quum præsertim, quæ honeste ab amicis petuntur, optimo iure petantur. Quid est igitur, quod mihi iure non debeas? qui et amicitiam sanctissime colo, et summis laudibus ad cœlum te effero. Sen-

sisti iam diu, me rerum tuarum lectione mirabiliter delectari. Et credo, propterea superioribus annis non semel ad me orationes tuas, cum epistola ad Lucenses misisti: quas avidissime quidem legi, et earum copiam multis tui studiosis feci. Lactasti. Nam quid hoc est? cur ab officio discedis? Quod consuetudine fit, id etiam iure fieri aiunt. Diutius, quam nostra ferre possit amicitia, præsentis anni tuam orationem exspecto. At tu fallis opinionem meam: qua re subiratus primum, deinde ad me rediens, cœpi egomet mecum: Hem, cur non ad me, ut solet? constitui tandem monere te pro amicitia, ut, quum primum poteris — poteris autem quum voles — quam diligentissime orationem mihi debitam ad me mittas. Id nisi feceris, cave a machinis. Eo molestus usque esse pergam, quo de amicitia fateare, et in manibus habeam orationem tuam. Vale, VII. Calend. Januarias. Babuci.

Ep. XX.

A. PALEARIUS FRANCISCO CORSINIO S. D.

Delectavit me hilaritas literarum tuarum, et ex iocis: et quod animo prompto esses ad iocandum, magnam cœpi voluptatem. Feci enim ex ea re coniecturam, vos omnes recte valere, et bona spe esse: et te, quod non putaram, provecta iam ætate, factum studiosum rei militaris. Quod nisi te probe nossem, qui cum gladio falcato illi tuo alligaris, es omnium impeditissimus, credidissem ego, te summum evasisse imperatorem. Ita enim aggerem, vallum, vineas, turres, arietem, legiones nominas, quasi non modo obsederis, sed expugnaris urbes, castella vi pugnando ceperis, exercitum duxeris. At vero quod in eadem epistola in iudicium vocas, et litem intendis: remittis de spiritu multum, et militaribus minis, præque te fers iuris potius quam militiæ peritum. Sed nihil valde opus est, ut vel hunc vel illum agas: cum homine, qui non modo non negat, sed fatetur,

immo vero prædicat, omnia se tua causa et velle et debere: qui benevolentiam tuam imitari potest, merita assequi numquam. Literas minus sæpe accepisti, quod nihil proximis mensibus accidit, quod scire aut tua aut mea interesset. Qua in re tu a culpa non abes, quod mandata mea tam diligenter prosecutus es, ut sint plane exhausta: aliquid erat relinquendum, ut tua opera uti possem. Audiveram præterea, vos esse in Hernicis, quo ex Hetruria vix semel in anno nuncius venire potest. Postremo ne me excusem — dicam enim quod est — factus sum in scribendo piger: credo occupatione muneris publici, quod mihi prorogatum est a Lucensibus in annos tres. Quid ita, inquies? tam diu a nobis? Tu vides: credo tamen, posse fieri, ut æstivis feriis in urbem veniam, simque apud vos universum triduum. Multorum dierum via est: ego tenuissima sum valetudine; iter sæpe erit intermittendum, ultro citroque commeantem feriæ deficient: et omnino præterquam ut vos videam, cum quibus coniunctissime viverem, causa nulla est, cur Romæ esse magnopere cupiam. Vix dici potest, quam me satietas adhuc teneat pompæ curialis: incredile odium quorundam, qui Deos hominesque contemnunt, et impudentissime vivunt: quos ego æquo animo videre non possum, ii ventosissimi passim in oculos incurrent. Credebamus censura episcoporum coerceri libidinem hominum; id si aliquando fiet acriter, reviviscet religio, iustitia, abstinentia: sin minus, Romæ diu me non videbis. Tu, qui ea ferre non potes, quæ mirum est ut quidam non modo perbelle sorbeant, sed concoquant etiam: in Hernicis vive, fruere integritate Philonardi, sanctissimi viri: quicum ego libentius unum diem posuerim in villa ad Fibrenum, quam reliquum vitæ tempus in omnium illorum regnis. Orationem meam, quam per literas petis, mitterem ad te, si mihi vel tempus ad scribendum, vel servus a manu, vel librarius esset: iis destitutus, non possum nunc mittere. Nihil tamen est quod labores: illepida est et invenusta: quæquæ tamen est, melior fortasse mittetur a typographo cum cæteris brevi. At hoc brevi

puta esse anni spatium: aut, adhuc enim apud me sunt. Multa meum animum diverse trahunt, mi Corsini. Si mutavero sententiam, et in aliud tempus differam editionem, nihil dubita, perferetur ad te mea manu scripta: neque committam, si tibi gratissimæ sunt, ne meis nugis non expleam desiderium tuum. Vale, Idibus Februarii, Lucæ.

Ep. XXI.

A. PALEARIUS ANDREÆ ALCIATO JURISCONSULTO S. D.

Si quantum bene meritus es de iure civili, tantum abs te amantur eius defensores, næ ego non temere in eam spem veni, ut oratio, quæ in L. Muræнam a me scripta est, adiungat me tibi magnis necessitudinibus. Nam etsi tua in iurisperitorum scientia munera tot tantaque sunt, ut in ea asspirare nemo possit: non molestum tamen tibi esse debet, si mea opera desiderem aliqua ex parte laudibus asscribi tuis. Merita quidem sunt longe disparia, neque ego meum factum cum tuo comparo: nonnulla tamen est similitudo voluntatis et officiorum nostrorum. Tu primus ius civile, quod miseris perditisque temporibus in incredibiles tenebras ac sordes fuerat coniectum, reduxisti in conspectum hominum peritorum, et illustrasti splendore orationis: ego idem ius civile, quod florentissimis Reipubl. Romanæ temporibus calumniis fuerat septum ac circumvallatum, primus, ut opinor, oratione Latina a claustris Tullianis ausus sum vindicare ac tueri. Quamquam in ea re tua sors melior est, quod tu de superiore loco pugnas, modo cum Græcis, modo cum Latinis, sæpe cum barbaris hominibus, et pulcherrime vincis: ego alienissimo loco et tempore, cum Deo eloquentiæ contendo, nec Diis nec viribus par tibi numquam deerunt laudatores, mihi semper obtrectatores superabunt. Sunt enim quædam pestes hominum propensissimorum ad cavi-

lationem et convicium. Ab his non tam observabitur S. Sulpitius a me defensus, et M. Cato, Vir integerrimus: non ius civile susceptum, non Stoica disciplina per me erecta, et meis humeris sustentata: quam novitas rei, quod duras partes susceperim, ausus repugnare oratori divino, et prope cœlesti. Hic ego appello æquitatem tuam, Alciate, hic fidem tuam imploro. Si neque excutere, neque examinare licet ea, quæ veteres nobis scripta reliquerunt: exiguus est campus exercitationis, nullus modus vestigandæ veritatis: a qua longissime potuerunt aliquando abesse scriptores, tempori et causæ servientes: et abfuerunt sæpe, fortasse odio atque invidia abducti. Ubi sunt isti Ciceronis studiosi? qui singula eius dicta, singula testimonia putant. Nihil censet Cicero iniquius, quam auctoritate et nomine pugnare. Obsecro te per fortunas, per ingenium tuum, Alciate, ut me adiuves in hac re. An non vides, quæ mihi tempestas impendeat? quæ turbæ paratæ sint? Nulla umquam fuit ætas, in qua maior copia fuerit accusatorum. Si tu consuetudinem in advocationibus præstandis servas, quæso mihi advocatus esse memineris. Solent, qui sibi periculum conflari timent, eos convenire, a quibus consilium et auxilium expetant: ego quem adibo et colloquar? quem invocem, aut implorem, nisi te? qui respondendo et cavendo Deus mihi quidam videri soles. Oratio apud te est, non exibit nisi iussu tuo: si eam probabis, sic te para, ut defendas. Ob dignam liberali homine doctrinam, tibi turpe arbitror, eloquentium iurisperitissimo, non sustinere iurisprudentia defensorem iuris: turpe iurisperitorum eloquentissimo, hominem, qui pro tuis artibus defendendis magnos labores susceperit, summa pericula adierit, eloquentiæ armis non tegere. Sed, quoniam nihil invita Minerva tua fieri volo, si quid oratio te offendet, cupio eam supprimi: gratissimum erit, si, quid sentias, feceris me per literas certiorem. Vale.

Ep. XXII.

ANDREAS ALCIATUS JURISCONS. A. PALEARIO S. D.

Orationem tuam in L. Muræenam, qua Ciceronianæ respondisti, avidissime legi, eaque lectione plurimum sum delectatus: non tam, quod in ea patrocinium iuris civilis suscepisti, et contra eloquentissimum oratorem artem nostram defendisti — quamvis et id quoque argumentum nobis plurimum placuerit — quam quod veterem declamandi morem in præsentem usum revocas: et superioris ætatis incuria, ne infantiam dicam, obstructam controversiarum apud rhetores viam aperis, reddisque facillimam. Quæ res non solum ad comparandam dicendi facultatem pertinet, sed etiam nobis iurisconsultis admodum utilis est. Nam responsa prudentum, puta Alexandri, Cornei, Socini, quæ nunc sunt in pretio, si eis legum nomenclaturam adimas, quid sunt aliud quam declamationes? paucissimi quidem ex humaniorum studiorum professoribus hoc præstare possunt: quod si qui possint, ad iurisprudentiam, quæ uberiores fructus parit, transire maluerunt, quam inter pueros fictis thematis consenescere. Unde factum, ut pulcherrima doctrinæ exercitatio interierit: quam nunc a te suscitari, et in ora hominum tanta cum gloria reduci mehercle primum gaudeo, hocque nomine me tibi plurimum debere fateor. Nec id Tullianæ auctoritati, quæ apud omnes sacrosancta esse debet, quicquam obesse existimo: quandoquidem solebat ipse ultro eorum personas inducere, qui sibi adversarentur. Sic enim veritas Socratico more magis elucescit. Aiebat, ni fallor, Domitius clienti: Dic contra, ut duo videamur. Nihil igitur est, quod formides, mi Aoni, ne, qui omnia Ciceroni tribuunt, tibi sint infesti. Nam et ipse ex illis sum, qui tamen te hoc nomine valde amo. Tantum abest, ut Ciceronianam maiestatem te aut imminuisse, aut vel tantillum læsisse existimem. Immo iuratus affirmare ausim, vel in tuam sententiam descensurum fuisse ipsum Ciceronem: nisi argumentum causæ, quam sustinebat, aliud expostulasset.

Nam extra eum locum satis ex universis eius operibus apparet, quantum semper iuri civili ille tribuerit. Macte igitur esto, Vir clarissime, qui veterem nobis eloquentiam repræsentas, amissam maiorum incuria declamandi consuetudinem restituis: iuri civili dignitatem suam asseris: M. Ciceronis præiudicatæ apud omnes existimationi non solum nihil detrahis, sed *κατ᾽ ἀνάκλασιν*, ut magis et magis refulgeat, facis. Quibus tot tuis virtutibus ego unus ex studiosorum populo tantum me debere profiteor, quantum vix fando testari possum. Vale. Ticini, Calend. Octobribus.

Ep. XXIII.

A. PALEARIUS BERNARDINO MAFÆO CARDINALI S. P. D.

Quum in Hetruriam tristissimi nuncii de Flaminii obitu afferrentur, amissione optimi viri mihique amicissimi, et sermone omnium, qui studiosorum fortunam vel dolebant vel miserabantur, gravissime sum commotus. Vulnera enim illa, quæ ob Sadoleti et Bembi mortem acceperam, non sanata erant: et plaga ista iniecta rationibus meis tantum attulit doloris, quantum, si longior fuisset illius sanctissima vita, mihi abstulisset molestiarum. Paucis ante diebus quam ægrotaret, eum de me cum Lucensibus sermonem habuerat, ut facile intelligam, nulla illum in re, quæ ad honorem et dignitatem meam pertineret, umquam defuisse. Quum in quartanam etiam incidisset, eaque molestissime afflictaretur, sic amice percontabatur a Lilio, quem mirifice a me diligi intelligebat, ubi essem, quid facerem, quibus essem auctus liberis, qua in re adiumento esse posset? ut compertum habeam, omnia mihi fuisse ab illo, si vixisset, futura prompta et parata. Quod quum Lilius ad me scriberet, ita sum affectus, ut numquam ex animo meo effluere possit memoria illius Viri. Acerba sane recordatio est, ingenium illud immortalitate dignum, subito exstinctum esse:

sed, quum eius suavitatis, magnitudinis, industriæ, vigilantiæ, pietatis mihi in mentem venit, non possum a dulcissima cogitatione divelli. Neque vero est aliud, quod hoc tempore libentius faciam, quam de Flaminio cogitare et loqui: hac una ratione acquiesco et lenio desiderium meum. Quumque mihi exhauriri incredibilem dolorem ob interitum trium clarissimorum hominum non posse videam, insidior mihi ipse: et tantisper certe, dum illorum divinas et cœlestes virtutes memoria repeto, et animo complector, abduco atque averto me a tristitia temporum, quibus florentissimos viros amisimus, qui futuri sint, non videmus: de quibus quid cogitem, noli tu quærere pro sapientia tua. Sicuti enim, quum aliquot continuis annis ubertate agrorum, et cæli temperatione, frugum et fructuum copia exstitit, multis postea sequentibus conversione rerum angustissime omnia proveniunt: sic, quum hæc ætas eos oratores et poetas tulerit, ut nulla multis seculis fuit feracior, tempestatibus his coortis, magnam ego futuram vereor inopiam ingeniorum. Nolo omnia colligere, quæ tu acutissime perspicis: tantum dicam, nullos Bembos, nullos Sadoletos, nullos Flaminios renasci, et, istis occidentibus, solem excidisse e mundo. De Polo, sanctissimo collega tuo, nihil accepi, quonam pacto tulerit Flaminii mortem. Vir est fortis et gravis, summa sapientia præditus: sed magna est vis necessitudinis, amoris et caritatis. Quid homini acerbius poterat accidere? iste vero quotidie est conveniendus, qui integritate vitæ, sinceritate animi, excellentia studiorum bonis omnibus est acceptus: tibi, qui omnium ingenuarum artium, omnis politioris humanitatis semper studiosissimus fuisti, carissimus esse debet. Collige, quicquid habes ad consolandum: multa sunt in te adiumenta doctrinæ, multa naturæ, quibus levare mærore afflictum potes: sed maxime hilaritate vultus, et festivitate orationis. Omnia adhibenda sunt diligenter: eius absentis luctum squaloremque aspicio. Quam vellem ego nunc Romæ, reliquias istas aureæ ætatis quotidie viserem, et salutarem: teque in primis, quem ob singularem virtutem, dig-

nitatem et amplitudinem colo et observo: quo uno incolumi, bene consultum a Diis immortalibus esse arbitror mihi, et liberis meis: quod multum licet detractum sit morte clarissimorum hominum, tamen nihilominus plus satis relictum est pietate ista erga me, et perspectissima benevolentia tua. Vale, Nonis Martiis, Lucæ.

Ep. XXIV.

BERNARDINUS MAFÆUS CARDINALIS A. PALEARIO S. D.

Quum Lilius, Vir omni humanitatis atque officii genere ornatissimus, ad me nonnumquam veniat, illius quidem aspectus mihi et sermo, quum semper alias solet esse iucundissimus: tum vero numquam iucundior fuit, quam quum proxime de te mecum locutus est, literasque a te mihi reddidit, quas ego sic accepi, ut optatissimum munus aliquod accipere mihi viderer: sic legi, ut summa earum elegantia et gravitate mirifice caperer: quibus tu dolenter admodum atque amanter, Flaminii, hominis et doctissimi et sanctissimi, obitum deploras: et quum cæterorum, ad quos tanti Viri amissionis damnum pertinet, tum vero tuam ipsius vicem præcipue doles. Et quidem illius Viri mors literis, ob præstantem doctrinæ omnis atque ingenii elegantiam: religioni, ob admirabilem morum et vitæ sanctimoniam, ac pietatem: bonis omnibus, ob singularem erga eos, in quibus inesset aliqua virtutis significatio, animi studiique propensionem, tantum detrimenti attulit, ut nulla re satis umquam resarciri posse videatur. Sed quando ipse tam pie Christianeque decessit e vita, ut prope nefas sit dubitare, illum summam vitæ huius miseriam atque calamitatem, cum infinita ævi sempiterni beatitudine atque felicitate commutasse: nos quidem, qui eum amamus, multo magis lætari oportet tanto illius bono, quam ullo nostro commoveri incommodo: præsertim quum tot ille, tamque præclara ingenii sui, atque

doctrinæ monumenta in omni fere literarum genere reliquerit, ut iucundissima eorum lectione facile omnis abstergi possit animi nostri mæror atque tristitia. Hæc quum imprimis Polo, collegæ meo, multaque præterea suppetant doloris sui ex Flaminii morte accepti solatia, et illa quidem eo maiora, quo ipse et plura habet, et præstantiora tum sanctitatis, tum doctrinæ præsidia atque adiumenta: an censes tu, Virum hunc aut mea aut alterius cuiusquam consolatione indigere? Cuius quidem virtus multis iam et gravissimis periculis, detrimentis, iniuriis, tamquam aurum igni explorata atque spectata, sic late nitet, sic fulget, ut apud omnes quum admirationem maximam, tum vero mirificos sui amores excitet: ut non tam quidem ob res adversas eius vicem dolendum, quam de tanta animi fortitudine atque constantia illi gratulandum esse videatur. Ad eum tamen misi epistolam tuam: in qua ille quum summum tuum erga se studium atque observantiam valde amavit, tum scribendi elegantiam magnopere laudavit. Quod autem ad te ipsum attinet, mi Aoni, sic velim tibi penitus persuadeas, me omnibus in rebus iis, quæ ad rationes tuas et commoda pertinebunt, diligenter curaturum: ut, quam de meo erga te amore, benevolentiaque opinionem habes, ea te numquam fallat: utque in me uno facile omnium amicorum tuorum, quos amisisse te doles, studia atque officia cognoscas. Vale. Romæ, XII. Calendas Maias. Lampridium nostrum exosculare.

Ep. XXV.

M. CASALIS VIDOTTIS SUIS S. D.

Iam lucebat, quum ex oppido Collino sum egressus. Lucam veni, antequam advesperasceret: prævolaverat tamen Pterix, quæ res auxit susspicionem Aonio de uxoris morte. Nam quum a Pterige accepisset e dolore illam laborare, et ego subsecutus post tres horas venissem sudanti equo, cœnosis cothurnis: ubi me vidit, exanimatus, magnam vim

lacrimarum profundere et clamare cœpit: Hem mea vita, mea lux, meum desiderium. Quum gravissime febri et lateris dolore affligeretur, in alteram partem lecti se provolvens, pulvinum amplexus, neque Pterigi, neque mihi affirmanti de uxoris vita, fidem habuit. Ego, etsi maxime volebam vultum mihi lætum fingere, et vocem constantem: quum tamen viderem hominem mihi carissimum febri et lateris dolore ardere, fateor non potuisse. Nihil tamen omisi eorum, quæ consolationem afferre possunt. Nam, ut bono animo esset, multa dixi, et iuravi, me non mentiri: uxori adesse partum, et esse difficilem: tamen obstetrices bene sperare. Quinetiam ipsius uxoris rogatu me venisse, ut eum, quum primum per valetudinem liceret, ad sese adducerem. His paululum recreari visus est: neque tamen deponere metum, et dubitare, dari sibi verba. Opinor, vel potius intelligo, nostro adventu accessionem morbi factam. Nam cœnantibus nobis quodammodo despondere animum, et fixis oculis intueri, et luctuose et creberrime suspirare cœpit. Quum ad multam noctem adfuissemus, et nihil de dolore ac febri remitteretur, nos, qui de via fessi eramus, cubitum ivimus: ipse tertia fere vigilia, ut a serva accepimus, paginam et atramentum cum calamo sibi afferri iussit, quasi aliquid scripturus: quum partem nullam noctis quievisset, paulo ante lucem in superius conclave lectum exportari iussit, in quo est imago uxoris suæ: quem ingressus, sudare cœpit, neque multo post dormire. Dum alia quæreremus, incidimus in pagellam, in qua erant hi versus, vacillantibus literis: quos ad vos mittimus, ut admiremini Viri amorem et pietatem in uxorem: eamque, si vivit, consolemini. Cui si quid humanitus acciderit, secus ac volumus, sit aliquid etiam, quod vos consoletur.

Ni mihi spem Christus faceret, quem vita secuta es,
Non possem abrupto vivere coniugio:
Ille mihi te olim redituram in luminis oras
Pollicitus, dulci pascit amore animum:

Interea AONIUM *venientem cursibus ad te*
Exspecta campis uxor in Elysiis.

Sed utinam hic valeat et ista vivat! quæ si peperit, adventare omnino ac prope adesse debent aliqui cum literis vestris. Nos hic, ut ego pro Pterige quoque pollicear, nulla in re deerimus: etsi fortasse nihil opus erit opera nostra. Ea natura est huius morbi, ut simulatque declinare cœpit, illico evanescat. Deos quæsumus, ut cito ad vos optatissimi et iucundissimi nuncii revertamur.

Ep. XXVI.

ORGETORIX SPHINTER A. PALEARIO S. D.

Etsi ego hæc coram potius tecum, quam per literas agere voluissem: impedivit tamen me post Sadoleti mortem cursus iste in Germaniam: in qua nunc tot negotiis distineor, ut non queam avelli planeque nesciam, quando in Italiam sim rediturus. Coloniam veni III. Nonas Januarias: Idibus ad Laurenum scripsi, a quo puto ad te missum exemplum mearum literarum, cum Henrici collectione: quo viro, mihi crede, nihil potest fieri studiosius, nihil amantius tui. Habet is in Pannonia negotia magna atque ampla: et propterea patrocinia clarissimorum hominum. Quum superiore anno in Curia Ferdinandi Regis fuisset, putabat hic, ut te observat, aliquid esse tui nominis: sed mirum in ea silentium de tuis libris. Neminem invenit, ad cuius manus tua scripta pervenerint. Rogabat de Vergerio, quem bonum virum et literatum omnes dicebant: sed ab eo in Curia perdiu nihil fuisse literarum. Quid est? ita vivam, ut libelli tui ad Regem non sunt allati. Vergerius vel habuit minus fideles tabellarios, vel Regi noluit esse molestus scribendo: vel alicuius opera usus est, cuius non fuit opera. Solet enim fieri, ut qui in aliquo honore ac pretio sunt apud Principes, nihil obtundant aliorum causa: ut, si usu veniat, totos oc-

cupent sua. Tu, quum tanto intervallo disiunctus esses, sperasti, quasi abesses iter unius diei, libros posse ferri fideliter, literas dari, commendatione comparari gratiam. Ego id mihi non sumo, ut tibi consilium dem: sed, ut puto, posthac sapientius facies, si in commendationibus istis habueris minimum spei. Nolo plura. Falsus es, si hic meliores esse res credis, quam in Italia. De Henrici collectione scripsi ad Laurenum, de qua nunc ad te paucis: quod non verear permagni a te fieri amicorum εὐδοκίαν. Ego nihil arbitror bono Viro esse iucundius, quam amari a bonis, quorum ubique mira paucitas est. Memorare possem, quibus a Regibus desideratum est par amicorum: tu quum habeas, non amabis? Quos ergo? purpuratos istos? qui quam grati et memores sint, tu iam sentis, nos quotidie experimur. Mirifica sunt officia tenuiorum, domestica, publica, in studiis, in literis: in primis non ficta benevolentia, animus sincerus ac simplex, qui amico honestissime cupiunt, pro quo etiam mori possunt. Ad hoc genus hominum te referis amandum et colendum. Scito abs te exspectari dialogos, καὶ τὰ μέλη quibus nos etiam exornemur: proinde, si quid parturient tuæ Musæ, fac ut memineris. Vale.

Ep. XXVII.

A. PALEARIUS ORGETORIGI SPHINTERI S. D.

Mirificus amor tuus omni ex parte se ostendit in his literis, quas ad Laurenum, quas ad me, proxime Colonia dedisti. Iniustus est, si quis istas provincias, quas humanitas expolivit, et literarum lumen accendit, in quibus tales homines nascuntur, barbaras appellet. Ego, mediusfidius, nihil puto fieri posse suavius ingenio tuo. Quamdiu fui Patavii, et tu Venetiis, quid proficisci potuit ab homine summa humanitate temperato, quod abs te non sit profectum et effectum? Nunc vero, quod ab extremis Pannoniæ finibus excitaveris nobilissimum iuvenem, et doctissimum, florentem

opibus, propinquis, amicis, ad me colendum et observandum: quanti putas a me fieri humanitatem istam et pietatem? quamob rem ego te, et Henricum tuum, vel potius nostrum, arctissime complector: si corpore non possum, animo certe, quantum queo. Utinam tanto intervallo non essemus disiuncti: haberem profecto, ut tu dicis, par amicorum, quibuscum ego tam libenter viverem, quam cum Diis immortalibus. Quodsi aliquando te istis negotiis explicaveris, ut redeas in Italiam, obsecro, multo ante certiorem me fac per literas, ut quam longissime tibi obviam veniam. De libris meis aut est quod dicis, aut non multo secus. Ubi sunt illa antiqua patrocinia literatorum? quibus caput extollere et erigere se scriptores solebant? O spem fallacem! O inanes cogitationes meas, si tantus labor est exsudandus, ut ad eos, quibus dicata sunt mea scripta, perveniant? Vergerius nullam causam sustinet: quem ego cognovi semper quum doctum, tum bonum virum, plenum officii diligentiæ. Quem igitur, inquies, accusas? Neminem, præter fortunam. Video id evenisse, quod scribentibus nobis eos libros commeminit Bembus. Spes tamen adhuc est, si Maximilianus in Italiam venerit, posse fieri, ut ad Regem perferantur. Juvenis est pius, felix, augustus, sapiens: num non leget, quæ annos abhinc sexdecim sum auguratus? num contemnet hanc animi mei propensionem in Austrios suos? non credo. Si quæ de Insubribus dicuntur, vera sunt, spero omnia fore melius. Magnos audio conventus agi in Germania. Tu si quid habes, et maxime ab Henrico, da aliquid literarum. Nos quicquid erit, sic feremus, ut mortales. Illud tamen, quod mones, curabimus, quasi numquam morituri: ut omnes intelligant, nihil nos maluisse, quam amicis, qui de nobis optime meriti sunt, gratiam referre. Id quoniam assequi non potuimus, ut memores et grati essemus, retulisse tamquam in accepti tabulas, et versibus et soluta oratione prodidisse memoriæ, quantum cuique deberemus. Vale.

Ep. XXVIII
A. PALEARIUS PTERIGI GALLO, FAMILIARI SUO S. D.

Si tu vales, et uxor liberique nostri valent, bene est: ego cœli huius gravitatem ferre non possum. Bonam valetudinem, mi Pterix, amisi: quotidie ægroto magis, neque inedia neque purgationibus levor. Noctu me pituita enecat. nonnumquam etiam interdiu: sæpissime latus dolet. Ad hæc mala, quidam mæror accedit prope continuus, qui misere angit animum meum, vel ægritudine ipsa, in quam vis morbi conversa est: vel quod optimos et amicissimos viros, qui proximis superioribus annis interierunt, Sadoletum, Bembum, Flaminium, Sfondratum desidero, robora illa defensionis meæ, præsidia illa scriptionum mearum: vel quod malevolorum et invidorum plena sunt omnia, in quos incidere aliquando necesse est: cupio: volare ad vos. Non est credibile, quam me studiorum tædeat. Dies totos in apricatione Ceciniana conteremus: vel, si placebit mane, aut inclinato in pomeridianum tempus die, cum Lampridio et Phædro, suavissimis pueris et cum mulieribus nostris circum villulas errabimus. Exercitationibus intermissis certe in id morbi sum delapsus. Hic pluviis complures dies coortis, pedem porta efferre non possumus: plus istic semper est serenitatis. Video, ut scribis, a colonis nostris adventum meum amanter exspectari. Nullis cum hominibus sum æque libenter, quam cum istis: qui etsi non sunt cupiditatibus expertes, sunt tamen præ nobis beati. Fac hortum parent, ut olusculis nos queant pascere. Urbanis sumptibus plane sum exhaustus Helluellas, cochleas, ova, pisces, pullos, turdos rus suppeditabit: et omnino cœnæ salubriores et suaviores sunt ex his, quæ ex terra nascuntur, aut aluntur domi, aut a nobis ipsis retibus comparantur, quam quæ e macello petuntur. Quodsi lautius velimus accumbere, erit tyrotarichus ille tuus obsoninm regium: qui, si facile concoqui non poterit, rusticabimur. Opus faciemus, ut defatigemur, eum usque ut concoquamus. Proinde

tu te para: cura, ut ruri serrula sit, securis, cuneus, bidens, rastrum, ligo. Interea, dum non bellissime nos habemus, seramus arbores, alteri seculo profuturas: Vale.

Ep. XXIX.

A. PALEARIUS CÆLIO SECUNDO CURIONI S. D.

Mitto cum his literis effigiem Dorotheæ filiæ tuæ: verum, ut antea ad te scripsi ἔμψυχον ἄτεχνον. Equidem, si initio affuissem, alteram tantum oris partem a vertice per mediam frontem et mentum, ut aiunt, ducto filo pingi voluissem, quod in antiquis numismatis factum videmus. Opinio tamen est fere omnium huius temporis pictorum, formam totam propius exprimi κατ᾽ ἐπιφάνειαν, ut uterque oculus atque integrum os appareat. Omnino est aliqua oris similitudo: sed longe forma præstat Dorothea, in vultu: qui, ut physici monent, est animi index. Inest mirificus quidam pudor, in oculorum motu matronalis gravitas, maior certe quam eius fert ætas. In gravitate quoque mira humanitas, et incredibilis venustas. Non est eius facies suffusa rubore, ut simulacrum ostendit: color est suavis et verus, vegetæ ac lucidæ cutis, optima scilicet totius corporis temperatione. Si quis virginem intuetur, illico roseus in vultu, et, ut Diogenes dicere solebat, ipsius emicat virtutis color. Statura neque admodum procera, neque parva, est enim, ut scis, annos nata decem, neque tenui corpore, neque obeso nimis, sed agili atque expedito: apta denique figura membrorum, quam Græci nostri συμμετρίαν vocant. Illud vero, quod pluris faciendum est, immo quod caput est, et in quo posita sunt omnia, non præteribo: duas habet duces ac magistras, Angelam et Felicem, lectissimas feminas, quæ puellam ingenue et liberaliter educant, et ferunt in oculis. Numquam vidi parentes indulgentiores, et quæ a liberis ita amari velint, ac istæ a tuis. Ferrent id moleste, si audirent. Nam utraque Dorotheam filiam suam appellat: quumque liberis careant,

certant ambæ amore et officiis inter se, in alenda et ornanda puella. Deus Princeps et Rex omnium seculorum eas tueatur ac servet. Neque enim multas habet hæc ætas tanta caritate flagrantes: quæ hodie, quantum video, apud omnes gentes deferbuit, vel exstincta potius est. Dominus noster Jesus Christus, qui potest, nos iuvet, et sua ope sustentet. De rebus meis nihil scribo, quod binas te de his literas accepisse arbitror. Vale.

Ep. XXX.

A. PALEARIUS LAMPRIDIO DOROTHEO ET PHÆDRO THEOPHILO PALEARIIS LIBERIS ET ANIMIS SUIS S. D.

Mediolanum veni XVI. Cal. Novembr. adspectus urbis ita mihi placuit, ut, nisi me vos carissima pignora arctissime teneretis, facile possem capi, et Hetruriæ oblivisci: sed nullus locus, nullus conventus tam celebris est, qui sine vobis mihi non videatur desertus, et solitudo mera. Crassus nos amantissime accepit, apud quem adhuc sumus: eius consilio freti senatores omnes domum singillatim visimus et salutavimus: qui me contra perhumaniter sunt complexi et honorifice resalutarunt: magni Heroes. Ante diem IV. Cal. orationem habui in templo virginis a Scala, frequentissimo senatu, præsidibus, prætoribus, Tribunis ærariis, omnibus denique ordinibus adhibitis, advocatis collegiis iurisperitorum, et philosophorum: tantus fuit concursus civium, ut non modo in templo, sed in compitis ac viis, quibus sex in ædem itur, angustissime staretur: postridie eius diei deductus sum in gymnasium publicum, in quo, ut primus comes Mediolanensis mihi narravit, D. Aurelius Augustinus hoc idem munus sustinuit, quod mihi est a senatu impositum, nisi quod illi erant Latini tantum auctores interpretandi, mihi etiam Græci. Quod eo scribo, ut nostros, qui de me solliciti sunt, certiores faciatis, et ut vos ipsi excitetis ad virtutem et studium

literarum, quod vobis unum a me patrimonium erit: fortunæ exiguæ nostræ sunt, prædiola amœna potius quam fructuosa, quæ afflicta bello Senensi proximo, sine pecore, vix familiam alunt: vectigal oppidanum duplicatum est, tributum sæpe imperatur maius, quam vires nostræ ferant. Quo loco res sit videtis. Nam de sororibus quid dicam, grandiusculæ sunt, et propediem in alias familias mittendæ, eas dotem sequi oportet, domi non est teruncius: si frumentum angustius provenerit, in parsimonia summum præsidium: ego quoque minores sumptus faciam, ut aliquid de stipendio meo corradam, quamquam hoc male habet: diuturnitas belli Gallici efficit omnia mihi duriora: si generi, quales volumus invenientur, mercatores Lucenses honestissimi homines pecuniam suppeditabunt, ne ab omnibus rebus imparati esse videamur: horum liberalitas splendorem vincit magnorum Regum: tuum est, mi Lampridi, qui es natu maior, si quam relaxationem mea absentia fieri animadvertes, resarcire et benevolentiam confirmare scribendo: non plus flores, ut aiunt, roscido humore sustentantur, quam amicitiæ, ne elanguescant, appellando et salutando. Matrem tuam, lectissimam feminam, magna animi fortitudine, sed tamen feminam, si opus est, consolare: virgines custodi: Phædrum suavissimum puerum, vide ne abripiant ac depravent adolescentium sodalitates, te ne auferant quorundam consilia: hoc uno minus sum felix, quod vobis infirmioribus absum domo: cuius tu, id ætatis, si optimus eris gubernator et moderator, vel hoc ipso superabo omnium fortunam, quod vivens prudensque videbo, quod alii avent scire, ubi e vita decesserint. De colonis probo consilium matris, sine qua nihil fieri volo, eius imperium reveremini, et, quod vobis parens est, et quod mea mihi vita est carior. De studiis vestris magnam cepi voluptatem, cupio enim te, Lampridi, daturum operam philosophiæ erudiri plus literis Græcis, et Phædrum studiosum, ut spero, iuris civilis magis exornari Latinis, ut omnes homines intelligant, non modo filios mihi iucundissimos obtigisse, sed alumnos etiam disciplinæ meæ.

Ep. XXXI.

FERDINANDO SANSEVERINO ARAGONIO, OPTIMO PRINCIPI SALERNITANORUM, AONIUS PALEARIUS VERULANUS S. P. D.

Etsi non magni refert ad colendam amplitudinem et gloriam tuam, quo quisque loco natus sit, aut ubi habitet: quod ea lux, is splendor est tuæ virtutis, ut longissime quoque eluceat: nihil tamen mihi obfuisset in ea urbe nasci, in qua maiores mei te et partem tuum, cœlestem virum et avos maxime illustres, summa observantia coluerunt. Etenim si orbes illi divinis animati mentibus, qui volvuntur stellarum cursibus sempiternis, plus habent celeritatis et virium, quo extimo globo sunt propiores, in quo maximus ille est, qui agens et propellens cæteros præest universis: an si contigisset, ut ego in ea urbe natus essem et educatus, in qua tu veluti sol princeps et moderator luminum, accendis atque excitas omnium mentes, non aliquid mihi accessisset virium et ornamentorum? Fuissent tua in me beneficia, sicuti in alios cives, neque exigua, neque vulgaria: effudisset se in me quotidie plurimum luminis et benignitatis tuæ: et ex iis studiis, quæ per te pulcherrime vigent in civitate, aliquid ego fortasse consecutus essem, ne ad gratiam tuam mihi conciliandam ab omnibus rebus venirem imparatus. Quæ cohortationes meorum fuissent? quæ vigiliæ et lucubrationes meæ? quod studium laudis, ut optimo principi placerem? Quibus rebus destitutus, quum ea in me non essent, quæ maxime voluissem: satis mihi facere videbar, si te animo sanctissime colens, vel in Hetruriæ finibus laterem. In quo consilio permansissem, nisi mei de immortalitate animarum libelli quum me imprudente exissent, commonstrassent familiæ nomen: et Vincentius Martellus, magna Vir humanitate, quum Lucæ esset et cœnaret apud Martinum Lilium, iuvenem studiosum omnium ingenuarum artium, de Peleariis gentilibus meis multa honorifice prosecutus, spem mihi fecisset, si literis significarem hanc animi propensionem in amplitudinem

tuam, fore eam tibi gratam et iucundam. Quod ut libentius facerem, cohortabatur, etsi nihil sane haberem, quod summa sapientia virum valde delectare posset, ut orationes meas ad te mitterem. Dii faciant, ut quam ille amanter consilium dedit, tam mihi ea res bene et feliciter eveniat. Prodeunt ergo orationes in lucem, tibi consecratæ: in quibus unum est ornamentum, quod Principi nobilitatis et virtutis dicatæ sunt. Aliud præterea non video, nisi illud quoque accesserit ad me beandum, ut audiam aliquando fuisse tibi non iniucundas, et ab invidorum obtrectatione defendi patrocinio tuo: quod optatum et dulce tanti mihi erit, quanti vix magnorum Regum et Imperatorum omnium clientelæ. Quorum causas, quoniam tua auctoritate tua sustinere, et perturbata seditionibus regna non modo armis, sed eloquentia tueri et reconciliare soles: nihil est mirandum, si quum in ista gloriæ luce vivas, et tantum tui nominis sit ubique, in animum induxi meum, si tibi uni orationes istæ probabuntur, fore eas non modo Italis nostris acceptas, sed apud omnes gentes et nationes gratiosas, ob præstans iudicium, singularemque excellentiam et divinitatem ingenii tui. Vale. Calendas April. Lucæ.

Ep. XXXII.

ORGETORIX SPHINTER CAROLO LAURENO S. D.

Quum proxime ex urbe in Germaniam venissem, vidi in manibus doctorum hominum esse orationem Aonii Palearii in L. Muræenam, quam superiore mense Mediolani legeram cum tanta animi mei voluptate, quanta soleo illius omnia. Quid quæris? eadem audivi, quæ Mediolani, qui præstanti iudicio sunt, asserunt, si reviviscat M. Tullius, iturum eum in Aonii sententiam: si iudex detur, condemnaturum esse Muræenam. Qui observantissimi sunt puræ castæque elocutionis, aiunt, se non dubitare, si optimis illa temporibus, quibus lingua Latina floruit, sic scripta fuisset, futuram

fuisse in honore et pretio. Laudant omnes dicendi genus severum et grave, numerum in cœlum tollunt: laudant suavitatem ingenii, quod antiquum obtineat, et repræsentet mirificum civem Romanum: quod Reipub. timeat, quod augeat periculum: quod vereatur, ne absoluto Muræna, milites, qui posthac duces sequentur, incendant Imperatores pravis cupiditatibus: quod omnibus vestigiis assequatur et divinet interitum libertatis. Fingat tamen, qui legit, se eo tempore esse, quo iudicium illud fuit: quo maxime hæc dici vel potuerunt vel debuerunt. Henricus noster, qua est diligentia, perlecta omni M. Tullii oratione pro Muræna, observavit singillatim ea, quibus Cicero conabatur traducere mentes iudicum, argumenta: singillatim in ius civile, et disciplinam Stoicam, omniaque veluti in tabulas accepti et expensi retulit, ut quivis videat, quam diligenter ad omnia sit responsum. Si ad Aonium scribis, obsecro significes, vulgatam prope esse orationem. Quid exspectat? nisi occurrit, prædico propediem exituram: suæ prudentiæ est, ut oratio emendata ad typographos veniat. Roges etiam meo nomine, ne Henricum contemnat: aut enim Henrici collectio, aut tota M. Tullii oratio præmittenda est: ut iis in promptu sit, qui nosse velint, quibus argumentis iurisperitorum facultas et Stoicorum disciplina oppugnatur, quibus rationibus defenditur. Puto hac re imminui laborem studiosorum. Permagni enim refert, si quid est conquirendum, an libellus sit in manibus, an petendus aliunde, Colonia, Idibus Januarii. Vale.

AD EPISTOLAS
AONII PALEARII
ACCESSIO NOVA.

EX EPISTOLIS CL. VIRORUM A JO. MICHAELE BRUTO EDITIS
LUGDUNI APUD GRYPHIUM MDLXI.

Ep. I.

A. PALEARIUS ANDREÆ MARINO S. D.

Etsi magnam, mi Andrea, gloriam consecutus videor, quod vulgo hominum opinio me socium laudibus adscribat tuis: tamen ex eo vel maximam voluptatem capio, quod talem mihi in te instituendo socium, comitemque fortuna præbuit, ut te præstantissimum, singularemque in omni genere laudis, iuvenem futurum non dubitem. Neminem video — video autem quotidie prope infinitos — qui Mediolanum veniunt, veteres amicos vel Lygures tuos, vel Hetruscos meos, qui quum de te audierunt quæ volumus, et optamus, non mihi continuo gratulentur, quod mihi Rorarium socium fortuna concesserit. Negant enim se dubitare, quin usus quotidianus multum possit in quovis homine: in adolescente vero plurimum consuetudo domestica. Quibus ego quamquam possum verissime respondere, immo vero respondeo, te, quæ facias, bonitate ingenii facere, quæ vel in te cum ætate

ætate accrevit simul, vel si tecum nata est, quotidie magis elucescit: tamen ne vel meæ diligentiæ, qua patrem tuum cohortabar, ut talem Virum conduceret, neve bonæ fortunæ tuæ, quæ talem obtulit, faciam iniuriam, non plane nego aliquid nostra opera accessisse. Nam ego, et Rorarius quasi boni agricolæ præstitimus,

— Ne mala culmos
Esset rubigo, segnisque horreret in arvis
Carduus, intereunt segetes, subit aspera silva,
Lappaeque tribulique.

Nosti cætera: quæ eo libentius commemoro, quod non sunt aliena a dignitate tua: siquidem Achilli Græcorum fortissimo honestum fuit a Chirone educari, et Alexandro Macedoni omnium seculorum Principi perhonorificum, summa observantia coluisse Philosophos: Quamobrem a te petimus, ut in hanc hæreditatem gloriæ tuæ, nos aliqua ex parte venire patiare, qua communicata nobiscum, non modo non imminuetur, sed potius augebitur: nihil enim probo adolescenti honestius, aut laudabilius, quam habere apud se matura ætate viros, quasi testes continentiæ suæ. Quare valde probo, sive domi, sive foris es, quod tibi semper adesse Rorarium iubeas vel sodalem, vel consultorem, et suavissimum convivam. Quod vero ad me quotidie ventites, et omnibus officiis prosequare humanitatis, tantum te amo, quantum tu magis intelligere potes, quam ego dicere: tuis enim factis ita incendor, ut nihil possit excogitari ardentius: nullus, mihi crede, relictus est amori meo locus augendi. Quæ quum ita sint, debemus omnino tibi, ut pro Rorario etiam loquar, gratulari, et gratias agere, et nobis gaudere, quod florentissimum habeamus alumnum disciplinæ nostræ: contigit enim tibi, quod multis seculis haud scio, an nemini, ut summum ingenium cum summa probitate coniunctum sit: in quem unum quum omnes suas copias fortuna transfuderit, intelligere debes, nos summa spe esse, quod non possis de-

serere eos, a quibus initium profectum est laudum, et virtutum tuarum. Vale.

Ep. II.

ANDREAS MARINUS AONIO PALEARIO S. P. D.

Quantam voluptatem ex tuis literis cepi, quum Rorarius adhuc nobiscum esset, tantum post eius discessum, quum in easdem incidissem, et relegissem, doloris accepi. Est ita profecto ut dicis, Aoni, neque consultor prudentior, neque comior sodalis, neque suavior conviva Rorario inveniri potest: nam est in prævidendo oculatissimus, in colloquendo iucundus, in convictu quotidiano perurbanus: homo integer, et ambitionis plane hostis est, numquam simulator, ac dissimulator: sed eodem semper animo ac fronte, quod de Socrate accepimus, qualis mane domo exibat, talis vesperi redibat domum. Refricant mihi desiderium tuæ literæ, et quamquam renovant dolorem: tamen non possum mihi temperare, quin eas sæpe, et vero sæpius legam. Grimaldus in Hispanias proficiscitur: puto posse fieri, ut hic cum fratre, ille ad nos redeat, præsertim si fratri commorandum sit apud Regem, qui compositis rebus quibusdam provincialibus ad Belgas dicitur rediturus, quod etiam nunc incertum est, neque quicquam affirmari potest prius, quam noverimus ubi nuptiæ futuræ sint: quæ si luctu Regio in alterum annum differentur, opinione celerius Rorarius ad nos redibit: quem diem ego si videro, cave putes, me quicquam fieri posse lætius. Hac ego oblector specula, et lenio desiderium meum: quod melius feram, si tu, qui nullum facis finem laudandi, et colendi Rorarii, tamdiu apud me fueris, quamdiu potes: potes autem eo tempore, quo interpretationibus publicis non sis impeditus: quod totum ut apud me ponas, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Mediolani, X. Cal. Decembris, anno Domini MDLIX.

Ep. III.

FRANCISCUS LUISINUS A. PALEARIO S. P. D.

Etsi necesse non fuit literas ad te dare, ut me veterem nostram amicitiam colere intelligeres: tamen quum ex Hispania Brutus ad te veniret, non putavi mihi esse committendum, ut eum qui tui valde studiosus est, meique amantissimus, sine meis literis dimitterem: quibus tibi meam illam in te amando constantem voluntatem non esse immutatam significarem. Quis enim sit tam ineptus, qui te perpetuo quodam studio non amet? qui tua causa non velit omnia? Id me præstare necessitudini nostræ, Brutus tibi, qui meos omnes sensus tenet, erit testis. Nam quum Germaniam, et Belgarum regionem peragrarem, quum essem in Britannia: ne vivam, si mihi umquam animo excidit iucundissimi sermonis tui recordatio, quo Octaviani Populi convivium, quum apud eum ambo Mediolani accubuissemus, condivisti. Legeram ego antea tuos libros, quibus quantum eruditione valeres, quantum excelleres eloquentia, testatum omnibus reliquisti: tum vero mihi primum contigit, ut ingenii tui suavitate perfruerer. Quare ii mihi semper felices visi sunt, qui te uti familiariter, et multarum, maximarumque rerum præcepta ex tuis haurire fontibus possent. Tantam ego commoditatem Andreæ Marino in primis gratulor, cuius mihi adolescentis præstantiam Brutus singularibus verbis commendavit. Is ut Vir doctissimus est, ita ingenium habet peracre in iudicandis hominum virtutibus. Bruti ego testimonio facile, ut credam, adducor, Marinum sibi in adolescentia clarissimarum virtutum præsidia, atque ornamenta comparasse, eiusque laudem illustri iam loco sitam esse. Utinam mihi iam liceret, tot itinerum laboribus, et navigandi iactatione defesso, ad vos, Paleari, ad vos redire: quæ tamen mihi facultas ita adhuc præcisa est, ut optandum mihi potius videatur, ut ducere ad illud tempus spiritum possim. Sed de rerum mearum statu ex Bruto ipso audies, qui iam cum cothurnis adest, et calcaribus, ut mu-

tatis ad celeritatem equis primum in Galliam, deinde in Italiam percurrat. Vale. Toleti, Idibus Januarii MDLX.

Ep. IV.

A. PALEARIUS FRANCISCO LUISINO S. P. D.

Redditæ mihi fuerunt ab Andrea Marino literæ tuæ, quibus ego legendis tam sum delectatus, quam si te audissem loquentem: habent enim atticum leporem et singularem humanitatem, qua tu semper mirifice abundas. Quodsi Brutus idem tuus, et idem noster usquam gentium apparuisset: lenissem ego aliqua ex parte desiderium meum. Nam quum is valde te amet, et unice abs te ametur ob vitæ, et ingenii similitudinem, te ipsum videre visus essem: multa præterea oratione sua subsecutus, quasi Menelaus Homericus mihi narrasset omnem istam navigationem, qua e Belgis in Britanniam et Hispaniam transmisisti. De Gregorio vero meo, dii boni! quam iucunde accepissem quod ab aliis nunciatur, eum bellissime habere, qui, quum a nobis discessit, stomacho erat delicatiore: nimirum iste aer aptus est ad concoquendum: nam Hispania calidior est, quam Italia nostra, quod ad Oceanum sit exposita et spectet ad Occidentem solem. Quamobrem sunt Hispani acriores in rebus gerendis, minusque eorum animi emolliuntur in provincia omnium humanissima: non est credibile, quantum sit istic Heroicæ virtutis, cuius proprium est imperare: unde aucta est ista provincia regnis. Subinvideo tibi, quod apud eos es, quorum gratia tua virtus fieri potest illustrior accessione fortunæ, et dignitatis: nos hic mediocri stipendio addicti sumus publicis interpretationibus Græcis, et Latinis, nolo dicere, Me quantum hic operis fiat, pœnitet. Nolo. Nam nobilitate discipulorum floremus, neque operam lusimus: Latine, et Græce scribunt adolescentes. Ex qua re ut voluptatem capias, mitto ad te quædam *προγυμνάσματα*, et ut simul doleas vicem nostram

quod pro quotidiano labore, quum tam exigua merces in annum proposita sit, in ea exigenda tantus sit exsudandus labor, ut me iam vitæ tædeat. Velim de Rorario quæras, quot adeundi, et conveniundi quæstoris indignitates feramus, quam ad fores quotidie pendeamus ærarii: quod quidem bonarum literarum studiosis acerbum est, mihi quidem non honestum. Quæ ad te scribo libentius, ut te consolere, ferasque omnia toleranter et quum tuornm laborum in mentem venit, possis nostros recordari: nam licet non tu quidem molestia vacuus, es tamen præ nobis beatus. Sed maluissem ego de tuis cum Bruto: qui si ad me venerit, post unum, atque alterum osculum, ut sciam quid facto est opus, rogabitur a me diligenter de toto sensu animi tui. Vale.

Quæ sequuntur sunt ex Epistolis Sadoleti.

Ep. V.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENT. LAZARO BONAMICO S. P. D.

Ex tuis literis Idibus Martiis datis, quas ego paulo ante Idus Maias accepi, illum facio quæstum, quod optimi et doctissimi viri Aonii Palearii amicitia auctus sum. Quem ego me hercule hominem plurimi facio, vel propter eius virtutem atque doctrinam, in suoque genere scribendi elegantiam: vel quod ea sunt illius animi erga me indicia ac monumenta, ut non modo amare, sed gratiam illi etiam habere sim compulsus, si tamen compellitur, qui libenter quid facit, et studiose. Amo certe illum, et gratiam præterea habeo: ita de me ipse meritus est. Qui etiam si nullo suo officio me sibi devinxisset, propter ingenium tamen, propter optimarum artium scientiam mihi erat amandus. Nunc quid me facere oportet, quum tanto me obstrinxerit merito? Atque is quod tuam commendationem intercedere voluit in nostra amicitia concilianda, quamquam tu illi vere ac con-

stanter id esse opus negasti: tamen ipse nonnihil vidit. Sive enim quod ita iure fieri a me debere intelligit, sive quod animum meum erga te habet exploratum, sensit id quod verissimum est, nullam esse tantam virtutis commendationem apud me, quæ non tuo testimonio multo fiat uberior. Itaque illum quem sponte et per se iure quidem optimo antea dilexissem, tua nunc commendatione habeo cariorem. Quid autem de eo, deque eius scriptis sentiam, scribo ad ipsum quidem copiosius: sunt enim illa a me diligentissime perlecta. Sed tibi quoque breviter dico, probari mihi mirifice quum ingenium hominis, et in scribendo elegantiam: tum illud inprimis religionis studium, quod præ se fert: quod quidem ubicunque adest, illa mihi et plena et gravia et pererudita videntur esse. Phædrum meum, quod sis ad calculos iudicii et prudentiæ tuæ denuo revocaturus, valde lætor: magnamque in tua consideratione et diligentia eius expoliendi spem habeo. Tantum a te peto pro iure amicitiæ nostræ, ut ne ambitiose, neve erga me nimium indulgenter eum corrigas. Marcum Fortiacum gaudeo tibi esse cordi: certe mihi magnæ voluptati est tuum de illo adolescente iudicium cum ea opinione quam semper de eo habui, convenire. Eum tibi ne commendo quidem, video enim esse satis commendatum, vel ex eo quod contubernio tibi coniunctus est. Paulus et te amat, et memoriam tui servat quam debet, tuque crebro in sermonibus nostris versaris, queis et consuetudo tua, et suavitas a nobis requiritur. Qua posteaquam carendum nobis necessario est, tuas saltem optamus crebriores, mi Lazare, literas: quod iis desiderium tui nostrum aliqua ex parte leniri sentimus. In quo nobis ut morem gerere ne graveris, equidem te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale, et amicis nostris communibus plurimam meis verbis salutem dic. VI. Calendas Junii, MDXXXVI.

Ep. VI.

J. SADOLETUS EPISC. CARPENT. A. PALEARIO S. P. D.

Serius accepi literas tuas. Datæ enim illæ III. Idibus Februarias, mihi medio ferme Maio sunt redditæ. Quibus perlectis equidem valde lætatus sum, cum tali ingenio, quale tuum mihi iam perspectum est, talem etiam animum erga me plenum amoris et desiderii, coniunctum esse. Quid enim est rerum omnino omnium quod mihi bonorum et doctorum benevolentia videatur optabilius? Itaque quum epistolam tuam primo legissem, eaque mihi vehementer placuisset — est enim et suaviter, et ornate, et peramanter scripta — ab illius statim lectione ad poema tuum me contuli, totumque perlegi triduo: singulis videlicet libris in singulos dies collatis. De quo, ut tibi vere exponam quod sentio, hoc iudicii feci: eorum, qui in eo genere voluerunt esse, sane quam paucos, et nostra, et superiore memoria, æque eleganter scripsisse atque tu: eruditius certe neminem. In quo mihi illud mirifice probatum est, quod hæc tua scripta non accersitis, fucosisque argumentis, neque quo magis poetica videantur, a fabulosa illiusmodi Deorum vetustate repetitis: sed sancta et vera religione condita sunt. Ut quemadmodum vultus pacatus, et constans in homine, bene affectæ mentis, et probi animi est indicium: sic tua ista eximia erga Deum pietas, quæ sese in tuis scriptis primam offert: nos cogit de te, deque omni sensu animi tui, excellenteque doctrina præclare existimare. Ac cætera quidem tuum carmen mire mihi satisfecit: video enim quos imiteris, quid referre in tuis scriptis et exprimere conere: tibique neque in eligendo iudicium, neque in conando fructum laboris tui abesse intelligo. Perspicio etiam verborum elegantiam, sententiarum acumen, numerique apta et varia compositione delector. Sunt enim ista omnia in te ita studio et cura elaborata, ut sint ubique nihilominus ingenii luminibus lita. Illud unum interdum, quamquam admodum raro, desiderio: quod cupissem nonnulla a te disseri explanatius, quibus

nunc percipiendis mens nostra aliquantulum laborat. Atque illa, ne forte mihi Lucretianum modum dicendi opponas, non sunt ex eo genere, quod difficultate rerum quæ tractantur, suapte sponte obscurum prope necessario sit, in quo solet iusta esse scribentibus excusatio: sed e medio quædam sumpta, compressius abs te dicta sunt, quæ dilatari, et patere melius voluissem. Neque ea tamen tam multa, ut pertimescas. Sed fortasse ut nodus robur, et ut nævus decus aliquando, atque ornatum, pulchro corpori afferre solet: sic plerisque illa poterunt videri idcirco esse quæsita: quod cursus nostræ cogitationis, fluentis in facilitate orationis, apte illis interdum, tamquam salebris, retinetur. Quod quidem ad veras laudes egregie compositi carminis pertinet, totum tibi ita tribuo, ut hoc plane confirmem, nihil me his aliquot iam annis in eo genere editum legisse libentius. Itaque te iam ne hortor quidem, ut quo itinere instituisti, eodem porro pergas. Satis enim tibi incitamenti, quum iudicium de te, exspectatioque hominum, tum fructus ille ingenii suavissimus, qui in pangendo maxime et in commentando percipitur, debet afferre. Qui etsi omnibus eruditis datus est, quum hi aliquid ex sese procreant atque gignunt: uberior tamen adest poetis. Quamquam ego te non poetam magis, quam oratorem esse statuo: cuius rei facio ex epistola tua coniecturam. Ea enim ita commode et concinniter scripta est: ut facile intelligam, te utrumcunque velis, et suscipere et posse præstare. De me vero, quem tu tantopere in tuis scriptis ornas eoque honore afficis, quo maiore nemo afficere quemquam potest, quid dicam, vix reperire mihi posse videor. Nam si eas in me laudes agnoscam, quas tu mihi tribuis, timeo ne arrogans: sin repudiem plane atque reiiciam, vereor, ne ingratus adversus te sim, quum de tuo iudicio ipse detraham, eo ipso unde sim ornatus. Quamobrem ut in difficili eiusmodi causa, ad id me vertam, quod meo pudori maxime est consentaneum: ut tibi agam pro tua ista humanitate et erga me benevolentia gratias, meque tibi hoc nomine obstrictum esse confitear. Quod

facio equidem, et libens facio: tibique persuasissimum esse cupio, te a me singulariter amari, vel ingenii, et virtutis, et probitatis tuæ causa: vel eius officii atque amoris, quo me ipse prosequeris: vel quod eorum et temporum, et hominum, in tuis literis mentio facta est, quorum meam et memoriam, et erga illos benevolentiam, dies numquam delere oblivione ulla potest. Ut præter id, quod tuo nomine tibi debeo, quantum etiam illos dilexi totum in te persequar. Quo me in te animo esse, si usus venerit, re ipsa, experiendoque cognosces. Vale. Carpentoracti, VI. Cal. Junii MDXXXVI.

Ep. VII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENT. SEBASTIANO GRYPHIO S. P. D.

Superioribus proximis diebus, quum esset allatus ad me liber Aonii Palearii de Immortalitate animorum, præclaram inscriptionem præ se ferens, eamque rem totam heroico carmine complexus, legere eum statim perquam avide cœpi: quasi tentaturus, an promisso satisfaceret, qui tam sublimem titulum operi suo proposuisset. Atque ibi video, id quod mihi primum summæ voluptati, deinde pæne incredibili admirationi fuit, rem tantam quanta altera nulla est, quæ quidem scriptorum ingeniis proposita sit, tam graviter, tam erudite, tam etiam et verbis et numeris apte atque eleganter tractatam esse: nihil ut ferme nostrorum temporum legerim, quod me in eo genere delectarit magis. Nam nec sententiarum orationisque ubertas, in tam difficili ac pæne spinosa materie, ulla desideratur, nec in exponendis rebus reconditissimis lux atque facilitas. Numerus porro carminis is est, ut videatur Lucretium velle imitari, redolet enim antiquum illud; sed ita sapore humanitatis conditus est, ut asperitate demissa, vetustatis tamen auctoritas salva

remaneat. Atque hæc in universum. Illa iam partium singularum propria, nihil non Latine dictum, nihil non accurate, quove iudicium et diligentiam adhibitam esse non pateat: multaque præterea ubique nitentia ingenii et venustatis luminibus, et, quod ego pluris quam reliqua omnia facio, Christiana mens, integra, castaque religio, erga Deum ipsum honos, pietas, studium; in eo libro vel maxime, non solum docere mentes errantium, sed etiam animos incendere ad amorem puræ religionis possunt. Sed quorsum hæc, mi Gryphi? Primum volui dare testimonium apud te doctissimo Viro, ut quid de eo sentirem tu plane cognosceres. Deinde a te petere, id quod ipse quoque cuius volo causa, et petit a te per literas et summe flagitat, ut eius hosce tres libellos tuis formis exprimendos cures. In quo ille valde suo honori, ego meæ cupiditati satisfactum fore abs te arbitraturi sumus. Noli enim putare non apud Italos omnes tuum esse nomen in magna gratia. Quicquid prodit ex officina tua, id ita demum et rectum et probatum habetur omnibus, si in eo tuum nomen sit præscriptum. Nota est enim probitas, et diligentia tua, nota eruditio. Quid igitur restat, nisi ut tu et bonis et amantibus tui morem libenter geras? Quod tamen semper sponte tua facis, nunc mea etiam causa facere propensius debes, quia meam fidem atque officium in hac re agi iudico. Sum enim, ut tu scias in hoc ipso libro honorificentissime appellatus, secundo, ut opinor, volumine, ut tibi hæc opera mihi quoque una cum Aonio, non ipsi soli præstanda sit: quandoquidem tu me amore iam pridem, atque observantia tua mirifice es complexus. Nec erit cur te pœniteat, hunc talem librum Actii Synceri, et Vidæ doctissimorum hominum ac præstantissimorum poetarum scriptis adiunxisse: cum quibus certe hic iure comparari potest. Nam et in eadem argumenti sententia sanctitateque ornatissime versatur, et philosophiæ præterea rationibus uberius est instructus. Sed hoc tu per te æque bene cognosces. Illud utique tibi persuasum habere debes, quicquid in hac re ex mea et Aonii voluntate effeceris, id utri-

que nostrum fore gratissimum. Eadem hac de re, quo eum magis mihi curæ esse intelligas, meis verbis tecum aget Vir optimus, ac vetere mecum amicitia coniunctus, Thomas Sertinus: sic enim ei a me mandatum est. Qui et ut in me semper perofficiosus fuit et pro eo studio, quo probos et eruditos homines sui similes prosequitur, non dubito quin diligenter officio functurus sit. Vale mi Gryphi. Carp. III. Cal. Julii MDXXXVI.

BREVIS NARRATIO

DE VITIS

PETRI BUNELLI, PAULI MANUTII, CHRISTOPH. LONGOLII, PETRI BEMBI, JACOBI SADOLETI

ET

AONII PALEARII VERULANI.

A.

BREVIS NARRATIO

DE VITA

PETRI BUNELLI.

Bunel (Pierre) était de *Toulouse*, où son père, qui était Normand, s'établit, et il joignit à une grande érudition une vie véritablement chrétienne. Il acquit la réputation d'avoir par ses ouvrages ressuscité l'éloquence de *Cicéron*, sous le règne de *François* Ier; et ayant accompagné les ambassadeurs que le Roi envoya à *Venise*, il se fit tellement estimer des plus savans hommes d'Italie, que le célèbre *Paul Manuce* avoua, qu'il avait appris de Bunel le secret de bien écrire en latin (cf. *P. Manut.* Epp. edition. nostr. p. 96.) Depuis, ce savant homme, dont l'esprit promettait de grandes choses, et qui en avait déjà composé de si belles, mourut à *Turin* n'étant qu'en la quarante-septième année de son âge; ce fut vers l'an 1546. Il avait accompagné en Italie les fils du président Fabry, et il y avait entre ceux-là *De Pibrac*, depuis président au Parlement de Paris. *Charles Etienne*, qui faisait gloire d'obliger les Savans, recueillit diverses lettres latines de Pierre Bunel, qu'il publia (A. MDLXXXI.) * *Scévole de Sainte Marthe*, in *Elog. doct. Gall.* Lib. I. (Vid. *le grand Dictionnaire historique* par *L. Morery*, T. 1. Amsterd. MDCXVIII p. 517.) »Neminem nisi omnis historiæ at-

atque earum rerum, quæ ad litterarum fata pertinent, plane ignarum fugit, quomodo Gallia ingeniis cultissimis omnique studiorum genere floreat ac litterarum scientiarumque augeat ornamentum. Exstitit parens ac nutrix summorum elegantioris doctrinæ auctorum, de quo nemo dubitaverit, qui velit recordari, quanta laude ac nominis fama ***Budaeus, Bunellus, Turnebus, Scaligeri, Casaubonus, Salmasius, Valesii, Menagius,*** aliique patriam atque ipsa litterarum studia illustrarint. Sed tamen quum hi gravissimi viri studia sua ad litteras latinas contulerint, illos maiori diligentia in re critica ac philologica, quam in perpoliendo atque eleganter sermonis romani stilo formando elaborasse, nemo qui monimenta eorum evolvit, diffitebitur. Nihilominus et in illis exstiterunt viri doctissimi ac meritis hisce in latinam linguam imprimis clarissimi, quales sunt

Petrus Bunellus, cuius exstant ***epistolae,*** quibus nihil cultius, aut politius fingi posse affirmat ***Scaevola Sammarthanus*** in ***elogiis Gallorum,*** lib. I. p. 57 etc. *****Epistolae Bunelli*** primum editæ sunt a ***Carolo Stephano*** 1555 et a ***Graverolo*** Tolosæ 1687 cum not. Easdem ***Pauli Manutii epistolis*** iungi sæpe solere supra dictum est; nec immerito, quum ***Manutius*** professus sit, se a ***Bunello*** eleganter scribere didicisse. Vide et ***Baylium*** in ***dictionario gallico.***« Verba ***Jo. G. Walchii*** in Hist. crit. lat. Lips. 761. 8. p. 643. et p. 695: De ***Bunello Erythraeus*** Pinacoth. III. testatur eum nullum aliud probasse scribendi genus præter Tullianum, neque a Ciceronis imitatione esse discedendum. Plura collegit ***M. Dan. Frid. Janus*** eleganti disputat. ***de nimio latinitatis studio.*** Lips. 712. — ***Henric. Stephanus*** in proœm. editionis suæ (***Petri Bunelli***, Galli præceptoris et ***Pauli Manutii***, Itali, discipuli, Epistolæ Ciceroniano stilo scriptæ. Ann. MDLXXXI. 8.) quam nos secuti sumus, hæc enunciat:« Ad ***Bunellum*** ut veniam, ego non solum cadere Ciceronianitatem in Gallos quoque homines (contra quam Italus quidam scripserit) sed etiam, quod multo maius et difficilius est, facultatem alios eam docendi: visus mihi sum non posse

locupletiore testimonio adversus Italum, quam Itali, et quidem viri magna apud Italos auctoritate præditi, probare. Cuius ergo Itali? *P. Manutii.* Is enim quum summum Ciceronianitatis attigisse gradum existimetur, ad eam tamen se nonnisi ductu et auspiciis homminis Galli pervenisse fatetur. Ita enim hic in quadam ad *Vidum Fabrum* epistola (quæ est libro eius epistolarum primo; edit. nostr. Ep. I. p. 96) de nostro *Petro Bunello: Ego ab illo maximum habebam beneficium, quod me cum Politianis et Erasmis nescio quibus misere errantem, in hanc recte scribendi viam primus induxerat.* Sed in posterioribus editionibus cum *Philelphis et Campanis* pro illis *cum Politianis et Erasmis,* scriptum est. Utrocumque tamen scribatur modo primum Ciceroniane scribendi nostro Bunello laus constat: non parva illa quidem, vel ipsius Manutii iudicio. Is enim Politianos et Erasmos (in quorum postea locum Philelfi et Campani substituti fuerunt) quod eam quam ipsi Bunellus ostendit scribendi viam non tenuerint, misere erasse arbitratur.

Verum cum aliquo iam tum laudem illam Ciceroniane scribendi communicasse Bunellus dicitur fortasse. At hanc facultatem aliis etiam insevisse, id saltem proprium eius esse et laudem ex eo sibi propriam mereri fatendum est: Nam quis ex cæteris Ciceronianis, præsertim Italis id præstitisse comperitur? Multum quidem certe abest quin ipse Manutius vel filio suo tam bonus in ea re magister fuerit, quam bonum Manutio magistrum fuisse Bunellum videmus. Nec veró ipse Manutius alios a se Ciceroniane scribere non doceri negat, sed ad quasvis potius excusationes confugit, quam ut se præstare hoc non posse fateatur. Scribit enim in quadam ad *Stephanum Saulium* epistola (*edit. nostr.* p. 102): *Et in his angustiis, in hac mea tam tenui valetudine, tam adversa fortuna, quia rudes homines, veteris eloquentiae cupidos, meis scriptis non erudio, nec in rectam Latine scribendi viam induco: appellas me quasi malum debitórem,* etc. — Alio præf. loco iterum *Henri-*

cus ille *Steph.* hæc: Mirum est — Manutium illius boni viri, præceptoris sui, Petri Bunelli inquam, fuisse oblitum, quum hæc in eadem illa epistola (Ep. II. ed. nostr. p. 97), non multo ante, scriberet: *Quis enim Latinae orationis laudem non magnopere diligendam dixit? quis porro rationem et quasi viam, qua pervenire ad eam liceat, nobis indicavit?* Si enim aut oblitus illius non erat, aut ingratus esse nolebat, illum excipere debebat et dicere; *Quis porro praeter Petrum Bunellum, praeceptorem meum, rationem et quasi viam etc.*

B.

BREVIS NARRATIO

DE VITA

PAULI MANUTII.

Manuce (Paul), fils *d'Alde*, naquit à *Venise* en 1512. Il fit un grand progrès dans l'intelligence des langues, et dans les belles-lettres; et il soutint très-bien la grande réputation, que son père s'était acquise. *François Manuce*, un de ses oncles, en avait aussi beaucoup. *Paul* travailla dans plusieurs villes d'Italie, et surtout à *Rome*, où il eut soin durant quelque temps, de la bibliothéque du *Vatican*. Il publia les oeuvres de *Cicéron* avec des notes et des commentaires. *De legibus Romanis. De dierum apud Romanos veteres ratione. De Senatu Romano. De civitate Romana. De Comitiis Romanorum.* Des Epîtres en Latin et en Italien, etc. *Paul Manuce* eut des afflictions domestiques, qui avancèrent ses jours. Une de ses filles, qui était religieuse, voulut sortir de son monastère: il la maria, et cela ne l'empêcha pas de vivre dans le désordre. Ceux dans lesquelles il avait été lui-même, lorsqu'il était jeune, lui causèrent de grandes incommodités durant sa vieillesse. Cela le rendit extrêmement mélancolique. Il mourut à Venise en 1574, âgé de 62 ans. **De Thou, Hist. lib.* 59. *Imperialis, in Museo Hist. Beyerlink, in cont. chron. Opmeri. Le Mire, de Script. saec. XVI. Ghilini in Theatr. Hist. etc.*

(*Morery.* dict. T. III. p. 432.) »Hic annus (1574) nobis eripuit duo magna Italiæ et Germaniæ lumina *Paulum Manutium* et *Joachimum Camerarium Papebergae* in *Franconia* anno CIϽIϽ, et eodem ipso mense, quo mortuus est, natum. Et in Paulo quidem præter exactam puritatis Latinæ et antiquitatis Romanæ cognitionem, quam ad *Ciceronem* suum illustrandum attulit, plerisque scriptis, dum vixit, publicatis et post mortem a filio *Aldo* virtutum paternarum herede editis, præcipua ad iuvandos aliorum labores cura ac per manus hereditario veluti iure a patre et avo tradita industria fuit insigni illa et omnibus seculis deprædicanda artis typographicæ officina, ex qua omnium fere veterum tum Græcorum quam Latinorum et aliorum auctorum scripta diligenter, ut tempora ferebant, certe elegantissime excusa ad publicam utilitatem olim prodierunt, ut omnium confessione constet, literas renascentes ortum suum Manutianæ familiæ debere, quæ adultiores in Germania a *Frobeniis*, sed maxime omnium in Gallia a *Stephanis* per centum annorum spatium eadem industria propagatæ et ad summum diligentiæ simul et eleganter fastigium perductæ sunt. Paulus autem ante aliquot annos Venetiis Romam evocatus, ut sacrorum librorum editioni præesset, attenuato assiduis studiis corpore, quum diu præ macie in lecto decubuisset, ubi eum paucis ante mortem diebus sedulo quum Romæ essem, cum *M. Antonio Mureto*, vetere amico sæpius invisi, tandem optime meritam de re literaria animam Deo reddidit. VIII. Id. April. (1574) ad *Minervae* sepultus.« Hæc refert *Thuanus* Hist. Lib. LIX (Tom. II. p. 108. Ed. *Francof.* MDCXXV).

Paulus Manutius, *Aldo* parente Docto Doctior Filius anno natus, ut opinor 1512 non accurata modo Latinæ linguæ cognitione instructus, sed et imitationem Ciceronis potissimum, ut Eloquentiæ principis adhibuit. *Lib. I. Epist.* 3 et 4. Quumque e *M. Tullii Oratore* didicisset, vertendo, commentando, stilumque exercendo parari augerique bene dicendi facultatem Sapientiamque Eloquentiæ esse coniungendam, ita se comparavit, ut parata e cæteris antiquis scriptor-

ibus rerum cognitione, ad Ciceronem posteritatis commodo illustrandum totum se converterit, ut legi melius atque intelligi deinceps posset. Igitur emendationem longe, frequentius dedit, post Epistolas atque Orationes lib. 11. Epist. 9. Commentariis illustravit

Doctis, Jupiter, laboriosis.

tum vero dissertissime eas, quæ ad familiares *libr.* 6. ***Epist.*** 16 et *lib.* 7, ***Epist.*** 10. scriptæ sunt, et ad ***Pompeium Atticum*** illustravit: ut cum parente filium ***Aldum***, totum adornasse Ciceronem videas, præterea neminem. Et certe propria ea Manutianæ familiæ laus, si verum fateri volumus, neminem unum plura in Oratorum principe aut præstitisse aut accuratius adnotasse.

Græcarum quoque literarum in paucis peritus ***Paulus, Philippicas Demosthenis*** diserte Latina civitate donavit. Antiquitatis quoque doctissimus de ***Legibus***, ***lib.*** 2. ***Epist.*** 13. ***de Civitate Romana***, deque ***Senatu*** brevi, sed venuste conscripsit. ***Romam*** hic Venetiis honoris gratia a ***Pio IV.*** Pontif Maxim. ***lib.*** 8. ***Ep.*** 1. ut sacros libros atque Ecclesiasticos pari cum profanis, aut maiore diligentia evulgaret, evocatus, stipendio ad id quinque millium scutatorum accepto, lib. 10. Epist. 12. At laboribus ille in tot tantisque molestiis non frangebatur, homo studiis imprimis addictus, contracta macie ac pallore, quod et indicat effigies: oculorumque et stomachi dolore, ***libr. II. Epist.*** 5. 22. ***libr.*** 4. ***Epist.*** 43. ***Libr.*** 6. ***Epist.*** 15. ut lucubrando olei plus quam vini (quod de Atheniensi olim Oratore iactatum) consumpsisse videatur, ***libr.*** 9. ***Epist.*** 5. Roma post decem annorum labores Venetias rediit. Anno 1570, ut valetudini consuleret et ad studia, quæ magnam tum iacturam fecerant rediret. Post biennium rursus iam sexagenarius Romam profectus filiam quam unicam habebat honesto ***lib.*** 11. ***Ep.*** 15. iuveni Jurisconsulto despondet ***lib.*** 12. ***Ep.*** 4. sed Cardinalium et amicorum suasu, iussu ***Gregorii XIII.*** Pontif. Max. sedem ibi figere ***lib.*** 11. ***Ep.*** 15. denuo coactus est. In Epistolis scribendis atque adeo latino sermone sic regnat, ut ad veterum gloriam pro-

pius accessisse credatur nemo. Si non admodum et exhaustus, septuagenario, credo, maior Romæ vita functus est, conditusque in æde sacra Deiparæ Virginis supra *Minervam,* nullo tamen, quod equidem miror, addito titulo ab *Aldo F.* qui solus paterni nominis heres (alter enim filius in pueritia obierat) *Libr.* 4. 37. sepulcri honorem, in libris potius coacervandis, quam scribendo occupatis neglexisse putatur. Pauli autem hæc scripta propriis typis edita feruntur:

Scholia et ad oram notae in Epistolas ad Familiares et in Officiorum libellos.

Commentarios voces in Epistolas ad Familiares et ad Atticum, Brutum et Q. fratrem.

Scholia in Ciceronis Philosophicos libros et in Asconium Pedianum.

Additamentum ad Ambrosium Calepinum.

Commentaria in omnes Ciceronis Orationes; copiosius vero in eam pro Sestio et pro Archia Poeta.

Antiquitatum libros, de Legibus, de Senatu, de civitate Romana, et hos quidem nondum in Germania excusos.

Demosthenis Philippicas quatuor Latinas fecit.

Beatum Cyprianum a se emendatum notis illustravit.

Apophthegmata et Adagia Chiliastis Batavii Patrum Tridentinae Synodi iussu sordibus expurgavit.

Epistolarum eius libri XII. et Praefationum unus.

(Vita Pauli Manutii Aldi F. ex eius potissimum scriptis collecta, editioni Kirchmannianae. Lubecae MDCXLVI. praemissa.)

Paulus Manutius, vir latinis literis maxime instructus: Tullianæ dictionis summus admirator et assiduus imitator, ut ubique appareat Ciceronianus. Merito fuit in illis, qui primi romanam eloquentiam et castitatem latinæ linguæ Italos recte docuerunt. Habet in libris suis, præcipue epistolis, dictionem Ciceronianam, puras et castas voces, lectissimas

atque elegantes phrases nec quicquam in stilo eius vituperari potest, nisi quod interdum servili imitationis legi aliquid dederit, hocque gravitatem et vim characteri, quem expressit, abstulerit. *Marcus Antonius Muretus* orat. XIX. volum. II. de *Casa* et *Manutio* ita iudicat: »*Neque immerito commendati sunt aut is, qui pauca quidem scripsit, sed in scribendo omnium politissimus maximeque limatus, idemque ab omnibus ineptis remotissimus fuit Joannes Casa; aut vir in scribendis epistolis latinis singulari lepore ac venustate praeditus, Paulus Manutius, qui tamen quemadmodum illud consecuti sunt, ut haec laus vere ac merito propria Italiae haberetur eique ceterae omnes nationes scribendi elegantia facile cederent: ita illud negari non potest, multos naevos multasque maculas, quod bona omnium venia dictum sit, illorum omnium scriptis adspersas esse, quae planum faciunt, illos vidisse quidem, quid optimum esset, et viam, quae ad illud ferret, ingressos longe processisse; sed longe tamen ab eo, quo intendebant, substitisse. Conrad. Samuel. Schurzfleischius in epist. selectior p. 39.*« »*Manutium absit, ut reprehendam, quantus quantus ipse Ciceronianus est: at longe recedit infra πολιτικώτερον Mureti ingenium. Caspar Scioppius notavit eum propter voces ac phrases quasdam earumque significationes, quibus sine auctoritate fuerit usus, cuiusmodi ingratitudo, speculatio, contrarietas, damnum pati, dissuadere aliquem ab aliqua re pro dehortari: adhibere fidem alicui pro credere. Plures libros confecit, quibus incrementa elegantiorum litterarum insigniter auxit: veteres auctores commentariis egregie illustravit ac multa capita antiquitatum Romanarum tradidit. Ex hisce libris cultioris Romanae linguae studiosis praecipue epistolae eius inserviunt ac merito commendantur. Quamvis enim sint sine nervis, gravitate ac vi eloquentiae Romanae atque de rebus domesticis tantum exponunt multasque in se contineant adulationes; verbis tamen suis sunt elegantes atque ubique splendet dictio Ciceroniana. Octavius Ferrarius in operibus*

*Tom. I. p. 435 epistolis hisce magnum statuit pretium atque existimat, quod in illis, quae tam elegantes ac purae sint, ut musae ipsae latine loqui videantur, post Ciceronem ac Plinium primae partes Manutio omnium consensu deferantur. Atqui tam honorifico testimonio dignus est Manutius, ubi illud ad ipsius dictionis, quam usurpat castitatem ac nitorem refertur. At plures aliae sunt stili Romani virtutes, in quibus, quod alii Manutio feliciores exstiterint, ubi affirmamus, haud a recta sentiendi norma aberrabimus. Referunt quod in epistola quadam conscribenda tam sollicito studio elaboraverit, ut in scriptione illius aliquot menses consumpserit, quodque inter singulas lineas spatium aliquot digitorum fecerit, eo consilio, ut, si quid elegantius subveniret, saepius instituta emendatione inseri posset. Manutianis iungi solent epistolae Bunelli, quae et separatim editae sunt, latina elegantia multum conspicuae. *Manutii epistolae libris X et libris XII quum ante saepe prodierunt, tum libris XII. cum eiusd. praefationibus per Andr. Schottum 1624 cum summariis et notis Jo. Kirchmanni per Jac. Thomasium, Lips. 1669, 8. tandemque illustratae a Jo. Gottlieb Krause auctiores Lips. 1720, 8. cum vita Manutii collecta potissimum ex eius scriptis c. not. laudati Krausii, quorsum lectores ablegamus, et ad apparatum ad Pauli Manutii vitam ab eodem Krausio, ib. 1719, 4. scriptam.« (Walch. I. l. p. 628 sqq.)*

De editionibus *Manutiorum* cura impressis cf. *Annales de l'imprimerie des Aldes, ou histoire des trois Manuce et de leurs éditions par Renouard.* Ed. II. Par. 1825. III Voll. et appendix tomi primi *lexic. bibliograph. cura Eberti* editi.

De *Ciceroniasmo* quem dicunt, sive de superstitiosa Latine scribendi ratione, quomodo a Bonamico de pontific. epp. scriptoribus p. 221. designatur, cf. *Erasm.* Epp. XX, 14. *Muret.* V. L. XVI. *Erasmi* dialogus Ciceronianus. Bas. 1528. 12. *J. C. Scaligeri* oratt. adv. Erasm. Tolos. 1623, 4. *Doletus* de imitat. Ciceroniana adv. Erasmum. Lugd.

1535 4. ***H. Stephanus***: Pseudo-Cicero. 1567. 8. Dissert. de Plauti Latinitate ed. Roloff. Hal. 1737. ***Nizolio-didascalus*** 1578. 8. ***Burigny*** in Mém. de l'acad. d. Inscript. T. XXVII. hist. p. 195 sqq. ***Jugleri*** Diss. de Ciceromania eruditorum. Weissenf. 1744. 4. ***G. Bernhardy,*** Grundlinien zur Encyclopädie der Philologie, Halle 1832. p. 259, 3. ***Chr. Felix Bähr,*** Gesch. der Röm. Lit. Carlsr. 1832, p. 499 sq. ***S. F. W. Hoffmann***, die Alterthumswissenschaft. Leipz. 1835. p. 6 sq.

C.

BREVIS NARRATIO

DE VITA

CHRISTOPHORI LONGOLII.

Longueil (*Christophe de*), à qui son savoir a acquis une grande réputation, était fils d'*Antoine de Longueil*, évêque de *Lyon* et chancelier de la Reine *Anne de Bretagne.* Ce prélat était ambassadeur dans les *Pays-Bas*, et il y eut Christophle, qui naquit à *Malines* l'an 1490. D'autres ont cru que ce fût à *Schoonhofen*, en *Hollande.* On le mena jeune à *Paris*, et il se rendit très-habile. Aussi parut-il avec éclat dans les principales universités de la *France* et de l'*Italie.* Il savait les belles-lettres l'antiquité et les langues. Il écrivait en latin, avec beaucoup d'éloquence et de pureté en prose et en vers; et il avait un certain air de sagesse et de prudence, qui le faisait paraître avancé en âge, bien qu'il fût encore très-jeune. Sa mémoire était un prodige, elle n'oubliait rien de ce qu'il lui avait une fois confié. Il voulut apprendre le droit, la médecine et la théologie. Il n'y réussit pas mal, et devint un homme universel. De Longueil voyagea aussi en *Italie*, en *Espagne*, en *Angleterre* et en *Allemagne.* Il voulait passer en *Orient;* mais les guerres des *Turcs* l'en empêchèrent. Cependant ce désir de voyager faillit à lui devenir fatal. Il passait dans la *Suisse*

avec deux de ses amis en 1516, peu après la bataille de *Marignan.* Elle avait été si funeste aux *Suisses,* par la valeur du Roi *François I.* qu'ils ne pouvaient voir les Français qu'avec horreur. Ils prirent de Longueil et ses compagnons pour des espions et les poursuivirent jusque sur le bord du *Rhône.* L'un d'eux fut tué en faisant résistance, l'autre passa le Rhône à la nage et de Longueil fut blessé au bras et arrêté prisonnier. Il souffrit beaucoup durant plus d'un mois dans cette captivité, jusqu'à-ce qu'il eût le moyen de se faire connaître à l'Evêque de *Sion,* qui lui procura la liberté. Le pape *Léon X.* le vit avec plaisir à *Rome,* y fit estime de son mérite, et parla de son éloquence avec admiration, après l'avoir ouï haranguer en sa présence. On lui fit en cette ville des affaires, dont il se tira en homme d'esprit; après cela il fit un voyage en *France,* ou l'on s'efforça en vain de le retenir. Il retourna en *Italie,* et il y mourut à *Padoue,* en la fleur de son âge, le 4. Juillet de l'an 1522.

Pierre Bembe, depuis cardinal et alors ami particulier de Longueil, lui fit cette épitaphe, qu'on mît sur son tombeau dans l'église des Cordeliers de *Padoue.* Il y avait été enterré en habit de religieux.

CHRISTOPHORO LONGOLIO BELGÆ
ROMANAM CIVITATEM PROPTER EXIMIAM IN STUDIIS
LITERARUM PRÆSTANTIAM ADEPTO
SUMMO INGENIO INCREDIBILI INDUSTRIA
OMNIBUS ARTIBUS PRÆDITO
SUPRA IUVENTÆ ANNOS IN QUA EXSTINCTUS EST
MAGNO CUM ITALIÆ DOLORE
CUI INGENTEM SPEM SUI NOMINIS EXCITAVERAT

PETRUS BEMBUS
AMICO ATQUE HOSPITI POSUIT.

TE IUVENEM RAPUERE DEÆ FATALIA NENTES
STAMINA QUUM SCIRENT MORITURUM TEMPORE NULLO
LONGOLI TIBI SI CANOS SENIUMQUE DEDISSENT.

Christophe de Longueil avait laissé divers ouvrages. Ceux qui sont venus jusque à nous, sont: *Comment. in Lib. XI. Plinii Historiae Herbarum. Epistol. Lib. IV. Comment. ad Jus Civile. Oratio de laudibus C. Plinii. Orat. de Ludovici Francorum Regis et gentis laudibus, etc. *Paul Jove, in elog. Doct. Viror. c. 67. Ste Marthe, in elog. Doct. Gall. lib. I. Melchior Adam, in vit. Philos. Germ. Valere André, Bibl. Belg. Le Mire, Frischard, Erasme, Damien de Goes, etc. (Moréry s. v.)* — » *Christophorus Longolius,* qui natus est *Macliniae,* ut ipse de se testatur: *Ego Macliniae natus sum, Macliniae educatus, germanicae linguae et Caesarum ditionis oppido:* vide vitam Longolii epistolis eius præmissam atque ab *Adamo* philosophorum vitis p. 45 insertam. (Hæc *vita Longolii a Reginaldo Polo* conscripta esse dicitur, quod imprimis *Frid. Jac. Beyschlagius in Sylloge* varior. Opusc. fasc. I. in *epistola* ad *Jo. Gottl. Krausium* probare vult; in qua epistola quum multa alia etiam ad vitam *Longolii* facientia disserit, tum ipsam hanc vitam cum animadversionibus editurum promittit, quod an factum sit, ignoramus. De *Operibus Longolii* et editionibus vide *Niceronum* T. XVII. p. 33. edit. Paris.) Verum quum mallet apud Italos, quam cives suos commorari, liceat eum illis Italis adiungere, qui in formando stilo *Ciceronem* per superstitiosam æmulationem sunt sequuti. Adolescens adhuc promiscuam Latinorum scriptorum lectionem suscepit, inprimis in libris *Plinii* volutatus, hincque formam scribendi inæquabilem nec puram satis contraxit. Monitus vero atque incitatus a *Petro Bembo* unice lectioni atque imitationi *Ciceronis* se addixit nec ullum alium

præter istum auctorem per quinque annos evolvit, eo consilio atque instituto, ut genuinam Tullianæ eloquentiæ vim sibi compararet omnemque suam orationem ad Ciceronis formam componeret, cuius Ciceronis tanto amore tantaque admiratione occupatus fuit, ut more ac consuetudine aliorum superstitiosorum imitatorum vix a se potuerit impetrare, aliis quam Tullianis verbis uti. Verum quod aliis in huiusmodi nimia æmulatione contigit, id quoque evenit Longolio. Expressit quidem dicendi formam, quæ Ciceronis verbis splendet; Tulliana autem gravitate ac pulcritudine caret. Atque hoc est, quod peritissimi latinitatis censores in stilo Longolii notant. *Paul. Manutius* Lib. I. ep. 4. dicit: *obsecro te, Sauli, qui iudicio excellis, quid tibi de Christophoro Longolio videtur? equidem, si quando, quid de scriptis illius existimem, interrogor, ita soleo respondere, exilem esse in sententiis, non luculentum in verbis; ut tamen de eo, si vitae contigisset usura diuturnior, bene censeam sperandum fuisse. Sed, ut nunc est, mea quidem sententia, nullus est. Quid enim adfert exquisitum, quid singulare, quid non vulgatum, non ex quotidiana consuetudine usuque sumtum? at scribit interdum et de rebus familiaribus et ad familiares. Quid tum? quasi non vel in obscuro argumento possit ingenii lumen elucere.*

Erasmus in *Ciceroniano* §. *33:* »*Nihil est igitur, quod isti Ciceronis simii nobis Longolium obiiciant: aliis dotibus ille magnus erat, etiamsi Ciceronianus non fuisset: et haec ipsa vanissimi tituli ambitio fructum propemodum studiorum illius corrupit, vitam abrupit. Quamquam multum etiam abfuit a Cicerone, cui materia defuit exercendae mirabilis illius eloquentiae, quam in seriis gravibusque caussis Cicero praestitit. Longolius edidit epistolas, sane quam elegantes ac feliciter elaboratas, fateor: sed multas argumento perquam humili, plures affectato, quod genus videntur aliquot epistolae Plinii iunioris; et paullo post:*

Primum igitur illa simplicitas et gratia sermonis inaffectati; *deinde veritas abest in epistolis Longolii plerisque. Ad haec quoniam nec eadem fuit fortuna Longolii, quae Ciceronis, nec eadem negotia; fit, ut interdum inepta sit ac frigeat imitatio.*

Accedat sententia *Jo. Ludovici Vivis*, quæ legitur extremo libelli de *conscribendis epistolis: Christophorus Longolius*, inquit, *nimia cura imitationis bonam naturam corrupit. Verba habet Ciceroniana, mira religionisne an superstitionis observatione; sensus est ineptior; propterea quod dictu grandia rebus exiguis aptabat. Non enim satis illi erat, verba et phrasin Ciceronis miro studio imitari, nisi etiam totum Ciceronem exprimeret, rem illam publicam simularet, et curam imperii, quo totus orbis continebatur: privatus ipse et in angulum studiosi secessus abditus: in quo tam erat ridiculus, quam si gigantis vestitum induisset, et verba ac pronunciationem gigantis effingeret, ut gigas crederetur.*

Scripta eius duplicis sunt generis. Nonnulla confecit adolescens adhuc, quum quosvis Latinæ linguæ auctores sine delectu legeret atque imitaretur, hincque in conscribendis illis de stili elegantia atque æquali forma haud sollicitus fuit, cuiusmodi sunt oratio de *laudibus Plinii* et alia de *laudibus Gallorum: comparatio iuris civilis cum re militari: commentarii in ius civile: historia herbarum: commentarii in lib. XI. Plinii.* Alia vero composuit Ciceroni imitando addictus ac Tullianarum vocum nimio ac servili studio occupatus, qua ratione ab eo scriptæ sunt orationes duæ et aliquot epistolæ. Quæ prius verbis undique accersitis scripta ediderat opuscula, ut penitus abolerent, ab amicis suis moriturus petiit, ut penitus abolerent. Adde *Caspar. Sagittarium de imitatione Ciceronis p. 52. Jo. Burchard. Menckenium* in dissertat. de *viris militia aeque ac scriptis illustribus p. 49. Jacob Burch. de latinae linguae in Germania fatis p. 463.*(*Walch. l.*

l. p. 624 sqq.) Addas ***Baylii*** diction. s. v. ***Eberti*** lexic. bibliogr. Lips. 1821—31. 4. II. voll. ***J. P. Krebsii*** præceptoris quondam dilectissimi semperque diligendi librum utilissimum, quem inscripsit: ***Handbuch der philol. Bücherkunde.*** Brem. 1822. II. Voll. 8.

D.

BREVIS NARRATIO
DE VITA
PETRI BEMBI.

Bembo (Pierre) cardinal, gentilhomme de Venise, fils de *Bernard Bembo* et d'*Hélène Marcella*, nâquit en 1470. Sa famille a produit de grands hommes, qui ont tous rendu de bons services à la République. *François Bembo*, évêque de *Venise* en 1401, et mort en 1417. *François* et *Marc Bembo*, ses oncles, excellens capitaines et divers autres, ont mérité des éloges pompeux du Sénat. *Bernard Bembo*, père du cardinal, fut gouverneur de *Ravenne*, et employé dans les négociations et les ambassades importantes. En 1481 il reçût ordre de la République de mener du secours au Pape *Sexte IV.*, pressé par les troupes d'*Alphonse d'Arragon*. Depuis ayant été envoyé ambassadeur à *Florence*, il y fit venir avec lui Pierre Bembo son fils, qui s'y forma dans cette délicatesse de style et dans cette pureté de la langue toscane, qu'on admire dans ses ouvrages. Mais n'étant pas satisfait d'apprendre la langue toscane et la latine, dont il connaissait toutes les beautés, il voulut encore savoir la langue grecque, qu'il fut étudier en *Sicile* sous *Constantin Lascaris*. A peine était-il de retour à Venise, que son père ayant été envoyé à *Ferrare*, Pierre l'y suivit et il fit son cours de philosophie sous *Nicolas Léo-*

niceno. Il réussissait si bien dans toutes les choses d'esprit qu'il entreprenait, que tous ceux qui le connaissaient admirèrent le merveilleux effet du penchant qu'il avait pour les lettres. Cependant ses ouvrages faisaient assez de bruit en Italie. Ses poésies y étaient dans une estime générale et Bembo en publia un assez grand nombre, pour pouvoir satisfaire le désir de ceux qui les recherchaient avec beaucoup de passion. On y approuva extrêmement la douceur de son style, quoiqu'on y blamât l'affectation qu'il avait à se servir de certains vieux mots, pour exprimer sa pensée avec plus de pompe et de majesté. Au reste plusieurs de ses poésies étaient non-seulement galantes, mais il y en avait même de licentieuses. Bembo avait une maîtresse, qui lui inspirait des sentimens qui ne sont pas dans l'ordre. Il eut même trois enfans, ***Torquato*** et ***Lucilio Bembo***, et une fille nommée ***Hélène***, mariée à ***Pierre Grandenigo***, gentilhomme Vénitien. Peut-être que cet attachement est la seule chose, qui faisait rejetter à Bembo les sollicitations très-pressantes que ses parens lui faisaient continuellement de se marier et d'accepter les emplois qu'on lui offrait dans la République. J'ai pourtant plus inclination à me persuader que ce fut l'amour, qu'il avait pour les lettres, qui le rendit si peu complaisant pour les prières de sa famille. Et en effet il était continuellement dans son cabinet, et ne s'occupait plus qu'à composer et à lire. Mais le Pape ***Léon X.*** ayant été élevé au Pontificat en 1513, le tira de sa solitude et l'ayant choisi pour être son Secrétaire, il se vit exposé malgré lui dans cet embarras de grandes affaires, pour lesquelles il avait tant temoigné d'aversion. Comme il agissait par honneur, sa grande assiduité dans le travail et ses veilles continuelles le jettèrent dans des maladies fâcheuses, dont il ne se tira qu'avec peine. On l'obligea d'aller changer d'air à ***Padoue***, où il était en 1521, lorsqu'il reçut les nouvelles de la mort du Pape. Après cela Bembo se retira à Venise où il vivait agréablement, parmi les livres et les gens de lettres, jusqu'à-ce que le Pape ***Paul III.*** le créa

Cardinal en 1539. Cette promotion, à laquelle il ne s'attendait point, le surprit si fort, qu'il fut sur le point de remercier le Pape de l'honneur qu'il lui voulait faire. On dit même qu'il ne serait jamais résolu à l'accepter, si entrant le lendemain au matin dans une église, pour y faire ses dévotions et recommander cette affaire à Dieu, il n'eut pris garde qu'au moment qu'il s'approchait de l'autel, le prêtre y lisait ces paroles de ***Jésus-Christ*** à Saint-Pierre: ***Pierre suivez-moi.*** Il crût que le fils de Dieu lui parlait à lui-même, et il ne s'opposa plus au dessein qu'on avait de l'élever à une dignité, qu'il n'avait point recherchée. Bembo n'était point lié aux ordres sacrés, quoiqu'on en ait voulu dire, car écrivant à un de ses parens une lettre dâtée du 24. Décembre 1539: »je serai sacré, lui dit-il, à ces Fêtes de Noël et prendrai l'ordre de prêtrise, ensuite je m'instruirai à célébrer la Messe. Admirez le changement que Dieu a eu la bonté de faire en moi.« Le Pape lui donna l'Evêché d'***Eugubio*** et puis celui de ***Bergame.*** Il ne négligea rien, pour bien remplir tous les devoirs d'un bon pasteur, et il mourut en 1547 dans la 68ème année de son âge, pour s'être blessé au côté contre une muraille étant à cheval. Il fût enterré dans le chœur de l'église de la Minerve, où Torquato Bembo son fils lui fit dresser l'épitaphe qu'on y voit ***Jérôme Quirini,*** qui avait rendu à Bembo, pendant sa vie, tous les devoirs que sa qualité et leur amitié exigeait de lui prit le soin après sa mort, de lui faire dresser à ***Padoue*** dans la célébre église de ***Saint-Antoine*** une statue de marbre, où l'on peut voir tout ce que la sculpture a de plus délicat, de plus rare et de plus exquis. ***Jean de la Casa*** a écrit l'histoire de la vie de ce Cardinal, et il y a fait un dénombrement assez exact de ses ouvrages italiens et latins. Entre ces derniers il y a XVI livres de lettres écrites pour Léon X dans le tems qu'il était son Secrètaire; VI livres d'épîtres familières: un dialogue qui contient la vie de ***Gui Ubaldo de Montefeltro,*** Duc ***d'Urbain;*** diverses harangues; l'histoire de ***Venise*** en XII livres etc. Ces ouvrages et surtout le dernier, sont écrits

avec une latinité assez pure, mais dans une médiocrité de génie. *Jules-César Scaliger, Ambrosio Personna, Augustine Beatianus* et divers autres consacrèrent des éloges funèbres à la mémoire de Bembo. **Jean de la Casa, in vita Bembi. De Thou, Hist. lib. 3. La Roche-Pozai, Nomenclat. Cardin. Sponde in Ann. Auberi, Hist. des Card. Imperialis, in Mus. Histor. Ughel, Ital. sacra. Bosio, Onuphre, Cabrera, Tipotius etc. (Morery).* — »*Pater tuus, Torquate, Petrus Bembus, quem orbis terrarum cantat: nec iniuria: vicit enim, quantus ei vitae cursus fuit, in virtute totus: is quum alias coluit philosophiae partes, tuum vero poeticam artem amavit amore quodam ardentissimo: cuiusque studium a prima pueritia complexus, numquam ne in extrema quidem senectute, dimisit. Scripsit autem versus in omni aetate multos et scripsit omnium elegantissime, sic, ut ei Apollo dictasse videatur. Itaque recte fecit optimoque sane consilio pater meus, qui Latinorum poetarum principem Virgilium eius nomini, quem optimum poetam noverat, inscriptum emiserit. Recte item ego, qui, patris mei exemplum secutus, tibi et tanti viri filio multis virtutibus ornato, et facultatis poeticae studiosissimo ac peritissimo, eundem poetam, quasi munus Bembae familiae debitum, dicaverim etc.*« *(P. Manutii praef. ad Torq. Bembum Petri filium in Virgilium.)*

»*Romae sub id (1547) obierunt Petrus Bembus patricius Venetus et Jacobus Sadoletus Mutinensis Carpentoracti episcopus, uterque versu et pedestri oratione politissimus scriptor: verum illius multa licentiosus, ut temporum nequitia et domini, cui serviebat, mores ferebant, scripta exstant, huius contra seria fere omnia et digna persona, quam sustinebat. Utriusque in dispari morum instituto fortuna tamen par fuit, nam et ambo simul a Leone X., ut primum summum sacerdotium inivit, ex omni doctorum numero delecti, quorum in conscribendis epistolis opera et ingenio uteretur: dein et in collegium cardinalium eodem anno a Paullo III. allecti sunt, sub*

quo et fatis concessere, Bembus ex vulnere in latere ad parietem accepto, dum equo veheretur, anno aetatis LXXVII; Sadoletus sub auctumni tempus, Bembo circiter septennio minor atque illi quidem Hier. Quirinus Jsmerii F., qui omni officio vivum coluerat, statua nobili artificio ex marmore facta, inque celeberrima S. Antonii aede Patavii locata, parentavit, hunc Jo. Petrus Carafa Sabinorum episcopus, quo die primum post eius obitum senatus habitus est, coram Pontifice et mox Jac. Gallus civis Romanus in Laurentii aede luculenta oratione laudavere: sepultus est sine ulla funeris pompa — ita enim testamento praescripserat — in aede B. Petro in Exquiliis sacra. « — (*Thuani Hist. Lib. III, p. 66. edit. Francof.*)

Petrus Bembus, qui tanto studio atque amore prosequutus est Ciceronem, ut religioni sibi duxerit, scribendo; aut dicendo aliud vecabulum, nisi fuerit Tullianum, adhibere. Hinc dictus est simia Ciceronis: hinc, quod ipse expressit, scribendi genus alii laudant; alii reprehendunt, hique imprimis affectatam eius latinitatem in rebus sacris castigant. Jo. Casa, qui vitam eius conscripsit. (*Vita a *Casa* conscripta sæpius edita est, tam cum scriptis *Bembi*, quam ab aliis, v. c. in *Batesii vitis sel. virorum*, et cum *Apostoli Zeni observat.* præfixa est *Collectioni Historicorum Venetorum*, Venet. 1718. 4 T. II. qui Tomus continet *Bembi historias Venetas*, ubi etiam legitur. *Vita Bembi* italice a *Ludov. Beccatelli* scripta cum copioso syllabo auctorum, ex quorum scriptis plura excerpi queant ad texendam copiosiorem *Bembi* historiam.) *honorifice de studiis, quibus romanam linguam ac Ciceronis eloquentiam complexus est, sentit eumque laudat, quod ad verum sermonis romani genium aliquid scribere coeperit, quodve Ciceronianum quid stilo expresserit. Sed tamen alii iique plures in eo et nimium imitandi studium et profanum atque iniquum animum erga divinas ac sacras litteras merito notant:* «

Justus Lipsius centur. II. epist. 57. p. 177. ita de

stilo eius iudicat: stilus est, quem reprehendo, supinus, languidus et affectata imitatiuncula fractus. Ut pueri pedes per delicias male ponunt et imitari discunt: sic iste, quum recte scribere posset, maluit pravo elegantiae studio flectere orationem et enervare.

Julius Caesar Scaliger latinitate eius ita offensus fuit ut lib. VI. *de re poetica* dicat: *Bembus nervis fere semper destituitur. Quum dominum Jesum heroa vocat, valde me commovit. Sane vox impia et utroque indigna.*

Thom. Lansius in oratione contra Italiam p. 782. Petrus Bembus, inquit, in illa puerili erat haeresi, ut religio ipsi esset scribere aut dicere aliud quam a Cicerone scriptum aut dictum.

Et postquam ipsi exprobrat, quod per affectatam latinitatem Venetorum senatum dixerit *patres conscriptos:* duces et ducatus *reges et regna:* reges Persarum et Turcarum *reges Armeniae et Thracum:* fidem *persuasionem:* excommunicationem *aqua et igni interdictionem:* peccata morituro remittere *deos superos manesque placare,* addit: *et advertite, auditores, inepti hominis impietatem cum pari stultitia coniunctam. Is siquidem epistolas omnes Paulli palam condemnavit, easque deflexo in contumeliam vocabulo epistolaccias est ausus appellare;* quum amico auctor esset, ne illas attingeret; vel si cœpisset legere, de manibus abiiceret, si elegantiam scribendi et eloquentiam adamaret. Atque ut ceteram carminum eius obscænitatem taceam: quid eius epistolis ineptius, et quidem illis, quas pontificis maximi nomine et de rebus maximis scripsit, et ad viros maximos?

Addimus testimonium viri, quum viveret harum literarum peritissimi, *Jo. Andr. Bosii,* qui de *prudentia et eloquentia civili comparanda p. 16* observat, Bembum stilum et elegantiam Ciceronianam nimis ubique affectasse: quo factum sit, ut sæpe obscurus interdum et frigidus deprehendatur. Quid? quod *Jo. Ludov. Praschius* existimat, per nimiam imitationem Ciceronis Bembum ita formasse orationem suam, ut vere videatur barbara ac nitore atque elegantia ca-

reat, quando in *roseto stili* p. 33 dicit: *ne P. Bembi stilum, eum maxime, quo Leonis X. pontificis epistolas exaravit, indecore prorsus Ciceronis aemulum, a me laudari putes, nam hoc ipso, quod assimulat Ciceronem, parum abest, hodie quin barbarus videatur, h. e. inelegans et incivilis.*

Id quod quamvis haud affirmare velimus, Bembum in stilo videri barbarum; id tamen minus negandum est, quod studium eius imitandi Ciceronem atque imaginem Tullianæ eloquentiæ exprimendi nimium; immo ineptum fuerit, quo licet id consecutus sit ut omnia Ciceronianis vocabulis ac loquendi formulis dixerit; minus tamen gravitatem, maiestatem, splendorem, suavitatem aliasque virtutes, quæ Ciceronis stilum exornant, potuit assequi. Ingenii fetus, quos Bembus exclusit ad incrementum rei literariæ promovendum varii sunt ex quibus præ ceteris commendantur *historia Veneta libr. XII. epistolar. Leonis X. nomine scriptarum lib. XVI. epistol. familiarium lib. VI. de imitatione sermonis:* (libros de *imitatione* inservit etiam *Frid. Andr. Hallbauer Collectioni opusculorum de imitatione oratoria, Jenae 1726. 8.* elenchum autem omnium *Bembi operum eorumque editionum* legimus præfixum Tomo II. laudatæ *collectioni historicorum Venetorum;* conferri potest *Nicéron* in *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres dans la république des lettres.* T. XI. p. 358. edit. Paris.) Adde de eo *Dan. Georg. Morhofium* in *polyhist. litter.* lib. I. cap. 23. §. 38. *Caspar. Sagittarium de imitatione Ciceronis p. 54. Paullum Manutium praefatione in Virgilium ad Torquatum Bembum Petri filium, p. 566 epistolar. Jo. Sturmium epistolar.* p. 17. edit. per doctissimum *Ackerum: Petrum Baelium in lexico histor. critic.* voce *Bembus: Jo. Christoph. Wolfium in notis ad Casauboniana p. 245.* et *Vincentium Paravicinum in singular. de viris claris* centur II. p. 74. Ex *Walchii* hist. p. 620 sqq. cf. etiam p. 741 sqq. (addas quos supra laudavimus *Ebertum, J. P. Krebsium,* alios; *Conversationslex.* von *Brockhaus* Bd. I. unt. d. Nam. *Bembo*) — »*Pierre Bembo* fût

un des hommes remarquables de ce siècle. Né à Venise (1470—1547) il devint l'historiographe de cette république et le favori des Papes *Léon X*, *Clément VII* et de *Paul III*, qui lui donna le chapeau de Cardinal. Comblé de richesses et d'honneurs, il jouit d'une double gloire, et comme historien et comme poète.

Les meilleurs ouvrages de Bembo sont l'*Histoire de Venise*, en douze livres; *Lettres* et *entretiens* sur la langue italienne; *Gli Asolani*, contes entremêlés de vers, qui le rapprochent de Boccace; *Il Canzoniere*, recueil de poésies, où il imite *Pétrarque*, etc. Le style dans tous ses ouvrages est correcte, harmonieux et éloquent: (Nous ferons observer, en passant, que tandis que *Boscan* et *Garcilaso* introduisaient en Espagne le goût et le rhythme de la poésie italienne, Bembo, de son côté, faisait connaître en Italie ceux de la poésie castillane, et c'est en suivant son exemple que les Italiens adoptèrent la *redondilla*, le *dizain* et autres strophes et rhythmes espagnoles.« *Coup d'oeil sur la littérature italienne par M. Bocous*, membre de l'académie *des Arcades de Rome*, p. XXXIV dans *Leçons Italiennes* par *Noël*. Par 1824. *Poésie.* — »Dopo il secolo dell' erudizione, come chiamar si deve il decimo quinto, venne alfin quello della eleganza, la qual giunse in tanta perfezione in ogni arte, che gli diè nome del secolo d'oro Italiano. Giunse questa luce col Bembo, quasi volesse Venezia, siccome nel resto, così nelle lettere ancora andar del pari colla Toscana. A lui devono la poesia, come la lingua nostra il lor pregio più bello, avendo egli aperto il secolo nuovo d'Augusto, emulato Virgilio e Cicerone, risuscitato Petrarca e Boccaccio nell' eleganza e purità del suo scrivere, senza cui non si scrive all' immortalità. Ei fu accusato di troppo rigida imitazione di que' maestri ed a ragione: ma giovò quel difetto, se non alla sua gloria, certo all' Italia, che di gran rigore avea bisogno contro la gran licenza. Coll' esempio diede il precetto, e fu il primo a prescrivere giuste leggi alla lingua In greco, in latino ed in volgare, in prosa, in

versi, in dialoghi, ed in istoria, in ogni stile fu elegantissimo, onde potè sparger gran giorno a risvegliare dal sonno tutta l'Italia, ed a destar dopo sè quello stuolo di chiari scrittori, da' quali il secolo tutto venne illustrato.

Per lui s'apre dunque il secol d'oro Italiano, e la poesia prese nel 1500 nuove forme e bellezze sue proprie. E quì non posso frenarmi all' ingresso di quell' età, e col Bembo davanti agli occhi, dall' invidiare la sorte di lui, trasportandomi seco a godere le delizie delle arti e delle lettere, de' Mecenati e degli ingegni, degli spettacoli e della urbanità degna di Roma ed Atene. Con lui ancor giovannetto mi trovo alle corse, alle cene, alle feste famose di que' magnifici veramente Lorenzo, Pietro, Giuliano de' Medici, e v'ascolto il Poliziano, il Ficino, il Pico, ed i più dotti uomini di quell' età. Tornato a Venezia pien dell' idee più pure del vero gusto, e dell' ottime lingue Latina e Toscana, scorrer lo veggio tutti gli studj sotto la disciplina de' più eccellenti maestri in Padova ed in Venezia, da' quali dipartesi per udire il più eccellente nel greco idioma, e va perciò sino in Sicilia a cercare di Costantino Lascario, che in Messinà la cattedra ne teneva con fama grandissima. Ciò fu a venti due anni d'età, ed ai ventotto eccolo ad una corte ricchissima di letteratura, e presso al Duca Alfonso di Ferrara, ed a Lucrezia sua moglie, ove assiste alle commedie dell' Ariosto, legge l'Orlando, e le Satire e le rime di quel divino poeta, ed ove scrive que' celebri Asolani. Intanto i primi ingegni d'Italia son tratti alla corte d'Urbino dal favore del Duca Guidobaldo e di Lisabetta Gonzaga. Ivi si trova col Castiglione, co' due Fregosi, con Cesare Gonzaga ed il Bibiena, ed il Canossa, e molt' altri dottissimi e coltissimi letterati, de' quali era l'esempio più illustre. Jo sono a Roma infin con lui, e nella corte di Leon X, nuovo Augusto, che lo unisce col Sadoleto, amicissimo e degno d'esserlo per ogni pregio nell' impiego di segretario: quai prodigi dell' arti tutte, quali delizie dell' anima e dell' ingegno in una tal corte, in una tal Roma non veggo?

Tutto giorno mi trovo nelle loggie del Vaticano col divin Rafaello, con Michelangelo, col Bradamante, con Giulio Romano e con gli altri pittori, scultori, architetti immortali, ciascun de' quali potrebbe ornare un secolo intero. Al teatro si rappresentano le prime e sì famose tragedie e commedie, la Sofonisba del Trissino, la Calandra del Bibiena, e col Papa passando a Firenze vi vede rappresentata la Rosmonda nel giardino del Rucellai. La sua sola abitazione è un palagio nobilissimo con deliziosa vigna, e di pitture e scolture ornato, che l'amico suo della Casa Nunzio in Venezia gli ha concesso a godere.

Morto Leone, torna egli privato in patria a curare la sanità dalle fatiche e dagli studj infievolita e fissa a Padova sua dimora tra i più chiari spiriti delle età, e professori ed autori, conversando, o qual oracolo dando loro i bei lumi acquistati : i Barbari, i Giustiniani, i Quirini, i Navageri, co' Sabellici, co' Manuzi, cogli Erasmi, benchè stranieri, poichè ivi ed a Roma concorrevano a gaza i dotti d'ogni nazione. Ei viaggia quà e là per quel felice stato. Vicenza, Verona, Brescia, e Bergamo gli fanno venire incontro i Trissini, i Fracastori, ed i Panvini, e Bonfadi, e Zanchi, e Barrizi, e Martinenghi, e come in Toscana ed altrove avea trattati i Nardi, i Macchiavelli, i Guicciardini, i Varchi, e per tutto il favor lo seguiva più lusinghiero delle donne più illustri di quell' età; felice età per questo ancora, che le lettere più gentili accoppiavansi colla bellezza e colle grazie, e tutte insieme guidavano all' immortalità le Vittorie Colonna, le Veroniche Gambara, le Gonzaghe, le Aragone, l'Estensi, e con lor Caterina Cornaro Regina di Cipri, che nel bel Asolo tenea tre corti ad un tempo, quella delle Muse, quella d'Amore, e quella della magnificenza e dignità reale, e di tutte tre il Bembo era l'anima e l'ornamento.

In fine la porpora venne a fregiarlo, e ad esser ne ancor più fregiata, al sessantesimo ottavo dell' età sua prescelto da Paolo III nella più celebre promozione, che fosse mai degli uomini meritevoli veramente di ricompensa e d'o-

nore per mano della giustizia, non della fortuna. Allor più che mai, dopo esserne stato il modello, divenne egli l'amico ed il Mecenate delle lettere e degl' ingegni preclari, co' quali vivea più volontieri senza avvilirli quai cortigiani ed adulatori; ma nobilitandoli in vece della sua liberalità di mano e d'animo, all' amicizia de' grandi per raro caso elevandoli e per più raro caso ancor pubblicando la sua amicizia ne' più celebri monumenti, che ancor leggiamo, o su le lor tombe, o nell' opere sue, monumenti non so perchè più gloriosi, se pel suo cuore fedele ed amico, o pel nome de' Castiglioni, de' Sannazari, de' Rafaelli, de Tolomei, de' Longolj, de' Beroaldi, de' Poliziani e degli Strozzi, co' quali poi nell' età di 76 passò a godere de' miglior premj d'eternità con tali e tante virtù meritati in una vita si lunga, e si benemerita d'ogni ingegno e della umanità. Per la qual vita non ho io diritto d'invidiarlo, e di sentir mi per estro ed impeto del mio cuore trasportare con lui a quel secolo fortunato? (*X. Bettinelli. Sopra le principali Epoche dell' amena Letteratura Italiana.*)

C.

BREVIS NARRATIO
DE VITA
JACOBI SADOLETI.

Sadolet (*Jacques*) Cardinal, Evêque de *Carpentras*, nâquit à *Modène* l'an 1478. *Jean Sadolet* son père, un des grands jurisconsultes de son temps, l'éleva à Ferrare, où il était Professeur en droit, et où il voulût lui-même avoir le plaisir de cultiver son esprit. Ce soin ne fut pas inutile, et ce fils avait tant d'inclination pour l'étude, qu'il apprit en peu de temps les langues grecques et latines, et fit de merveilleux progrès en philosophie sous *Nicolas Zeonicène*. Après cela il fit un voyage à Rome et entra chez le Cardinal *Olivier Caraffa*, qui aimait les gens de lettres. En cette ville il fit amitié avec *Fréderic Fregose*, Evêque de *Salerne*, et avec *Pierre Bembe*, depuis Cardinal, deux esprits polis et de la force du sien. Quelque temps après le Pape Léon X ayant ouï louer son mérite, le voulut connaître et le choisit pour être son Secrètaire. Aussi il s'acquitta si bien de cet emploi, qu'il n'y avait personne en ce temps, qui écrivit avec plus de délicatesse et de facilité. Il était docte de toutes les façons, Théologien, Orateur, Philosophe, Poète. Cependant dans le poste où il était, on le vit sans ambition et sans vanité; et même le Pape lui ayant conféré l'Evêché

38

de Carpentras, dans le Comtat d'Avignon, durant un voyage qu'il avait fait à Lorette, pour y rendre un vœu, il eut besoin d'un commandement exprès de Sa Sainteté, pour se résoudre à l'accepter. Après la mort de Léon X. il se retira en son Evêché; puis *Clément VII.* ayant succédé à *Adrien VI*, l'obligea de revenir à Rome, et ce Prélat obéït, mais à condition qu'après trois années d'absence il retournerait à l'église. Et en effet, il y revint et passa à Lyon, pour y voir le Roi *François Ier* qui lui témoigna une estime très-particulière. L'an 1534, *Paul III*, élu après *Clément VII*, voulut avoir encore *Sadolet* à *Rome*, le mena à *Nice* avec lui; et puis l'envoya *Nonce* en France pour porter le Roi à conclure la paix avec *Charles V.* Il s'acquitta si bien de tous ces emplois, que le Pape, charmé de son mérite, l'éleva à la dignité de Cardinal en 1534. Il assista aussi à la conférence que le même Pontife eut avec l'Empereur à *Parme;* et la paix ayant été concluée, il écrivit une belle oraison de *bono pacis*, et se sentant caduc, il se retira à Rome où il paya le tribut à la nature, l'an 1547, âgé de soixante et dix ans, trois mois et six jours. Il fut enterré dans l'église de Saint-Pierre aux *Liens*, qui était celle de son titre, sans pompe comme il avait ordonné. Le Cardinal *Caraffa* fit sa harangue funêbre devant le Pape, et ensuite *Jacques Gallo* en fit une autre dans l'église de *Saint Laurent.* L'un et l'autre relevèrent par leur éloquence le mérite du Cardinal *Sadolet.* Les ouvrages que nous avons de lui, sont seize livres d'épîtres, diverses oraisons, plusieurs poèmes, une interprétation sur les Psaumes et sur les Epîtres de S. Paul: De *Philosophica consolatione et meditatione in adversis: De liberis recte instituendis: De Philosophiae laudibus, etc.* *Antoine Florebeau* a écrit sa vie. Le Cardinal *Bembe*, *Paul Jove*, *César Capaci*, *Filiucius*, *Sigonius*, *De Thou*, *Sandère*, *Garimbert*, *Sponde*, *St. Marthe*, *Imperialis* et divers autres parlent de lui avec éloge. (*Morery* voce Sadolet.)

Jacobus Sadoletus, qui a Leone X. pontifice maximo

Carpentoratensi episcopatui in Gallia præfectus et sub Clemente VII. ad dignitatem purpuratorum ascendit, scripsit plura, *de pueris recte et liberaliter instituendis: de laudibus philosophiae: commentarios in epist. Pauli ad Romanos: lib. XVI. epistolar.* quæ prodierunt quum antea tum Coloniæ Agripp. 1590 (omnia *Sadoleti opera* prodierunt Mogunt. 1607. 8. sed aucta Veronae 1737. 4. T. IV. *Vita* eius per *Ant. Florebellium* scripta præfigitur eius *epistolis* et *operibus*; conf. *Nic. Comneni Padopoli historiam gymnasii Patavini*, Ven. 1726. T. II. c. 16. p. 53. et *Niceron.* T. XXVIII. p. 346.) Cum *Petro Bembo* eandem eamque servilem Ciceronem imitandi iniit rationem, hancque ob causam eandem eruditorum virorum censuram debuit subire. Sed tamen *Erasmus* lib. XXVII. *epistol. 38. commentarios* in epistolam ad Romanos edidit illud eximium huius ætatis decus, *Jacobus Sadoletus*, admirabili sermonis nitore et copia plane Ciceroniana, nec deest affectus episcopo christiano dignus. Fieri non potest, quin tale opus, a tali viro profectum, bonorum omnium suffragiis approbetur; vereor tamen, ne apud complures ipse phraseos nitor nonnihil haberet aculeos ad pietatem. (*Walch.* p. 627.)

ANTONII FLOREBELLI

DE VITA

JACOBI SADOLETI S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS COMMENTARIUS.

Jacobus Sadoletus Mutinæ natus est, loco honesto, et urbe Cisalpinæ Galliæ imprimis nobili. Parens ei Joannes Sadoletus fuit: homo ea vitæ ac morum integritate, eaque iuris civilis ac pontificii scientia, ut iudicari haud facile posset, utrum melior esset, an prudentior. Is quum Ferrariæ, ubi apud Herculem, eius civitatis Ducem, auctoritate et gratia multum valuit, ius civile magnis præmiis, maiore nominis sui celebritate et laude publice doceret, filium suum iis disciplinis ac literis, quibus puerilis imbui ætas solet, diligenter instituendum curavit. Erant tum in ea urbe omnium liberalium artium magistri ae doctores egregii. In his Nicolaus Leonicenus, qui non scientia solum medicæ artis excelluit, sed philosophiam etiam magna cum laude professus est. Eum Jacobus pæne etiam puer Aristotelis libros de moribus publice interpretantem audiit. Tantum enim iam propter admirabilem ingenii vim profecerat, ut qua ætate cæteri laborare in linguis discendis solent, ea Græcas ipse et Latinas literas egregie callens, nobilissimi omnium philosophi præcepta cognosceret. Hunc tali ingenio præditum atque ita institutum, pater amplecti iuris civilis studium voluisset, — plerumque enim hoc fit, ut parentes, quibus ipsi ar-

tibus et studiis dediti fuerint, eisdem liberos suos operam dare cupiant, — sed tamen naturæ eum, et studiis suis obsequi passus est. Etenim egregius adolescens maiorum iam et graviorum artium studio tenebatur: eloquentiæ enim et philosophiæ amore exarserat. Itaque Ciceronem sibi et Aristotelem penitus cognoscendos proposuerat: quorum ex altero philosophorum omnium principe, rerum cognitionem, ex altero Latinæ eloquentiæ parente, orationis elegantiam et copiam hauriret. Nec vero non poetices etiam studiosus fuit: in qua quidem quantum excellere potuerit, si ei se studio penitus dedere voluisset, complura, quæ ab eo adolescente facta sunt poemata, declarant: Itaque illud in primis, quod *Curtius* inscribitur: ex quo intelligi licet, gravem eum, et grandiloquum, ut ita dicam, poetam evasurum fuisse. Is quum ætate iam aliquantum processisset, et ipsam ætatem virtute ac doctrina longe anteiret, patris voluntate Romam se contulit, Alexandro sexto Pontifice maximo, Amplissimi tum Romanæ ecclesiæ ordinis virtute atque existimatione princeps et erat, et omnium iudicio habebatur, Oliverius Carafa Neapolitanus: ab eo cupidissime statim in fidem et contubernium receptus est: atque hoc primum prudentiæ specimen ea in urbe dedit, quod ad eum se potissimum contulit, non qui opibus et divitiis maxime præstaret — multi enim Romæ tum ditiores opulentioresque eius ordinis viri erant, quorum illi omnium domus patuissent — sed qui integritate, qui prudentia, qui religione cæteris antecelleret. In eius castissima domo multos annos ita vixit, ut et ad optimarum artium studia assidue incumberet, et quum reliquis omnibus, tum illi gravissimo viro probatissimus esset: a quo etiam honesto in urbe Roma sacerdotio ornatus est. Erat autem in eo iuvene præter excellens ingenium, incredibilis quidam pudor, ac singularis modestia: quæ non modo in eius sermone exstabat, sed vultu etiam ipso, et oculis eminebat. Commendabat eum præterea omnibus iis, qui illum nossent, gravitas quædam, maior, quam quæ ab illa ætate postulanda esset, eximia humanitate temperata. Referta tum ea Urbs erat

eruditissimis, et in omni doctrinæ ac literarum genere præstantissimis hominibus eos ille omnes celeriter amicitia et consuetudine comprehenderat. Ex quo celebre iam eius nomen et principibus quoque viris, iis præsertim, qui eisdem studiis delectabantur, notum erat: quorum brevi tempore omnium gratiam sibi et benevolentiam conciliavit: in primis autem Federico Fregosio Salernitano Pontifici familiaris fuit, viro quum genere ac nobilitate, tum virtute doctrinaque præstanti: cuius etiam contubernio aliquamdiu post Oliverii Carafæ obitum, una cum Petro Bembo optimo et doctissimo viro usus est. Horum inter se amicitia Romæ postea maxime illustris fuit. Etenim iam inde ab eorum adolescentia instituta, per omnes ætatis atque honorum gradus, usque ad summam senectutem sanctissime conservata est: erat enim virtute et studiorum similitudine, firmissimis animorum vinculis, iuncta et constituta. Iam quantopere Sadoletus eo tempore virtutis et eloquentiæ gloria floreret, ex eo facile iudicari potest, quod Leo Decimus, acerrimo ingenio, et gravissimo iudicio princeps, simulac creatus est Pontifex maximus, eum statim, et Petrum Bembum ex omni doctorum hominum copia delegit, quorum in conscribendis epistolis opera et ingenio uteretur: quod apud Romanos Pontifices munus longe honestissimum est. Is autem eo ita munere functus est, ut non ingenio modo, et scribendi facultate, qua nemo ætate nostra ad illam antiquorum scriptorum laudem propius accedere existimatus est: sed industria etiam et fide principi illi maxime satisfaceret. Itaque apud eum auctoritate et gratia multum valuit, et ea re facillime augere honestatem et facultates suas potuit. Verum usque eo ab hac cupiditate remotus atque abhorrens fuit, ut, quod vix credibile visum iri puto, his præsertim temporibus et moribus, nullum sibi unquam sacerdotium a liberalissimo et sui amantissimo Pontifice petierit: quum tamen amicis suis probis idoneisque hominibus, et alienioribus etiam, permulta et peteret et impetraret. Tanta idem abstinentia fuit, ut quum pro loci eius quem apud principem tenebat, auctori-

tate, munera ei multa et ampla mitti solerent, ea semper repudiarit. Hac ille continentia ita delectabatur, ut plerique pecunia, aut elegantiore veste ac suppellectile delectari solent. Sua porro commoda negligentem aliorum utilitati inservire, eum auctoritatis et gratiæ fructum esse putabat maximum. Quum profectus esset, voti et religionis causa, ad Lauretanæ virginis templum, Carpentoractensis ecclesiæ Pontificatus in Gallia vacavit: cum delatum ultro sibi absenti a a Pontifice Maximo aliquandiu recusavit: quum interea eundem Leo flagitantibus aliis denegasset. Ut rediit, diutius illi eum recusare non licuit. Itaque ut illud magni animi fuerat, tam honestum sacerdotium ultro a Pontifice Maximo delatum a se reiicere: ita hoc moderati et Christiani, vocanti ad eiusmodi munus Deo obtemperare. Hoc ille sacerdotium adeptus, primo quanta maxima potuit absens diligentia, commissam sibi ecclesiam per idoneos homines rexit. Post quum ex hac vita Leo excessisset, statim rebus Romanis relictis, Carpentoracte migravit eo consilio, ut populis fidei suæ creditis boni et diligentis Episcopi officium præstaret: neque principibus amplius, sed Deo uni, et rectissimis suis studiis inserviret. Exceptus est adventus eius maxima lætitia et gratulatione illorum hominum: tantam illis iam absens de se opinionem, exspectationem commoverat: cui tamen exspectationi postea egregie satisfecit. Nam et rebus divinis procurandis, et vitæ innocentia, et admirabili in primis quadam in eos homines caritate, optimi et religiosissimi Episcopi munus obiit. Vixit in ea vitæ quiete ac tranquillitate quoad Hadrianus Pontifex Maximus, qui Leoni successerat, vixit. Creato enim post Hadriani mortem Clemente Septimo Pontifice Max. ab ipso statim evocatus, accersitusque est: quem quum eximie diligeret, multisque et magnis eius officiis obstrictus esset: quin ei pareret, tam amanter et tam acriter evocanti, facere non potuit: neque adeo rectum, neque fas esse existimavit, tam bene merito de se Pontifici, præsertim optimum in Christianam Rempublicam præ se ferenti, operam suam denegare. Itaque etsi invitus fecit, ut ab ecclesia sua disce-

deret, tamen ad eum se contulit: verum ea lege, ut ne plus triennium abesset: utque eo exacto tempore, remigrare sibi Carpentoracte voluntate ipsius liceret. Romam igitur quum venisset, versatus est in intima eius Pontificis amicitia et familiaritate. Nec vero ingenio hominis solum Clemens, sed consilio etiam in administranda repub. usus est. Ad deliberationes, eas quas habebat de maximis et gravissimis rebus, eum una cum aliquot aliis amicis adhibebat, curas illi omnes et cogitationes suas impertiebat: tantum denique eius fidei, tantum prudentiæ tribuebat, ut multa quæ ad Christiani nominis quietem, et ad morum ac disciplinæ publicæ correctionem pertinebant, eius potissimum admonitu et consilio sibi agenda constitueret. Atque utinam is Pontifex ea quæ interdum præclaro quodam animi impetu agere meditabatur, ad exitum perduxisset: profecto quum universa Christiana Respublica meliore loco esset: tum ipsa Italia, atque urbs Roma, eas quibus postea afflicta oppressaque est calamitas effugisset. Non enim in eo Pontifice rectum in Republica sensum requisivisses: constantiam potius, et perseverantiam maiorem in bonis consiliis desiderasses. Itaque quum salutaribus Sadoleti consiliis sæpe usurus esse videretur, flectebatur postea aliorum quorundam, qui longe plurimum apud eum poterant, oratione. Intimus erat Pontifici illi Maximo Sadoletus: amplificandæ fortunæ ac dignitatis suæ facillimam rationem in manibus habebat: colebatur præterea, et magno honore afficiebatur ab omnibus pro sua tamen in Rempublicam voluntate, nullam commodorum suorum rationem ducens, ex ea temporum ac rerum perturbatione, maximo animi dolore assidue tangebatur: qui quidem extremum, quum rem in eum locum adductam intelligeret, ut nihil bene monendo et suadendo proficere amplius posset: statuit, quando Reipub. prodesse iam nihil posset, suæ saltem ecclesiæ prospicere atque consulere. Itaque quum operam suam triennium iam Clementi summa cum fide et integritate navasset: etsi nonnulla concordi et compositionis spes inter eum Pontificem, et Carolum Imperatorem

allata erat, iamque inter eos induciæ pactæ fuerant: tamen in sententia permansit. Nec vero non movebatur animo, quum ab eo Pontifice esset discessurus, quem quum ob eximiam quandam eius humanitatem, tum perpetuam erga se benevolentiam mirifice amabat. Sed quum cogitaret quanto ecclesiæ suæ officii ac necessitudinis vinculo obstrictus esset, quumque Carpentoractensis populi desiderium ferre diutius non posset, longiorisque in urbe Roma commorationis causam ambitionem iam potius, quam officium visum iri suspicaretur, omnino sibi abeundum esse statuebat: cuius iustæ voluntati, ac precibus, ad extremum Clemens cedere coactus est. Comprobavit eius consilium is profecto qui intimos hominum sensus perspicit, neque unquam non rectis bonorum voluntatibus favet, Deus. Etenim tam opportuno tempore discessit, ut vix dies viginti ab eius discessu intercesserint, quum urbs Roma, decepto a Caroli Ducibus per inducias Clemente, absente ipso ignaroque, ut opinio fuit, Carolo, capta atque direpta est: ut is singulari Dei erga se beneficio horribili illi cladi substractus fuisse videatur. Tum vero, quamquam sero, intellectum est, quam et prudenter sentire Sadoletus, et fideliter monere solitus fuisset. Ille enim et initio dissuasor belli adversus Carolum, et postea deponendorum armorum assiduus hortator, pacisque quibusvis conditionibus accipiendæ auctor semper exstiterat. Qui quidem quum sæpe alias, tum eo tempore, quo Christianis Principibus intestino bello implicatis, bellum a Turcarum Rege Pannoniæ illatum est, quum regnum illud, quod Christianæ Reip. firmissimum ad eam diem propugnaculum fuerat, maximo in discrimine versaretur: honestissime ab ipso Pontifice maximo pacis mentionem fieri, et de deponendis ac potius abiiciendis armis agi posse censuit: idque eum admonere non destitit. Sed nimirum Deus nobis ob peccata nostra iratus atque infensus, quum illa urbi Romæ ac sacerdotum ordini infligenda plaga, nos ut resipisceremus, admonere statuisset: eam illi Pontifici mentem minime dedit: ut tam honestam consti-

tuendæ concordiæ occasionem arriperet. Clade hac cognita, Sadoletus eum quem par erat, dolorem cepit, quum urbis longe omnium nobilissimæ, direptione et vastitate vehementer doluit, tum varii et graves multorum clarorum virorum, ac sibi amicissimorum hominum casus, quos tempestas illa oppresserat, in primisque ipsius Pontificis Maximi calamitas magnum illi mærorem attulit. Non tamen angoribus sese dedidit: sed quum Pontifici Maximo, ac multis præterea amicis tali eorum tempore literas amicissime et prudentissime scriptas misisset: tum ipse doloris sui levamentum a Deo, et ab iis studiis, iisque actionibus, quæ quum Deo in primis gratis, tum etiam animis salutares sunt, petivit: ad sacrarum enim literarum studia toto tum, ut aiunt, pectore incubuit: quæ post aliarum literarum et artium cognitionem a se vehementer culta temporibus quibusdam propter occupationes remiserat. Nec vero legendo solum, sed commentando etiam et scribendo, tum sibi, tum aliis prodesse conatus est. Nam quum religionem videret seditiosorum quorundam hominum impietate magnopere ubique perturbatum: tuendæ eius studio incensus, Divi Pauli ad Romanos epistolam maxima religionis nostræ mysteria continentem, et obscurissimis quæstionibus refertam, tribus libris non minus pie, quam ornate et dilucide explicavit. Commissis vero sibi populis ita præfuit, ut nullum in eos fortis et diligentis episcopi munus prætermiserit: quos quidem quanti faceret, nulla re potuit apertius declarare, quam quod eorum causa, amplissimi et potentissimi viri simultatem, — qui eo tempore legatus, Avenionem, et finitima illi urbi oppida, quæ in fide ecclesiæ Romanæ sunt, regebat homo in iniuriis perferendis quæ ipsi fierent, incredibili lenitate, ac nimia prope patientia, suscipere veritus non est. Multas enim ecclesiæ suæ iniurias inferri, multa tum a legato, tum ab eius magistratibus ac ministris inique decerni atque agi, pro munere ac pro persona quam sustinebat, minime sibi ferendum existimavit. Ac primo quidem illum ab eis institutis, hortando et amice sæpius monendo, deterrere co-

natus est: sed quum nihil hac ratione proficeret, quumque eius, quanquam absentis, Romæ magna apud Clementem Pontif. Max. esset auctoritas, brevi tempore perfecit, ut legatus sese colligeret, et eos quibus præerat populos, magna in posterum æquitate et diligentia regeret. Qua in re Sadoleti officium ac pietatem potius adeo is aliquanto post amavit, ut non modo cum eo in gratiam redierit, sed ex eo tempore illum et vereri maxime, et patrem etiam appellare solitus fuerit. Recreatis hac eius actione Carpentoractensibus et reliquis illis populis, altera ab eo actio non minus pia nec minus illis grata ac salutaris suscepta est. Maxima iam diu Hebræorum multitudo apud eos consederat: ii Christianos homines imperitos et incallidos circumvenire, et quibus pecunias credidissent, eos fœnoris gravitate, et renovandis multiplicandisque usuris, ad extremum fortunis omnibus evertere solebant. Eorum quoque avaritiam et fraudes, suscepta miserorum populorum causa, eaque diligenter apud Pontif. Max. et magistratus urbanos per literas et procuratores acta, magna ex parte repressit tandem ac coercuit. Quin etiam orationem in eos pro Christianis composuit, et eam quidem omnium, quæ ab eo scriptæ sunt, disertissimam. Alia præterea multa variis temporibus in Carpentoractenses et rem eorum publicam officia contulit: quibus plane declaravit, numquam unum cuiquam cariorem fuisse, quam ipsi fuerit universa eius ecclesia. Usu sæpissime venit, ut illi aut Pontifici Maximo, aut Gallorum Regi, aut iis qui plurimum apud eos poterant, commendandi fuerint: non dici potest: quo animi studio, ac potius qua sollicitudine id egerit, prorsus ut multo vehementius, quam si ipsius ageretur res laborare eorum causa videretur. Eorum liberi parum idoneis antea doctoribus usi fuerant: hoc quoque ad officium suum pertinere existimans, ut illi optimis et moribus et disciplinis imbuerentur: curavit, ut doctores semper egregii ad eos instituendos conducerentur, quibus ipse quo diligentius officio fungerentur, præter eam mercedem quæ eis publice dabatur, non exiguam

pecuniam contulit. In eo vero longe maximam curam ac diligentiam adhibuit: ut tam turbulentis temporibus, ecclesiam suam in fide, et recta erga Deum religione contineret. Itaque si quos in errrorem impulsos, a recto itinere declinasse cognoverat, paternis eos admonitionibus in viam reducere studebat. Si cuiuspiam concionatoris fides et disciplina illi suspecta erat, is ne quem aut publicis concionibus, aut privatis disputationibus corrumpere posset, providebat: denique eiusmodi concionandi munus illis mandabat, quorum pietas explorata ipsi esset et cognita: quos ipsos etiam attente audiebat. Non continebat tamen illos homines in officio tantopere hæc eius diligentia, quam ipsius innocentia, liberalitas, continentia. Non modo enim neminem ulla umquam affecit iniuria: sed multorum ipse iniurias ita pertulit, ut eos patientia et lenitate sua ad extremum sibi amicissimos reddiderit. Duriore annona magnum hominum egentium numerum alebat. Patebat eius domus semper honestis illius præfecturæ ac vicinitatis hominibus. In alios præterea honestos ac pios sumptus, vectigalia sua sic solebat impendere, ut vertente anno par ratio esset accepti et impensi: neque enim quicquam tantopere detestari solitus erat, quam in sacerdotibus studium cogendæ et coacervandæ pecuniæ. Erant ei omnino modica vel exigua potius vectigalia: sed frugalitate et temperantia in victu cultuque domestico, assequebatur, ut eius liberalitati sufficerent. Hoc eius vitæ genere, hisque officiis fiebat, ut illi eum populi incredibili pietate et cultu prosequerentur, ac summam, uti parenti, fidem rerum suarum omnium haberent. Delecti quidem, hoc communis eorum consilii nomen est, ad eum de rebus omnibus publicis referre, eius sententiam imprimis sciscitari, et exquirere solebant: eius denique unius monitis et consiliis nitebantur. Nec vero illis modo populis tantopere carus et probatus erat, sed omni fere Gallia magnum eius erat nomen, magna virtutis et integritatis opinio. Itaque Franciscus Rex quum Lugdunum quodam tempore venisset: atque ibi officii causa a Sadoleto conventus fuisset: eum

et comiter admodum atque honorifice excepit, et ex collocutionibus aliquot, gravitate hominis prudentiaque perspecta, si manere apud se vellet, honestissimum illi in amicitia sua locum, et amplissima præmia detulit. At is quum Regi gratias egisset de tam propensa erga se voluntate, exposuit quo consilio res Romanas reliquisset, petiitque ab eo, ut se ad officium et munus suum redire pateretur: cuius consilio animoque collaudato, Rex eum amantissime dimisit. Discessit autem illinc quum Regis iudicio probatissimus, tum collecta multorum ex amicis et purpuratis Regis gratia, quorum studia et benevolentiam erga se, variis postea ecclesiæ suæ temporibus expertus est: velut eo tempore, quo Franciscus Allobrogum regulo bellum intulit: ea autem res ita se habuit: Per Carpentoractensem agrum Regis exercitus iter faciebat: in eo exercitu Gulielmus quidam erat, qui magnam Germanorum manum ad regem adduxerat, homo iracundius et præceps. Accidit, ut quum aliquot eius milites Carpentoracte ingressi petulantius sese gererent, eorum contumeliis et insolentia accensi commoverentur primo nonnulli opifices, deinde tota fere, ut fit, civitas concitaretur: quo in tumultu uno alterove ex Gulielmi militibus occiso, reliqui ex oppido expulsi, se ad ducem suum receperunt. Eam ille suorum cædem et iniuriam ulturus, quum ira exarsisset, copias suas continuo una cum aliquot tormentis bellicis, Carpentoracte adducere parabat. Hac re cognita Sadoletus, quum forte tum extra oppidum esset, suorum periculo exanimatus, paratusque eandem quam illi fortunam subire, propere accurrit. Ad eum statim concursus factus est, illum omnes intuebantur, quid agerent, quo se verterent nesciebant: Germanorum enim cohortes iamiam affuturas esse nuntiabatur. Is nuntios statim et literas ad præfectum regium pro ea quæ inter eos erat notitia, mittit, civitatis periculum exponit, auxilium implorat. Præfectus auctoritate hominis et precibus adductus, Guilielmum accersit. Eum ægre ac vix placatum incepto cogit desistere. Ita Carpentoractenses quum iam prope de salute et fortunis

suis desperarent, episcopi sui beneficio ex ingenti periculo erepti sunt. Gesta autem ea res est mortuo iam Clemente Pontif. Max. quum Paulus ei tertius successisset. Huius quoque Pontificis accersitu Romam Sadoletus redire coactus est. Etenim is sui Pontificatus initio spem atque exspectationem omnium mirabiliter erexit; ostendit enim sibi in animo esse, novis legibus solutam sacerdotum disciplinam astringere: et sublatis eis, quæ a superioribus Pontificibus Romanis instituta, minus probarentur, sanctiorem gerendi summi Pontificatus rationem instituere. Eius rei perficiendæ causa e longinquis locis accersivit, quos doctrinæ, integritatis, et prudentiæ maximam opinionem habere intelligebat: ut cum eis, cumque aliis præterea quibusdam, quos ex amplissimo ordine adhibiturus erat, tantarum rerum consilia communicaret: eorumque admonitu ea quæ aut abroganda essent, aut sancienda, cognosceret. Hi autem qui accersiti sunt omnino sex fuerunt, in quibus Jacobus Sadoletus fuit, qui tam gravem ob causam Pontificis maximi literis evocatus, paruit ei, ut debuit. Agitata ea res fuit complures dies, Sadoleto et reliquis gravissimis viris nihil earum rerum obticentibus, quæ ad sedandam sacerdotum, imprimisque summi illius sacerdotii invidiam, pertinere videbantur: quo quidem tempore Sadoletus etiam eis de rebus aliquot orationes scripsit, quo Pontificis Maximi animum ad rem tam præclaram, tamque Reipublicæ salutarem, perficiendam acrius accenderet. Verum quum tota ea res postea ob multas et magnas difficultates, et impedimenta quæ obiici videbantur, vel refrixisset, vel dilata in aliud tempus fuisset. Sadoletus non amplius Romæ sibi terendum tempus existimans, de reditu cogitabat: quum repente una cum quibusdam optimis et præstantissimis viris in senatum Romanæ ecclesiæ a Pontifice Maximo cunctis illius ordinis suffragiis, magna bonorum omnium lætitia et gratulatione delectus est. Tum is Carpentoracte spectans, et ad ecclesiam suam redire cupiens, quum pristinam vitæ suæ rationem ea dignitatis amplificatione obturbatum iri intelligeret, eum

honorem recusare in animo habuit: iamque hac de re epistolam composuerat, quem ad Pontificem Maximum mittere cogitabat. Sed quum in eo accipiendo honore amicorum consilio auctoritatique cessisset, ita in Repub. versatus est, ut nihil præter ipsius Reipublicæ commodum, et sedis Apostolicæ dignitatem, propositum umquam habuerit: ac sententiam suam ea qua decuit libertate et constantia semper dixerit. Huius adeo animi ac libertatis suæ magnum Reipubl. pignus dedit, quo primum die sententiam in senatu dixit: plane enim declaravit, nihil sibi unquam sancta illa maiorum nostrorum disciplina, mihi fide sua et officio futurum antiquius. Forte eo die agebatur de amplissimi et nobilissimi cuiusdam hominis honore et commodo: erat autem Sadoletus non collega eius recens solum, sed vetus etiam amicus. Itaque non poterat non invitus homini, quem multis de causis plurimi faciebat, refragari: tamen quum causa esset eiusmodi, ut illum honeste, salvis sanctissimis legibus, sententia sua adiuvare non posset: illud, quod boni et constantis senatoris fuit, fecit, ut legibus ipsis potius et religioni suæ consuleret. Nec vero non eadem libertate et constantia usus est, quotiescunque accidit, ut de ipsius Pontific. Maximi commodis, aut etiam honore ageretur. Libertate autem uti sic solebat, ut neminem ea iure posset offendere: leniebat enim illam eiusmodi orationis modestia, quæ cogebat eos ipsos, quibus adversaretur, in optimam partem ea, quæ is dixisset, accipere. Sed ut amicitiæ et gratiæ nihil dabat, quum id fieri eius fides minime patiebatur: ita quum e Republ. esse censebat quempiam in amplissimum ordinem ascisci, aut alio quopiam ornamento atque honore affici, cupidissime ei ac studiosissime favebat. Itaque complures egregios et virtute ingenioque præstantes viros, quo in senatum legerentur, aut aliis sacerdotiis ornarentur, Pontifici Maximo partim coram, partim absens per literas commendavit: idque illis sæpe inscientibus: non enim hoc ambitione adductus faciebat, sed studio Reipubl. Nec vero silendum de illis officiis, quæ in quosdam Germaniæ Prin-

cipes ipsorum quidem etiam, sed multo magis Reip. et communis religionis causa contulit: semper enim illa tot Germaniæ populorum et principum defectione, ecclesiæ luctuosa, ipsis pestifera, gravissime doluit, semper ut ii, qui et poterant et debebant, tanto illi vulneri mederentur optavit. Sed quum sedulitate sua iis qui tum ab ecclesia et Pontifice Romano penitus alienati erant, prodesse nihil posset, enixe id operam dedit, ut eos saltem qui sua sponte in recta religione permanserant, et sedi Apostolicæ amici erant, officiisque suis aliquanto etiam amicitiores et firmiores redderet. Itaque Georgium in primis, Gulielmum, hunc Bavariæ, illum Saxoniæ ducem, omni suo studio officioque complexus est: quæcunque ab eo proficisci potuerunt ad illos ornandos, et cohonestandos profecta sunt: in eorum negotiis de quibus cum Pontifice Maximo agendum esset, ipsorum procuratores, et legatos, opera, consilio, auctoritate sua semper adiuvit. Eius porro officia adeo grata illis fuerunt, ut et amicissime ei scribere soliti fuerint, et gratias agere, et procuratoribus suis, ut eius potissimum opera et consilio uterentur, præscribere. In gravissimum postea morbum incidit, ex quo nondum plane sese confirmaverat, quum proficiscentem Paulum Pontificem Maximum ad reconciliandos Carolum Romanorum Imperatorem, et Franciscum Gallorum Regem, grave inter se et diuturnum bellum gerentes, secutus est: quo in itinere quum Placentiam venisset, de integro ægrotavit. Ibi quum aliquot dies curandi sui causa substituisset, ut primum convalescere cœpit, festinans properansque optatissimæ illi de pace actioni interesse, itineri se commisit, neque destitit, quin Nicæam, quo conventuri illi erant Principes, perveniret. Tum vero tempus illud ratus esse, quo bonos omnes pacem urgere oporteret, uti ea fieret pro sua parte vehementer enixus est. Deinde quum ea minime convenire potuisset, pactis Pontificis Maximi opera decem annorum induciis, quum is Pontifex Romam reverteretur, ipse concessu eius Carpentoracte, reficiendi et confirmandi sui, ac revisendæ ecclesiæ causa se recepit.

Commoratus ibi est, ut rem familiarem plane constitueret; aliquanto diutius, quam se facturum ostenderat: ne tamen operam suam interea Reipublicæ navare desineret, opus præclarum sane, et Reipublicæ temporibus aptum aggressus est, de exstructione Catholicæ — ita enim inscribebat — Ecclesiæ: quod opus Joanni Salviato collegæ suo desponderat, quum propter veterem eorum inter se necessitudinem, tum ob excellentem eius viri in sacris literis et cæteris disciplinis, quæ magno viro dignæ sunt, scientiam. Verum propter itinera et occupationes, quæ illum aliæ ex aliis postea impeditum tenuerunt, nec tres, quos iam confecerat eius operis libros, perpolire, nec quartum, quem illi tanquam fastigium addere in animo habebat, instituere potuit. Revocatus enim Romam, vix dum ibi constiterat, quum, renovato quibusdam de causis inter Carolum et Franciscum bello, et ob eorum discordias Republica Christiana iterum in maximum discrimen adducta, quippe quum Turcicum bellum impendere videretur: Paulus Pontifex Maximus per legatos cum utroque eorum de pace agendum esse existimavit. Itaque delectus ipse est, qui legatus ad Galliæ regem iret: qui quanquam affecta iam ætate esset, tamen nullum pro Republica laborem, aut periculum recusans, legationem eam suscepit: adhibitaque diligentia, quantam maximam ferre senile corpus poterat, mature in Galliam pervenit. Talis viri auctoritate regem permotum esse res postea declaravit. Nam quum ei Sadoletus Pontificis maximi mandata ac monita exposuisset, post aliquot congressus, animum eius, quanquam armati et viribus suis fidentis, ad pacem flexit. Itaque ex magna desperatione concordiæ, subito in spem compositionis ventum erat, si modo alterius legati, qui in Hispaniam ad Carolum missus fuerat, felicior fuisset legatio. Non est autem omittenda illa in legatione singularis eius abstinentia: nam quum legatorum, qui a Romanis Pontificibus mitti solent, quamdiu extra urbem Romam sunt, varia et multiplex sit potestas, et eam ob causam facultatem habeant magnæ conficiendæ pecuniæ, neque id propter inveteratam

aliorum consuetudinem turpe habeatur: ea tamen potestate ipse ad quæstum abuti minime sustinuit, neque nisi gravi ex causa usus est: ac ne comites quidem suos quicquam, præter mercedes pro scriptura, aut huiusmodi quapiam opera debitas, quas ipsas etiam imminuit, accipere passus est. Ut a Rege autem discessit, Carpentoracte venit, quo reliquam ibi hiemem maneret, seque ex assiduis laboribus reficeret: id enim et Pont. Maximus, ætati hominis et valetudini parcens, permiserat. Hoc quoque Sadoleti integritatis exemplum sit, quod quum extremo legationis tempore integri mensis sumptum accepisset, atque ante exactum mensem Carpentoracte pervenisset: decem dierum sumptum, —tot enim dies reliqui fuerant—referri utique ad quæstorem Pontificis Maximi, quanquam dissuadentibus amicis, et nimiam eius religionem accusantibus, iussit. Eodem tempore clientes domesticos, quorum opera strenua et fideli in legatione usus fuerat, alium alio præmio, et quidem supra facultates suas remuneratus est. Insequenti æstate in Italiam non sine magno Carpentoractensium dolore discessit. Eo quum venisset, interfuit colloquio Pauli Pontificis Max. et Caroli Romani Imperatoris, qui in agro Parmensi congressi sunt. Iter tum ex Hispania Carolus in Germaniam habebat: oblata ea occasione, Sadoletus magnum laborum quos in legatione pertulerat fructum captum iri a se existimavit, si illum quoque ad pacem hortatus esset. Redierat enim ex legatione Gallica animumque eius regis ad concordiam propensum cognoverat, vel ipse potius effecerat. Verum adeo Carolus dolore iraque exarserat, quod a Rege Galliæ bellum renovatum fuisset, ut neque accurata Sadoleti oratio, neque ipsius Pontific. Max. auctoritas quicquam profecerit. Is tamen postea, lenita videlicet ira, post victum et in deditionem acceptum Sicambrorum ducem, qui regis partes secutus fuerat, et expugnata nonnulla Galliæ oppida, pacem cum eo rege fecit: qua ex re Sadoletus tantum lætitiæ ac voluptatis cepit, ut Deo bonorum omnium auctori, ab ecclesia sua meritum continuo honorem haberi iusserit,

et scriptam ipse orationem paulo post Carolum miserit, per quam illius sapientia et moderatione laudata, gratias egit suo et Christianorum omnium nomine: et ad ea quæ pro religione, et concordia, ac libertate Christiani nominis agenda restabant, eum accendere atque incitare conatus est: cuius optatis magna iam ex parte, optimi et fortissimi Imperatoris virtus pietasque respondit. Fuit enim hic vir incredibili quodam in Rempublicam Christianam studio: ut ego quidem, qui pro diuturno contubernio sensus eius satis cognitos et perspectos habui, hoc de eo affirmare non dubitem, plus illum doloris semper ex malis hausisse communibus, contraque ex publicis commodis gaudii, quam rebus suis vel secundis lætatus sit, vel adversis doluerit. Idem moribus fuit facillimis, animo aperto ac simplici, natura omnino ad iracundiam proclivior, sed eius comprimendæ assidua meditatione tantum profecerat, ut lentus potius esse videretur: ac si quando paulo esset commotior, tum maxime sedata et voce et oratione uteretur. Amicitias summa cum fide, et quibuscunque potuit officiis coluit: familiam suam ea caritate est prosecutus, ut quum de suis minimum, de illius commodis plurimum laboraret. Patrem, iuvenis: matrem, senex fere octogenariam amisit: ambos quoad vixerunt summa pietate dilexit et coluit. Fratribus, qui ei complures fuerunt, partem suam primo paternæ hæreditatis donavit, post aliis quoque eos beneficiis affecit. Adiutor ad regendam Carpentoractensem ecclesiam, quum iam senex esset, ut sibi Paulus Sadoletus fratris patruelis filius daretur a Clemente impetravit: idque non tam propinquitati a se datum dicere solitus est, quam adolescentis ingenio, atque virtuti. In literarum studiis summa industria versatus est. Lucubrare auctumno ineunte bene mane incipiat, hieme vero multo etiam maturius: id tempus gravioribus studiis aut scriptioni dabat: quod supererat temporis, id totum literarum studiis reddebat. Hactenus ea quæ de vita eius memoriæ prodenda esse visa sunt, scripsimus: nunc de eius obitu pauca scribemus: qui quidem vitæ eius

integerrime atque innocentissime actæ, plane consentaneus fuit. Habitare trans Tyberim cœperat, in ædibus D. Mariæ templo adiunctis: ibi auctumni initio in febrem incidit, quæ levis primo, ac prope contemnenda esse videbatur: sed quum nunquam plane decederet, morbus ingravescere cœpit. Tum is statim accersiri sacerdotem iussit: eo adhibito, rite et summa cum religione, omnia quæ divinitus ad expiandos animos et placandum Deum instituta sunt, servavit: re quidem divina coram eo facta, antequam sacrum illud et salutare Domini nostri corpus acciperet, quum *Christum* Deum ac conservatorem nostrum, sublevatus a suis, venerari, et supplici quadam oratione affari cœpisset: tantam subito lacrimarum vim profudit, ut eam precationem præ fletu ac singultibus absolvere vix potuerit: supremis prope vocibus ac mandatis Paulo Sadoleto, qui ei summa pietate assidebat, ecclesiam suam commendavit: ac paulo post magno suorum luctu, magno bonorum omnium mærore ac desiderio, animam Deo reddidit. Doluit eius morte Paulus Pontif. Max.; doluit senatus: a Joanne quidem Petro Carapha Sabinorum episcopo, quo primum die post eius obitum senatus habitus est, ea de illo habita est, magno cum assensu quum reliquorum patrum, tum ipsius Pont. Max. oratio: ut neque uberius cuiusquam vita laudari, nec mors dolentius deplorari potuisse videretur. Laudavit eum item luculenta oratione, maxima honestissimorum cuiusque ordinis hominum frequentia, in æde D. Laurentii, Jacobus Gallus, civis Romanus in primis honestus. Obiit annum agens septuagesimum. Sepultus est sine ulla funeris pompa — ita enim ipse præscripserat, — in æde quæ curationis eius fuerat, Divo Petro in Exquitiis sacra.

F.

BREVIS NARRATIO

DE

AONIO PALEARIO VERULANO.

PRÆFATIO

EDITIONIS BREMENSIS

AD

A. PALEARII OPERA.

Magna, inquit Fabius, *virtus est, res, de quibus loquimur, clare, atque ut cerni videantur, enunciare;* itaque, ut in pictura eos deligimus artifices, qui velut vivos et spirantes vultus ducere et exprimere norunt: sic in eloquentia illi sequendi sunt duces, qui rerum speciem figuramque et sensa animorum perspicua, pura, plena partibusque omnibus apta et cohærente oratione possint assequi. Olim inter experientiæ initia infantes erant artes et rudiora in iis fere omnia: at nunc, ut ait idem scriptor, cuius verbis loqui sumus orsi, *tot nos praeceptoribus, tot exemplis*

instruxit antiquitas, ut possit videri nulla sorte nascendi aetas felicior, quam nostra. Sed duo quædam sunt, quæ satis quoque eam efficiunt infelicem; ingrata discendi incuria, et, quum aliquid supra iners vulgus didiceris, maledica invidia, eademque, ubi potest, malefica cum rabie: usitatæ hodie bonorum, et cum veritate pacis amantium virorum mercedes. Vivum hac in re nobis et bene dicendi vivendique et mala patiendi exemplum est hic ipse ***Aonius Palearius:*** quem aliquandiu in tenebris detentum tum literariæ luci magno merito suo restituimus: elegantissimi et integerrimi virum ingenii, felicissimum Tullii in re oratoria et Lucretii in poetica imitatorem: sed, etiam in scholastico vitæ genere per se innocuo et quotidianis docendi laboribus satis occupato quam acerbas et varias expertum calumnias! ab iis fere profectas auctoribus, quos et titulus et professio sua ad perpetuam dicendæ veritatis, et mansuetudinis colendæ atque caritatis curam instituere debuissent; si iidem esse, qui dici voluissent. Inter alias autem obtrectationes, mendaces omnes, una admodum mira est, sumpta ex commendatione quadam amplitudinis et efficacitatis perpessionum Christi; qua nonnullorum, a Deo nomen sed a Diabolo mores mutuantium hominum, *δυςφορήτῳ τινὶ ὄγκῳ* laborantium, in se odia, ad periculum usque, exasperavit; eorum, qui honorari satis se non putabant, nisi pro numinibus adorarentur. Atque ita hi ipsi libelli, Christiane lector, non inanes tibi verborum sonos subministrabunt ad augendam loquacitatem, qua nonnulli in tenui licet doctrina tamen ad cœlos volunt: sed res quoque suppeditabunt optimas amœnissimæ dictionis colore illuminatas, quæ legentem allicere, detinere et sine fastidio possint satiare. Pauca tamen etiam quædam sunt, quibus imitationis honorem penitus ademptum et negatum volumus. Qui enim unum Deum immortalem credimus; neque deos, neque Diumfidium, neque Herculem, aut similia gentilis vanitatis portenta, nisi cum aversationis sensu, nominabimus. Si qui in dogmatibus errores occurrunt, vitio locorum et temporum, quibus vixit ***Palearius***: eos

in tam clara evangelii ab humanis superstitionibus repurgati luce etiam pueri facile hodie animadvertent et vitabunt. Vale, memor apostolicarum illarum admonitionum: *Omnia explorate, quod bonum est, retinete. Ab omni specie mali abstinete.*

Scrip. Bremæ ann. 1619. d. 27. Aug.

Q. R. P. H.

Aonius Palearius Italus, vir doctissimus et martyr beatus, iussu Pii V. Papae, propter veritatem Evangelii, Romae anno MDLXVI igne exustus est.

HENRICI WETSTENII PRÆFATIO

CUM

VITA PALEARII.

LECTORI S.

Aonii Palearii, disertissimi ac laudatissimi Viri lucubrationes, quas quidem temporum malorum iniuria studiosis reliquas fecit, novo tibi cultu, Lector, iterum producimus, sed et novis accessionibus luculenter adauctas. Quod cur faciendum duxerimus, multiplex caussa erat. Neque eius te rei nunc commonefacere, admodum necesse arbitramur. Præiverat exemplo suo Vir insignis Matthias Martinius, qui Bremæ, anno huius sæculi XIX. in lucem, atque adeo alteram quasi vitam, revocavit nobilissimum Scriptorem. Quamvis enim iam bis prodiisset beneficio typographorum Basiliensium, satis etiam nitide atque eleganter: tamen adeo neglectus habebatur, adeoque exili in pretio erat, ut hominibus etiam doctis, et a peritia sermonis Latini commendatis, plane foret ignobilis. Contra in sinu gestabantur nescio qui Mercurii ac Suadæ; vacuorum capitum infelices partus; quæque id genus plura obtrusit miseræ iuventuti

Scholasticorum natio madens pingui
Inflata rore non Achaico turba.

Nimirum antiquum illud verum est, Multos habere famam, paucos mereri. Quotus enim quisque nostrum de rebus Palearii unquam inaudivit? parentes eius quis novit? quis vitæ genus, et qualescunque fortunas? frustra horum omnium ulla quæsiveris vestigia apud tot scriptores Elogiorum: in quibus tamen multorum sunt nomina, quæ, nisi istic, leguntur nusquam; quique ipsi vivi ac videntes libris suis exequias iverunt. Unde hæc famæ malignitas in virum nullo suo merito pessime afflictum, quemque propius nosci intererat rei literariæ, breviter aperiemus; ubi prius paucula quædam — nam plura scire non licuit — de studiis deque crudeli supplicio innocentissimi capitis delibaverimus. Natus est Aonius Verulis — oppidum id est Latii Episcopalis, in Hernicis, apud Cosam fluvium — ex antiqua et apud suos nobili prosapia, parentibus Matthæo Paleario et Clara Janarilla, circa initia, ut vero est simile, sæculi proxime superioris. Nam de anno ipso nihil constat. Eos autem amisit valde adolescens: sed memoriam, vir factus, renovavit in restituto magnifico sepulcro, quod improborum hominum rabies collabefactaverat, egregio sane pietatis testimonio. Græcis et Latinis literis mature imbutus ac fideliter, haud quaquam satis sibi esse duxit ad gloriam verumque animi cultum, si intra sola eloquentiæ spatia consisteret; neque etiam adiiceret, Ciceronis sui exemplo, uberem rerum pulcrarum ac sublimium cognitionem. Itaque incensus amore incredibili philosophiæ; non scholasticæ istius argutatricis, sed germanæ ac solidæ, et qualem se olim in Lycei ambulacris explicabat; id unum toto agebat animo, id unum toto pectore studebat, ut naturæ latentes vias aperiret sibi ac recluderet, inprimis autem ut emendatam morum hauriret disciplinam. Neque Theologiæ negligebat arcana, raro quidem studio tempestate ista, et, quod docuit eventus, periculoso. Tam excellentium artium pulcerrimo inflammatus ardore, varias suscepit peregrinationes per Italiam pæne universam: et iis se maxime doctoribus percoquendum dedit, quorum tunc eruditio et nominis gloria maxime flore-

bat. Solidum quoque sexennium eius rei gratia hæsit Romæ, clarus ipse in illa luce clarorum ingeniorum. Quod vitæ iter ne deserere cogeretur deflexo aliovorsum cursu, maluit iis rebus destitui, quas homines præcipuas putant: cœptamque perrexit viam, divenditis totius patrimonii facultatibus, quas satis lautas a parentibus acceperat. Pertinacis atque inusitati laboris fructus fuit poema luculentissimum de Animorum Immortalitate; quod publico favore exceptum, suo certatim plausu, ut quisque erat doctissimus, cohonestabant. Vix enim sperabant homines horum mysteriorum non imperiti, posse tam ardui argumenti maiestatem versibus satis digne exponi. Itaque summo in honore fuit Palearius apud viros ætatis istius principes; Petrum Bembum, Jacobum Sadoletum, Franciscum Sfondratum, Ennium Philonardum, Ecclesiæ Romanæ Cardinales; Janum Benedictum Lampridium, Marcum Antonium Flaminium, Andream Alciatum. In quibus profecto singulis inerat eius sæculi haud mediocre ornamentum. Turbatis paullo post Latii rebus, in Etruriam secessit Aonius, captus eius regionis deliciis, et linguæ lepore, ipsaque adeo Tuscorum ingeniorum elegantia ac festivitate. Sedem vero fortunarum suarum Senas Etruriæ delegit: quanquam neque istic omnia invenit satis tranquilla, scissa in partes ac divisa civitate. Hic propositis a Rep. honestis præmiis, factus est Latinarum ac Græcarum Literarum doctor publicus, ea nominis fama et studiosorum iuvenum celebritate, quam vix ipse potuisset optare. Ut autem per dies feriatos mollius et securius incumberet studio scribendi, emit sibi in agro Senensi Cecinianum, villam A. illius Cecinæ Volaterrani, cuius causam olim defendit M. Tullius. In eo amœnissimo secessu multa novavit, multa restituit vetustate collapsa, satis nemoribus, fontibus excitatis, erectis marmoribus, et inscriptionum argutiis Romanum in morem elegantissime fictis. Interea animum ad rem uxoriam adiecit, quum haberet iam annos quatuor supra triginta, duxitque domum virginem adolescentulam, honesto loco et bonis parentibus

prognatam, quam per omne deinceps vitæ spatium ardentissime dilectam, nec post ipsos quidem cineres potuit oblivisci. Ex ea quattuor liberos sustulit, utriusque sexus binos; Aspasiam, Sophonisbam; Lampridium, et Phædrum; et hunc quidem iuris civilis studio, illum autem Philosophiæ literisque Græcis destinaverat amantissimus pater. Sed fatalis fuit urbs Senarum viro sanctissimo: nam hic primum exagitari cœpit insanis contentionibus nescio cuius professoris,— ipse *Machum Blateronem* vocat,— qui putabat tantum decedere de suo honore, quantum Aonii virtutibus et meritis dabatur. Quanquam hunc morionem ignobilem brevi compescuit mordax ingenium Petri Aretini, qui stolidum pecus omnium ludibriis sannisque exposuit in fabula quadam vulgari idiomate conscripta, et Venetiis publico spectaculo exhibita. Atque utinam intra hos fines stetisset rabies, quam in caput innocuum viri omnium optimi exercebant belluæ immanes! Antonius Bellantes, homo nobilis et copiosus, magnisque factionibus implicitus, litem habebat apud iudices Reip. Senensis contra adversarios quosdam improbos ac præferoces. In ea operam utilem navavit Palearius, atque ex præsente periculo Bellantem subduxit, qui tamen ipse non longe post coactus fuit diem dicere fratribus Franciscanis strictioris, ut vocant, observantiæ, propter expilatas aviæ suæ sarcinas turpi furto. Hi autem dato iureiurando suos eluserunt iudices. Quum vero in eo iudicio Bellanti adfuisset Palearius, incredibile dictu est quantopere hoc ipso facto commoverit haram istam omnem pecudum funigerarum. Acrius etiam inertissima pectora accendebat odium, quod Aonius ausus esset res sacras tractare stilo puro ac Latino; quodque e Sanctis Patribus ac vetustis Christianæ religionis monumentis multa depromeret, quæ ipsi extare in rerum natura omnino ignorabant; quod aperte ostenderet, se non favere stolidissimis superstitionibus; denique quod non ita pridem librum scripsisset de meritis mortis Jesu Christi. Itaque omnibus eum contumeliis vexabant, et passim pro concione publica venenato rictu

proscindebant. Neque vero deerant, quos id minime decebat, iurisconsulti ac vultures togati, qui, odio bonarum literarum, an vindictæ privatæ indulgentes, foverent caussam fratrum fraterrimorum; adeo ut coactus fuerit Palearius pro capite suo dicere: palam enim accusabatur impietatis. Sed et hanc procellam sapienter disiecit Magistratus Senensis auctoritas, atque integritatem Aonii ab amarissimis hostibus sancte vindicavit: Hi autem, mutato consilio, aliam inierunt rationem, qua everterent inimicum iam toties frustra tentatum. Neque enim fratrum est, aut unquam erit, ignoscere, etiamsi hic nihil fuit ignoscendum, neque ulla Palearii culpa. Igitur depositis paullisper contentionibus privatis, apud Dominicanæ familiæ patres invidiosum fecernnt, cui perdendo se solos impares rebantur. Atque hæc fuit fatalis illa machina, quæ multis post annis, memorando apud posteros exemplo, oppressit fidelissimum Christi servum. Nam quum Aonius, fœdissimarum vexationum pertæsus, post Lucensem stationem, in qua aliquot annos hæserat, Mediolanum esset accersitus, adeo faventes illic sibi invenit Senatores, tantosque suarum virtutum admiratores, ut supra honorarium satis amplum multas etiam indulserint immunitates, ac foverint benignissime. Et iam omnia videbantur in portu; quum, ecce, fatis functo Pio IV. Pontifice maximo, electus est in demortui locum Michael Gislerius, vulgo dictus Cardinalis Alexandrinus, eo quod ex Bosco exiguo agri Alexandrini oppido ortus esset, familia admodum tenui. Is homo, propter rei domesticæ angustias ab anno ætatis quarto decimo in S. Dominici ordinem allectus, tantum potuit inter sodales suos, opinione continentiæ et austeritate vitæ, ut per varios gradus evectus, ad præcipua munia, Comi tandem in principatu Mediolanensi fuerit iuquisitioni præpositus: Bergomum quoque Venetæ ditionis oppidum missus cum eadem potestate. Editis autem utrobique crudelibus horridæ cuiusdam atque insolentis severitatis documentis, meruit apud Paulum IV. inquisitioni iusto impensius faventem, ut in Cardinalium collegium cooptaretur. Tandem Pontifex factus, Pius V. ap-

pellari voluit, atque ipso statim initio magna instituit terribilis severitatis dicam, an sævitiæ exempla, auspicatus a Petro Carneseco, propter causam religionis ad ignem damnato, cuius nos viri historiam lamentabilem latius aliquando exsequemur, si Deus faverit, in editione operum M. A. Flaminii. Tali Pontifice opus erat sceleratissimis monachis, qui et inquisitionem exerceret rigidissime, et altus fuisset atque educatus in ordine monachali. Ergo renovata lis est, conquisitus Mediolani Palearius, vinctus, et Romam adductus. Crimini dabatur, quod eadem sentiret cum Germanis, quorum multos invidiose atque criminose laudasset; quodque dixisset, Inquisitionem esse sicam districtam in literatos. Et poterat sane utrumque haud difficulter probari. Nam in vexatione Senensi apologiam pro se ac *) capite suo scripserat, acrem illam ac luculentam, qua retunderet rabiem furiosi cuiusdam Monachi, qui pro concione in eum omnium teterrime debacchabatur. Is quum partem istius apologiæ legisset, voluit cum Aonio redire in gratiam, seseque purgavit de iniuriis illatis. Composita igitur tum quidam lis fuit arbitrio optimorum virorum, et exempla apologiæ omnia coniecta in ignem, uno tantum apud auctorem relicto, alteroque quod habebat Petrus Victorius; tertium erat apud adversarium. In ea dixerat, *multa esse ab hominibus Germanis accurate et sincere scripta, digna prorsus omni laude, repetita vel ex patribus illis primis, vel ex commentationibus Graecorum et Latinorum, etc.* Nominatim vero laudaverat Oecolampadium, Erasmum, Melanthonem, Lutherum, Pomeranum, Bucerum. Locus autem, ubi Inquisitionis crudelitas perstringitur, ita habet: *Quod nisi indicto concilio spes bonis iniecta esset, negotium felix et salutare a Pontificibus, a Caesare, a Regibus una susceptum iri, ut magnis concursibus omnium gentium, omnium nationum celeberrimi conventus peragantur, desperaremus omnino tantarum perturbationum finem ullum unquam fu-*

---

*) Ea nunc tertio loco legitur inter Orationes, tametsi nunquam est habita.

turum: desperaremus posse fieri, ut sica ista districta in omnes scriptores de manibus eorum extorqueatur, qui vel levissimis de caussis crudelissime ferire didicerunt; a quibus appetitus fuit aliquando vir omnium sanctissimus et integerrimus, Sadoletus meus; qua re nihil multis annis sol vidit indignius. His paria scripserat ad Petrum Franciscum Riccium Lib. 3. Epist. 1. Igitur damnatus a rigidissimo Pontifice, atque ignominioso pariter ac crudeli supplicio vivus est in ignem coniectus æternæ veritatis fidelissimus testis. Hæc gesta sunt anno MDLXVI. ut rectissime notavit Historicorum princeps Jac. Augustus Thuanus Lib. XXXIX. Errant enim qui aliter referunt: id quod clarissime evincitur ex tempore creationis Pii V. et ex ipsis immunitatibus urbis Mediolanensis, annos ipsos septem ante hoc martyrium datis; neque id tantum: sed et in ipso genere mortis decepti sunt viri clarissimi. Certe Joachimus Camerarius *crudeli supplicio affectum* dicit; additurus haud dubie aliquid singularius, si modo scivisset. Simlerus autem *capite multatum* scribit, idque An. MDLXX. is qui primus *Actionem in Pontifices Romanos* in lucem protulit, *crematum* fuisse dicit circiter An. MDLVIII. Unde tot hallucinationes in re eadem? Nimirum tam terribile est Inquisitionis tribunal, ut istic damnati uno eodemque numero habeantur cum iis qui nunquam nati fuerunt, et simul cum corpore deleatur funditus omnis eorum memoria, atque ex imis radicibus exstirpetur. Post fulmen tam dirum Vaticani Jovis, facile colligitur fœdissimæ ruinæ involutam fuisse totam Aonii domum; atque innocentes liberos — nam mater iam exempta erat rebus humanis — tanquam καθάρματα et purgamenta lustralia, omnibus exsecrationibus devotos in extrema rerum omnium inopia damnatum spiritum exhalavisse. Hic enim finis esse solet eorum, qui afflictissimos reos adeo propinquo sanguinis gradu contingunt. Inde factum fuit, ut tot præclara divini ingenii monumenta interierint sine ulla spe recuperandi: *Commentarii* videlicet *in Orationes Ciceronis; Dialogi; Odae; Commentationes Theologicae; Laudationes,* versibus scriptæ;

Fabellae, idiomate Tusco; et denique *liber* ille, quem nos unum magno redemptum velimus, *de meritis mortis Jesu Christi;* sermone itidem vulgari conceptus. Quocirca debita merito gratia habenda est viris optimis, qui, ne perirent omnes et singuli elegantissimi labores scriptoris infelicissimi, sedula cura providerunt. Et nos fortasse aliquid meruimus, accessione nova pulcherrimarum epistolarum. Visum quoque fuit ea adiicere carmina, quæ Jo. Matthæus Toscanus A. MDLXXVII. Lutetiæ vulgaverat; una cum fragmento Consolationis heroicis versibus conscriptæ, quod inter cimelia sua chartacea servabat, ineditum hactenus, non indiligens harum lautitiarum æstimator. Actio quoque ipsa in Pontifices, semel tantum typis exscripta, ideoque inventu rara, cavimus ne intercideret. Tu fruere, Lector, et honestis typographi præclare de te merentis conatibus favere perge.

IMMUNITATES AONIO PALEARIO MEDIOLANI CONCESSÆ; CUM LITERIS EIUSDEM PALEARII PRO IIS IMMUNITATIBUS.

Quum Excell. Senatus litteræ ad preces facundissimi Oratoris Poetæque celeberrimi Aonii Palearii allatæ fuissent multum Magnif. Octaviano Cusano Jureconsulto Vic. et duodecim Decurionibus provisionum inclitæ huius Urbis Mediolani, huiuscemodi tenoris.

DIPLOMA.

Philippus Hispaniarum etc. Rex, Mediolani Dux etc.

Dilecti nostri. Sublevandus est auctoritate nostra egregius Orator Aonius Palearius et cæteris anteferendus, qui ex Hetruria evocatus ad erudiendam in bonis literis iuventutem gravissimo Reipublicæ tempore, magno cum incommodo huc venit, et nostram Urbem suæ patriæ antetulit. Quamobrem ut aliqua grati animi signa a vobis sentiat, præsertim quum uxorem et liberos huc adduxerit, in magna rerum fere omnium caritate: damus vobis facultatem qua ipsi Aonio eam ab oneribus extraordinariis immunitatem possitis dare atque concedere, quæ pro eius virtutibus et meritis danda vobis videbitur et concedenda, ita ut quæ hac in re feceritis et concesseritis, firma sint semper et rata. Dat. Mediol. die octavo Martii MDLIX. *Signata* Franciscus Petranigra, *et sigillata solito sigillo in cera rubea ut moris est, a tergo:* Egregio Jureconsulto ac Nobilibus Viris Dn. Vicario et duodecim provisionum Mediol. nostris dilectis etc.

Aonii Palearii ad Decuriones Mediol. pro immunitate.

Aonius Palearius superioribus annis ad instituendam iuventutem Mediolanensium accersitus, quum solus cum servulo apud hospitem viveret, diplomate de immunitatibus uti noluit, ne, quum minime sibi prodesset, Reipublicæ obesset. Nunc quum domum conduxerit, et familiam ex Hetruria magno quum sumptu et incommodo adductam alat, in summa annonæ caritate, Rogat ac supplicat, ut immunitates, quæ non petenti datæ sunt, flagitanti firmiores certioresque concedantur. Et quoniam is singulari amore in civitatem vestram adductus, ut communi iuventutis Mediolanensis bono serviret, domum et bona patria, et stipendium honorificum in Hetruria sibi in annos constitutum, reliquit, et difficillimo tempore apud vos est, et esse vult: sperat Ædilem et Decuriones, humanissimos et æquissimos Viros, eius rei rationem habituros, curaturosque ut Reipublicæ vestræ liberalitate sublevetur. Ad eam rem conficiendam opus est gratia et auxilio vestro, Patres conscripti, ut a vobis potestate vel data vel aucta Magistratui, quem vicariatum provisionum appellant: quod eius Magistratus Præfectus cum Collegis in immunitatibus Aonio dandis, fecit, fecerit, id Senatus consulto tam firmum rarumque sit, quam quod optimo iure datum est et concessum.

Litterisque ipsis et precibus lectis, diligenterque et mature consideratis, certoque certius esse compertum sit, non mediocrem utilitatem, decoremque et ornamentum prædictum Aonium Palearium in tradenda humanarum litterarum tam græcæ quam latinæ linguæ eruditione attulisse, in futurumque non minus allaturum esse, ex quo non immerito omni onere et incommodo sublevari, omnique gratia et honore decorari dignus sit, patefacta iam diu eius virtute, doctrinaque singulari et frequenti studio, quibus iuventutem Mediolanensem in dies enixe instruit, ornatamque et nobiliorem reddit. Proinde igitur prædicti Magnif. D. Vic. et Decuriones petitioni ipsius Aonii Palearii de Republica Mediolanensi

benemeriti annuendum censentes. Hisce præsentibus accedente et prædicta Excell. Senatus sanctione, eorum omnium extraordinariorum immunitatem quovis modo per ipsam Magnificam communitatem hucusque impositorum, et imponendorum ipsi Aonio Paleario concesserunt, et concedunt, decernuntque immunitatem ipsam suum sortiri debere robur a Kal. Januarii proxime præteriti citra; utque hæc grata concessio, et si præclaræ virtutes, optimique mores, et benemerita in iuventutem Mediolanensem collata, uberiorem requirerent, suum quamprimum sortiantur effectum. Ordinant et mandant expediendum esse in præsentiarum opportunum iuxta morem mandatum Nob. D. Jo. Francisco Homato ipsius Magnificæ Communitatis Quæstori, ut eidem Aonio Paleario eam respondeat et exsolvat pecuniarum summam, quæ pro personis septem, tam ratione macinæ frumenti quam vini et carnis, factis iuxta consuetudinem calculis quolibet anno hisce extraordinariis oneribus permanentibus esse percipietur. Dat. Mediol. die Jovis sext. Aprilis. MDLIX.

O. Cusanus. Jo. Antonio Spanzotta.

Registrato nel libro dell' Essentione.
Pro Nob. D. Aonio Paleario
Immunitatis Ordinatio.

TESTIMONIA ERUDITORUM VIRORUM DE AONIO PALEARIO, PRÆTERITIS IIS QUÆ PASSIM IN EPISTOLIS OCCURRUNT.

Sebastianus Corradus Commentario in M. T. Ciceronis Brutum.

Quare nos poetas imitati ætatem illam, in qua tot oratores, id est viri boni fuerunt, auream possumus appellare, quemadmodum summus poeta illam voluit significare, quum cecinit:

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas.

Et sane ætas illa vere fuit aurea, in qua tot viri docti floruerunt: ut, quæ secuta est, argentea dici potest usque ad Traianum: tertia vero ærea sub ceteris Imperatoribus: quarta vere ferrea Gothorum et Longobardorum temporibus, usque ad maiorum nostrorum memoriam, quum iterum

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas.

Tunc enim multi viri docti florere cœperunt, et hodie multi ut quum maxime florent, ut Joannes Baptista Egnatius, Lilius Gregorius Gyraldus, Petrus Victorius, Paulus Manutius, Carolus Sigonius, Aonius Palearius, etc. et alii, quos longum esset referre: qui tamen omnes iam cum veteribus videntur esse comparandi.

Joannes Michael Brutus in epist. ad Franciscum Luisinum.

Mediolani Aonium Palearium conveni, a quo homine doctissimo atque amantissimo tui earum literarum exemplar accepi, quas ad te ille in Hispaniam. Puto autem, respondent iis, quibus tu ad illum multa de Andrea Marino etc.

Joachimus Camerarius in Narrationibus de M. Antonio Flaminio.

Inter eos quos Flaminius dilexit et magni fecit, quique ipsum coluerunt et sunt admirati, fuit principe loco Aonius Palearius Matthæi F. Verulanus, a quo acerbissime est deplorata mors Flaminii Romæ obita, Viro optimo doctissimoque, et Christianæ pietatis studiosissimo. Atque hunc quum hæc scribente me nuntius advenisset, arreptum fuisse tanquam desertorem sanctæ fidei, quod quorundam piorum et bonorum virorum honorificam mentionem fecisset, et crudeli supplicio affectum, senem admodum, et innocentissimum hominem: recordati fuimus quarundam sententiarum positarum

in epistolis ipsius, inter quas et hæc esset: *Christianum hominem esse me, atque eum, qui, si usu veniat, pro Christo emori possim.* Pontificiæ itaque horum temporum immanitatis in Aonio quoque adversus Jesum Christum, ut in uno membro corporis huius, vesania suam vim potestatemque exercuit. Fuisse autem Aonii disciplinam domesticam quoque ad pietatem Christianæ fidei accommodatam, declarat Epigramma ab ipso factum, quo mortuæ coniugis memoriam cum tristi quidem desiderio, sed mentione religiosissima prosequitur, idque et ipsum adscribendum putavimus:

Ni mihi spem Christus fecerit, etc. legitur id L. 4. Ep. 25.

Josias Simlerus in Bibliotheca.

Aonius Palearius Verulanus, scripsit de Animorum immortalitate libros tres versibus heroicis, Epistolarum libros quatuor, Orationes duodecim. Senex, propter confessionem Christianæ Religionis, Romæ anno MDLXX. capite multatus dicitur.

Matthias Flaccius Illyricus in appendice ad Catalogum testium veritatis, sub finem.

Hunc (Pium IV.) excepit Pius V. qui septem annis sedit. Acerbissimus eorum inimicus qui iugum papale excutere vel minimum nitebantur: ita ut aliquot insigni pietate Viros igni comburendos commiserit; inter quos merito nominandi Julius Zoannetus, Petrus Carnesecus, Bartholom. Bartoccius, Aonius Palearius Verulanus, vir doctissimus, qui dixerat, Inquisitionem papalem et Hispanicam, esse sicam districtam in iugula eruditorum.

Julius Caesar Scaliger in Hypercritico.

Aonii materia illustris, eademque difficilis. Quare stilum quoque sui ipsius dissimilem fuisse par est. Assurgit ergo interdum, neque negligit figuras: alias serpit humi, do-

cere contentus. Adeo vero fuit superstitiosus, ut etiam hemistichia quædam reliquerit imperfecta quæ quia neglexit ipse facere integra, ne nobis quidem in hisce est satagendum: ac neque in cæteris: quum ipsum constet ad Lucretii amussim omne opus suum direxisse.

Gerardus Joannes Vossius L. 2. de Arte Grammatica C. 31.

Verum est, palus produci ab Horatio in Arte, quem et imitatus Aonius Palearius lib. 2 divini, eoque immortalis carminis, quod fecit de Animorum immortalitate.

Daniel Georgius Morhofius L. 1. Polyhist. literar. C. 23.

Vixit circa id tempus Aonius Palearius, cuius editæ sunt Orationes et Epistolæ, quæ feliciter adeo exprimunt Ciceronem, tum qua dictionem tum qua numeros, ut dubitem, an præferendus illi aliquis sit. Paucis, quod miror, etiam Viris doctis et acerrimis Latinitatis censoribus cognitus iste auctor fuit; sed meretur profecto inter præcipuos numerari. Hic mihi quis discrimen imitationis videat: nam longe aliter souat, quod Palearius scribit, quam Longolius, et alii inepti Ciceronis imitatores.

Jo. Georg. Walchius in Histor. crit. Lat. Ling. (Ed. III. p. 623 sq.)

Aonius Palearius, vir græcè et latine ita doctus, ut merito ei eximius locus inter eruditissimos viros eosque præcipue, qui cultum latinæ linguæ genuinum ac solidum instaurarunt, debeatur. Sedulo imitatus est Ciceronem; meliorem autem imitationis huius rationem tenuit, quam Bembus, Longolius aliique, hinc et felicior stili Tulliani exstitit artifex sibique maiorem romanæ linguæ laudem atque existimationem comparavit. Quocirca *Dan. Georg. Morhofius de conscribendarum epistolarum ratione*, lib. I. c. 12. de eo merito

hoc laudabile dixit testimonium: (vid. antea) et *Jo. Clericus* in *arte critica* part. III. vocavit eum *virum eloquentissimum*. Orationes eius, item epistolæ et poemata prodierunt non solum *Basileae*: verum etiam MDCXIX cura *Matth. Martinii Bremae* et MDCLXIX. *Amstelodami* sumptu *Henr. Wetstenii* MDCCXXVIII, quarum editionum copia quum adhuc difficilior ac rarior fuerit, usui scholarum consulere voluit doctissimus *Frid. Andr. Hallbauer* novamque adornandam suscepit, quam et Jen. MDCCXXVIII in publicam lucem emisit ac dissertatione præmissas de vita, fatis et meritis Aonii Palearii auxit: adde *Adrianum Bailletum* Tom. IV. *jugemens des savans*, part. III. p. 290. *Thomam Crenium* in *animadversionib. philolog, et historic.* part. II. p. 18. et præfationes editionum Bremensis et Amstelodamensis cf. etiam *Bailius* in *Lexico gallico* et *Nicéron mémoires* T. XVI. p. 53. Imprimis autem *Aonius Palearius* innotuit per *Poema de animae immortalitate*, quo a doctis *Lucretio* par ingenio æstimatur.

INDEX OPERUM PALEARII.

Orationes.

Ex Oratione M. T. Ciceronis pro L. Muræna.

Oratio I in L. Muræenam.

II. pro Antonio Bellante.

III. pro se ipso.

IV. de laudibus eloquentiæ.

V. de republica.

VI. de concordia civium.

VII. de prudentia.

VIII. de optimis studiis defensis.

IX. de iustitia.

X. de fortitudine.

XI. de temperantia.

XII. de felicitate.

INDEX EPISTOLARUM

QUÆ

HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

A. PETRI BUNELLI EPISTOLÆ.

B. PAULI MANUTII EPISTOLÆ,

Selectae ex eius Libris Epistolarum.

C. CHRISTOPHORI LONGOLII

Epistolae Selectae.

D. PETRI BEMBI ET JACOBI SADOLETI

AD

CHRISTOPH. LONGOLIUM EPISTOLÆ.

E. PETRI BEMBI ET JACOBI SADOLETI

ALIÆ AD ALIOS EPISTOLÆ.

Ex Petri Bembi Epistolis Pontificiis, id est, Nomine Leonis X, Pontif. Maximi scriptis.

F. EX PETRI BEMBI

FAMILIARIBUS EPISTOLIS.

G. JACOBI SADOLETI

EPISTOLÆ SELECTÆ.

II. AONII PALEARII

ET

NONNULLORUM ALIORUM EPISTOLÆ.

Epistolarum Liber I.

41*

I. AD EPISTOLAS AONII PALEARII ACCESSIO NOVA.

K. BREVIS NARRATIO

DE VITIS

P. BUNELLI, P. MANUTII, C. LONGOLII, P. BEMBI, JAC. SADOLETI, AONII PALEARII.

ANNOTATIO

IN

EPISTOLAS PETRI BUNELLI.

EPISTOLA I.

Lazaro Bayfio] Sic scriptum exstat in Ed. *Stephan* Anni MDLXXXI. Alias *Baïfio* legitur. De quo homine doctissimo hæc habes apud *Morerium*: »Baif (*Lazare*), Abbé de Charroux et de Grenetière, Maître des Requêtes de l'Hôtel et Conseiller au Parlement de Paris était d'Anjou, où il nâquit dans la terre des Pins près de la Flêche, et non pas à Mangé dans la Maine, comme d'autres l'ont cru. Sa famille était noble et ancienne. Il était fils puiné de Jean Sieur de Baïf et de Mangé, et de Marguerite Châtaignier de la Rocheposai. Ses ancêtres s'étaient acquis beaucoup de réputation dans les armes et il s'en acquit une très-grande dans la robe. Il fit un si grand progrès dans les langues, et principalement dans la grecque et la latine, qu'il s'acquit par-là beaucoup de réputation. Le Roi François, qui aimait les lettres et qui se faisait un plaisir d'avancer les savans, ne pût souffrir que celui-ci languit plus longtems dans le repos. Il l'envoya Ambassadeur à Venise vers l'an 1531 et ensuite se servit encore de lui en diverses occasions, auprès des Princes d'Allemagne et ailleurs. Cependant ce Monarque, voulant récompenser la fidélité et les services de Lazare de Baïf, lui donna une charge de Conseiller au Parlement de Paris en 1533 et ensuite une de maître des Requêtes. Baïf n'était pas indigne de ces bontés. Il composa divers ouvrages, comme une traduction en

vers français de l'*Electre de Sophocle*, qu'on publia à Paris en 1537 et une autre de l'*Hécube d'Euripide*. Mais celui de ses ouvrages, qui lui donna le plus de réputation, est celui qu'il composa en latin des habillemens des anciens et de l'art de la navigation: *De re vestiaria, de re navali et de vasculis*, que *Robert Etienne* imprima à Paris et *Froben* à *Bâle* en 1541. Il y a apparence, qu'il eût laissé d'autres preuves de son savoir, s'il n'eut été prévenu d'une mort soudaine vers l'an 1543. Étant Ambassadeur à Venise il avait eu d'une demoiselle de cette ville *Jean-Antoine de Baïf*, qu'il fit élever avec beaucoup de soin. Mais celui-ci perdit son père, étant extrêmement jeune et étudia sous d'*Aurat*. *Ronsard* était alors son condisciple, et se couchant extrémement tard, il réveillait de Baïf qui prenait sa place, de sorte que par cette belle émulation ils firent l'un et l'autre un merveilleux progrès dans les sciences et principalement dans les langues grecque et latine. De Baïf faisait en ces deux langues de bons vers. Il voulut éprouver, si l'on pourrait faire des vers français mesurés à la façon de ceux des anciens; mais ce dessin ne lui réussit pas. Il publia divers ouvrages de sa façon, comme les Amours de Francine et de Méline, imprimés à Paris en 1555, Mimes et Proverbes. Etrennes de Poésie française etc. On représenta en 1567 devant le Roi Charles IX une comédie dont de Baïf était l'auteur. Les gens de lettres de son tems parlent avantageusement de lui, et Joachim de Bellay lui adressa des vers qui commencent ainsi:

Docte Baïf des doctes la doctrine etc.

De Baïf n'avait pour tous biens qu'une maison à Paris, dans le fauxbourg Saint Marcel, où il avait établi une manière d'Académie de Musique, et l'on y faisait ordinairement des concerts, qui lui acquirent tant de réputation que toutes les personnes de qualité y venaient, et que le Roi même Henri III les honora souvent de sa présence. Mais les guerres civiles lui firent discontinuer ces agréables exercices, et de Baïf mourut presque en même tems. Ce fut en 1589 * *Paul*

Jove, in Elog. Doct. c. ult., Sainte Marthe, l. 1. Elog. et T. IV. Gall. Christ. La Croix du Maine et du Verdier Vauprivas, Bibl. franç., Opmeer in *Chron. Binet* en la *Vie de Ronse, Blanchard, Hist. des Maît. des Requêt.*« Addas *Baylii* Diction. hist. s. v. et alios.

Galliarum] Numerus pluralis haut facile quidem apud meliores scriptores reperietur, sed *B.* divisionem Galliæ in complures partes respexisse videtur et analogiam, cf. *Cic.* pro *Fonteio* c. 3: scitis, iudices, maximos populi Romani exercitus in *duabus Hispaniis* — fuisse. pro *Leg. Manil.* c. 12: *duabus Hispaniis* et Gallia Cisalpina præsidiis ac navibus confirmata. *Caes.* B. C. 1, 10: Pompeium in *Hispanias* iturum. c. 29: interea veterem exercitum, duas *Hispanias* confirmari. III, c. 73: quod *duas Hispanias,* — pacavissent. *Sallust.* Cat. 18: Pisonem cum exercitu ad obtinendas *duas Hispanias* mittere; ubi videas *Kortium* et *Kritzium. Plin.* Hist. N. 17, 26, 40: *Hispaniarum* vindemitor. *Tac.* Agr. 28: cohors Usipiorum per *Germanias* conscripta. Hinc in *Inscr.* ap. *Grut.* 375, 1: mentio est *duarum Germaniarum,* et 457, 6: *Germaniae superioris.* et 502, 6: *Germaniae inferioris.* — Audias quæ præcipit *Herzogius* ad *Caes.* B. C. III, c. 73 p. 445: Den *Plural* bei *Ländernamen* konnte der Lateiner nur setzen, wo factischer Unterschied und wirkliche geographische Sonderung Statt fand. So verstehe ich auch *Tac.* 28: cohors Usiporum per *Germanias* conscripta, i. e. tum *superiorem*, tum *inferiorem.*«

Legato] i. q. nos dicimus *Ambassadeur, Gesandter.* Scriptores posterioris temporis usurpant vocem penitus barbaram *Ambassiatoris* (*Ambasciatoris, Ambaxiatoris*) e. g. Auctor Breviloq. *Ambassiator est Legatus Principis in arduis negotiis.* Concil. Constantinop. sub Menna Act. 4, p. 696. Edit. 1618. *Heraclius Diaconus Ambasiator Euphraemii Patriarchae Theopolitani. Stephanus Diaconus et Ambasiator Episcopi Caesareensis.* Vide Thyvroezium in Attila c. 13 in Ludovico cap. 4. etc. Vitam S. Zenobii

Episc. Florent. tom. 6. Maii p. 54. — tom. 3. Concil. Hisp. p. 650. v. *Du Cange*, Gloss. T. I. p. 1. s. v.

»Nep. Hannib. c. 7: His magistratibus *legati* Carthaginienses Romam venerunt. *Cic.* Orat. 2, 37: Quum Athenienses ad senatum *legatos* de suis maximis rebus mitterent. pro Arch. c. 4: legati cum mandatis et cum publico testimonio; nos: *Abgesandte mit Commissionen und Creditiven.* de Senect. c. 13: legatum esse apud regem, *königlicher Gesandter sein.*» cf. *Jani* philol. Lexicon der reinen und zierlichen Latinität. Leipz. 1730. 8. p. 133.

quum ad eum scribimus] Editio *Steph.* ubique habet *cum*, qua de ratione scribendi sive ὀρϑογραφίᾳ etiamnum dissentiunt grammatici. *Nolten.* lex. Antibarb. c. 46. s. v. hæc adfert: *cum* coniunctio et adverbium scribitur etiam *quum* et *quom*. *Quom* exolevit: *quum* autem a plurimis eruditis præfertur, omissa altera illa scribendi ratione per *c* et differentiæ ergo præpositioni rectius relicta. Cui distinctioni etiam magnus ille Rhetor, *Quintilianus*, L. 1, c. 7. favet; eique merito adstipulantur *Scaurus*, *Velius Longus*, *Victorinus* in *Orthographiae praeceptis*, et alii recentiores. Atque hæc ipsa differentia incurrit illico in oculos sequentibus locis, obiter in Ciceronis lectione observatis, nempe lib. 2, Ep. 13: *Ego, quum mihi cum illo magna iam gratia esset;* et lib. 3, Ep. 6: *cum illo quum loquerer*, et lib. 3, Ep. 12: *Nondum erat auditum, quum Sextum Villium cum his ad te literis misi;* et lib. 15, Ep. 2: *Quae quum essem in consilio meo cum Rege locutus;* et pro Archia c. 4. neunte: *Quum esset cum L. Lucullo in Ciliciam profectus.* Cellar. p. 121. — *Forcellin.* Thes. L. L. T. I. p. 636. ed. Germ.: »Ad scriptionem quod attinet, placet *Cellario* et aliis discrimen servatum ab antiquis multis, teste *Vel. Long. de Orthogr.* p. 2231. *Capro* p. 2241 et *Terent. Scaur.* p. 2261., ut quando est adverbium temporis, seu coniunctio, *quum* seu *quom* scribatur; *cum* vero, si sit præpositio. Id confirmare etiam *Quintil.* I, 7, probat *Spaldingius*, cum antea *ib.* locus ita legeretur, ut *quom* scribendum doceret pro

adverbio temporis, *quum* pro coniunctione causali, *cum* pro præpositione. In veteribus quidem, quæ exstant, monumentis non facile *quum* inveneris, inquit *Cellarius.* Nam *quom* satis apparet antiquum esse. — Grammaticorum locos de hac controversia classicos legere excerptos poteris in E. J. A. *Seyfertii* libro sane egregio: *auf Geschichte und Kritik gegründete Lat. Sprachlehre (in 5 Bdchen. Brandenb. 1798. 8.)* §. 116 sqq. et §. 1829** imprimis autem consulas *Konr. Leop. Schneider,* Elementarlehre der lat. Sprache, T. I, p. 336 sq. *G. F. Grotefend,* grössere lat. Gram. T. II, §. 194, p. 212. *Zumpt,* lat. Gr. §. 5. *Ramshorn,* lat. Gr. §. 15, 2.

cum quo] *Nolten.* c. 1376: *cum quo* bene: usitatius tamen pro eo *quocum* vel *quicum.* cf. *Cic.* Off. 3, 19. Dignum esse dicunt *quicum* in tenebris mices. *Epp. fam.* 5, 21: Quibuscum essem libenter. Idem *Sull.* 5: *Cum quibus* in ceteris intelligis abfuisse. *Plin.* H. N. XIX, 3, 18: Quidquid sit, *cum quo* decoquatur. — »Optimi quique scriptores præpositionem *cum* ante *relativ.* ponere solent. V. *Prisc.* p. 949. Adde *Cic.* Off. 2, 23, 82: Cum quibus causas cognovit.— Ita sæpius *Quint. cum quo.* V. 3, 6, 13. 14. 16 et al. cf. *Drak.* ad *Liv.* 38, 9. 2. »Annot. in *Forcellini* thes. T. I. p. 636. — Addas *Ramsh.* §. 161, 3, a. —

cum quo nobis — intercessit] Eadem verborum compositio apud *Caes.* B. C. II, 17: necessitudinem quidem sibi nihilo minorem cum Cæsare intercedere. c. 25: Huic et paternum hospitium cum Pompeio et simultas cum Curione intercedebat. *Cic.* ad fam. VI, 13, 5: veteres mihi necessitudines cum his omnibus intercedunt. *Quint.* 15: Is, quicum tibi affinitas, societas, omnes denique causæ et necessitudines veteres intercedebant. *Coel.* 13. f: Quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiæ cum istius mulieris viro. *Terent.* Hec. 3, 1, 25: Magnum nescio quid necesse est evenisse, unde ira *inter eos* intercessit, quæ tam permansit diu. *Cic.* Fam. XIII, 23: Inter nosmetipsos

vetus usus intercedit; et *ib.* 65 in.: multa et magna *inter nos* officia *intercedunt.*

Accurate exponere] Noli dicere hac significatione *exacte,* quod tantum apud scriptores posterioris temporis legitur, ut apud *Gell.* N. A. 1, 3: Theophrastus super hac re exactius, quam Cicero, disserit. *Mela* I. prooem: Dicam alias plura et exactius. *Sidon.* Ep. 5, 11: Exactissime pascere. et 7, 9: ut exacte perorantibus mos est. cf. *Vorst.* de Lat. Mer. Susp. 266. *Cellar.* Cur. post. p. 114. *Hadrian.* Card. de Eleg. Lat. Serm. p. 151. *Grysar,* Antibarb. p. 285. *Krebs* Anltg. z. Lateinschr. p. 602. (Ed. 5ta.) Contra *Cic.* p. Arch. c. 8: Quæ vero accurate cogitateque scripsisset, ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent! Off. I, 2: accurate copioseque a philosophis disputata. Brut. 22: studiose accurateque aliquid facere, ib. 80: accurate et exquisite disputare. ad Attic. 8, 12. Accuratius mihi perscribas velim. Addas *Weber,* Uebungsschule 17, 65.

exponere] *Cic.* fin. 4, 1: tam multa memoriter, tam obscura dilucide exposuisti, 3, 4: rem pluribus verbis exponere. *Caecil.* 8, 27: Vitam alterius totam *explicare,* atque eam non modo in animis iudicum, sed etiam in oculis conspectuque omnium *exponere.*

in praesentia] *Nep.* Alc. 4: Quiescendum in præsentia. *Them.* 8: Huc quum venisset, et in præsentia rex abesset. *Liv.* 24, 22: Tutiorem ratus esse viam, si in præsentia tempori cessisset. *Caes.* B. G. 1, 15: Suos a prœlio continebat, ac satis habebat in præsentia hostem populationibus prohibere. *Cic.* Fin. 5, 8: Sed quoniam non possunt omnia simul dici, hæc in præsentia nota esse debebunt; ad Att. 15, 20: Hoc video in præsentia opus esse. Famil. 4, 5: Quæ in præsentia mihi in mentem venerant, decrevi brevi ad te perscribere. *Quinctil.* X, 7, 22: vis omnis intendenda rebus et in præsentia remittendum aliquid ex cura verborum. Vid. *Spalding.* ann. ad hunc locum. *Ter.* Ad. 5, 2, 14: Provisum est, ne in præsentia hæc hinc abeat.

Nolten. Antib. c. 988: Ita Cicero alibi sæpe, itemque Cæsar, Livius, Nepos, Plinius: licet *Henricus Stephanus* in *Pseudo-Cicerone* suo p. 98: non dubitet scribere, suspecta sibi esse loca omnia, ubi *in praesentia* sit exaratum; quum tamen hic *Stephanus* paucis ante paginis, nempe pagina 93, ita ipse loquatur. (»*Libere dicam, quod sentio, suspecti sunt mihi loci omnes, ubi in praesentia legitur.*«) cf. *F. Hand* ad Gronov. Antidiatr. p. 261. *Ruperti* ad Tac. Agric. c. 31. p. 293. *Drakenb.* ad Liv. VI, 26, 8. *Walther* ad Tac. Ann. I, 76. *Dähne* ad Nep. Milt. 7, 6, *Herzog.* z. Cæs. B. C. I, 6, p. 33 et c. 42, p. 123 al. De voce *impraesentiarum,* cuius fides adhuc in dubium vocatur, videas *Nolten.* Antib. p. 1004. *Perizon.* ad Sanct. Min. II, 3, p. 171. *Cellar.* Antib. 115. *Cur. post.* Prolegg. p. 11 et 178. *Günth.* Lat. Rest 289 sq. *Erasm.* in Vall. 224. *Kappium* ad Jensium 17 sq. *Bangium* Obs. Philol. p. 1418. *Voss.* de Vit. Serm. 109 et 806. *Godofr. Hecht* de Formula *Impraesentiarum.* Witteb. 1709. *Jani* philol. Lex. p. 874. *Voss.* lex. Etym. p. 407 s. v. præsens. *Sciopp.* Comment. de Styl. Histor. 118. *Gesner.* Thes. L. L. T. II, c. 1014. *Ruddim.* 1, 312 et 2, 334. *Goerenz.* ad Cic. fin. 1, 17, 55. *Weber.* lat. Uebungssch. p. 69, 62. *Habicht.* Syn. p. 366, 531. *Ramsh.* Lat. Gr. §. 150, 4. Not. 1, S. 469. Synon. Th. II, p. 46, 688. *Paufler Bremi* et *Dähne* ad Nepot. Hannib. VI, 2. *Nic. Gottfr. Eichhoff,* (præceptoris optimi) *Uebers. des Nep. Frankf.* 1815. p. 489. *Grysar.* Antib. p. 354 imprimis *Doederl.* Syn. T. 1. p. 139 sq. et III, p. 312: qui laudat *Maium* in Edit. *Fronton.* Ep. Edit. 1823 et *Burm.* Syllog. Epp. T. 1, p. 53. *Lindem.* ad Vitt. Hemst. et Ruhnk. p. 59** »*In praesentiarum.* Formula suspecta, a qua sibi caveant adolescentes. Ortam putant ex male intellectis verbis: *in praesentia rerum.* Saltem iuris videtur vocabulum, translatum illud e sermone vulgari. Nam præter Nepotem et Tacitum, ubi lectio incerta est, nemo probatiorum eo invenitur usus esse.» *Beier* comparat Gr. ἐμποδών et nostrum *unterdessen — unter (der Zeit, der Dauer) dessen*

Conspectum omnium huius vocis interpretationum præbet Edit. Germ. *Forcellini* Thes. T. II, p. 478.

in hoc laborandum est, ut] Magna adhuc de diversa *laborandi* et *elaborandi* significatione quum sit controversia, virorum doctissimorum hac de re sententias tironum in usum brevi in conspectu huc esse putavi transscribendas.

Forcellin. Thes. L. L. II. p. 150: »*Laborare* est vires in aliquo opere exercere cum molestia et frustratione: *elaborare* vero habet aduinctam significationem aut fructus, quem in laborando spectes, aut finis, quem habiturus labor sit.« *Bremi* ad Cic. Finn. 1, 4, p. 19: (*debeo profecto, quantumcunque possim in eo quoque elaborare, ut sint opera, studio, labore meo doctiores cives mei.*) Multi Codd. habent *laborare.* Quum ista sæpissime in Mss. confundantur, ita VV. DD. plerumque illam varietatem notarunt, quasi nihil sit inter utrumque discriminis, proferentes nonnisi exempla, quibus utramque lectionem per se bonam esse probarent. Si quis hæc verba ex usu consideret, quem in compositis plurimum observabit, in eam facile suspicionem veniet, ut *elaborare* de iis rebus dicatur, in quibus summum et indefessum studium ponitur (plerumque enim vim intensivam verbo addet præpositio) *laborare* autem de iis, quibus aliqua, sed non maxima opera tribuitur. At falleretur. Nam *elaborare* de aliqua re, non de maxima opera dicitur. Hinc sæpissime additur *maxime, summo studio* et similia. *Laborare* autem summam industriam, omnem virium contentionem indicat. Hæc, ut alia mittam, docent exempla ab *Heusingeris* ad librum de Off. 1, 1, 6. allata, qui quidem ipsi nihil inter utrumque vocabulum discriminis statuunt. His tamen utique non negatur, duo hæc verba interdum significatione etiam inter se confundi: proprie tamen illud erat discrimen.« *Goerenz.* ad eund. locum, p. 14: (*elaborare.*) Tres quoque mei, editique veteres sat multi *laborare:* ita scribæ pæne ubique hoc in verbo. vide *Heusingg.* ad I Off. 1, 6. sed *Bremi* h. l. compositi verbi discrimen a simplici constituens, nemini sane, qui de compositorum verborum

ratione accuratius cogitavit, hoc persuadebit, ut, cum simplex *summam industriam, omnemque virium intentionem* notet, *elaborare* de *aliqua, non* autem *maxima opera* dicatur. Utroque potius *opera cum gravi, atque inde etiam molesta nonnumquam, virium contentione,* exprimitur; hac tamen differentia, ut, qui *elaboret,* rei quoque, in qua laborat, *effectum spectet:* quod plus minus ubique valere debet, nisi de composito recte posito iure sis dubitaturus. Hoc discrimen et verbi natura et loca, quæ nos observavimus, omnia probant. Ita 1 Orat. 59, 251 *elaborare* tentandum non erat: minus etiam II. Orat. 57, 231. » *Gernhard* ad Cic. Off. I, 1. p. 5: Equidem dixerim *elaborare* de aliqua opera eaque non intermissa: *laborare* est magnam operam per aliquod tempus collocare. V. c. 32 p. 116.» cf. eundem ad de *Senect.* VII, 24. *Oxner.* ad *Olivet.* Eclog. C. IX, p. 259 (Ed. 1828): In *laborare* liegt, wie in πονεῖν, der Begriff des Mühseligen, Beschwerlichen, der Anstrengung; *elaborare,* entsprechend dem Griechisch. ἐπιτηδεύειν, μελετᾶν, wird vornehmlich von freier Thätigkeit zu einem gewissen Zwecke gebraucht, soviel als *operam dare alicui rei,* und setzt Vernunft und Wille voraus. Man sagt *elaborare in studiis, litteris,* mit denen man sich beschäftigt; hat man dabei nichts als Mühe und Arbeit ohne Erfolg, ohne irgend eine Absicht zu erreichen, so bleibt uns das einfache *laborare.* De *Nat. Deor.* III, 24. *Off.* I, 1. *Beier* ad Off. I, 1, 3: Utriusque verbi discrimen accurate enucleavit *Gernhard* ad *Cat. Mai.* 7, 24: Sic, ut in v. *laborare* ad primam *virium in aliquo opere exercendarum* notionem accedat in aliis locis *molestiae* aut *frustrationis* cogitatio; unde facta ab agendo ad patiendum transgressione, in aliis locis sit *curare, sollicitum esse,* denique *malo vexari* in aliis; *elaborare* adiunctum habeat aut fructus, quem in laborando spectes, aut finis, quem habiturus labor sit, significationem; esse igitur i. q. *labore sic, ut res,* in qua vires expromas, *eventum suum habeat aut ad exitum perducatur, assiduo laborare, rem laborando*

subigere. Comprehendamus igitur quæstionis summam, credamusque, *laborare* esse simpliciter *laborem in aliqua re collocare,* quod etiam frustra fieri potest; *elaborare, laborem* in aliqua re *exhauriri, laborare usque ad finem, efficere aliquid labore, laborando aliquid assequi, non frustra laborare.* Etenim *e* præpos. in compositis indicat *emersionem* ex illa re, quam verbum simplex exprimit. » *Krebs* Anltg. z. Lateinschr. p. 599 (Ed. Vta): *elaborare* aliquid, *etwas verfertigen, ausarbeiten,* kommt bei keinem Klassiker vor für *facere, perficere* und bei schriftlichen Sachen *scribere.* Jenes *elaborare* wird nur mit *in aliqua re* verbunden und heisst *sich anstrengen, mit Anstrengung und Mühe arbeiten.* Wenn aber selbst bei Cicero (*Manil.* I. nihil perfectum ingenio, *elaboratum* industria. Orat. II. versus *elaborati* u. a.) das Part. *elaboratus, ausgearbeitet,* die Verbindung *elaborare aliquid* zu beweisen scheint, so ist der Beweis nur scheinbar, da solche Participien bekanntlich auch von solchen Verben gebildet werden, welche activ nicht mit einem Accusative verbunden werden. Man denke an *triumphatus, persuasus, dominatus* u. a.« *Frotscher.* ad *Quinct.* Instt. L. X, c. 4 p. 164: »Satis frequens Quinctiliano est transitivus huius verbi usus, quem Ciceroni sine idonea caussa etiam nunc abiudicat *Krebsius* (*Anltg z. Lateinschr. p. 570*). *Brut.* c. 90, 312: Deinceps inde multæ (caussæ), quas non minus diligenter *elaboratas,* et tanquam *elucubratas* afferebamus.« Nec vero simplicis verbi similiter positi exempla desunt. *Tacit.* Germ. c. 5. » Frumenta ceterosque fructus — *laborant.*« *Stat.* Theb. III, 279. Marti Venus de Vulcano: »ipsique *laboret* Arma tibi.« *Quinctil.* XII, 6, 5. »*laboratam* — dierum ac noctium studio actionen.» et IX, 4, 144. cf. *Spald.* ad II, 3, 6. Neque adduci ego possum, ut probem Schützium, quod apud *Cic.* Cael. c. 21. sic rescripsit: quum *elaborata proferri viderentur.* Enim vero vulgatam illic lectionem restituendam censeo.« cf. *Garat.* ad h. l. (22, 54.) *Grysar* Antibarb. S. 320: *Laborare* hat selten den transitiven Begriff des *Be-*

wirkens, sondern des *ungestrengten Arbeitens*, des sich *Bemühens*, ja sogar des *Leidens*. *Elaborare* hat denselben Begriff, nur dass es zugleich den der *Ausdauer bis zu einem gewissen Resultate involvirt*.» (cf. *Habicht* Syn. p. 390.) *Ramsh.* Syn. Th. II, p. 133, 781: »Bei *laborare* wird auf den Effekt keine Rücksicht genommen; dieses findet aber Statt bei — *elaborare*, sich abmühen, bis man erschöpft ist; Etwas durch Mühe zu Stande bringen, ausarbeiten.» *Döderl.* Syn. Th. I. S. 116*: »*Laborare* ist bei Prosaikern nur selten ein Transitivum, aber regelmässig in der Composition *elaborare* d. h. durch die übernommenen Beschwerden ein Resultat herausbringen; wie auch *piscari* ein Neutrum, *expiscari* ein Transitivum ist. *Cic.* Off. I, 1, 3: Id quidem nemini video Græcorum obtigisse, ut idem utroque in genere *elaboraret*, d. h. productiv als *Schriftsteller* arbeitete; denn ob nicht mancher Grieche sich für sich allein mit beiden Fächern beschäftigt hätte, *laboravisset*, konnte Cicero nicht wissen, noch behaupten; vgl. ausser *Beier* das. *Gernhard* (s. oben) *Ellendt* zu Cic. Brut. 7, 25, p. 25.» *Wolf* Vorles. z. Cic. Tuscul. p. 327 ed. *Orell.*: *Elaborare* in aliqua re, seinen Fleiss auf etwas wenden; *laborare* in aliquá re, ètwas mühselig betreiben.« *Kühner* ad Cic. Tusc. I, 1, 1. p. 47 (ed. alt.) »Utrumque recte dicitur: *elaborare* et *laborare* in aliqua re, ut in studiis, litteris, sed aliquo sententiæ discrimine. *Laborare* enim est in re aliqua studiose atque enixe agenda tractandaque versari, notione adiuncta vel molestiæ, vel difficultatis, vel frustrationis, vel curæ sollicitudinisve; *elaborare* contra est *e labore* in aliqua re collocato quasi *emergere* et vel ad speratum fructum, vel ad propositum finem pervenire, omninoque laborando aliquid effectum dare: hinc semper ponitur, ubi non de anxia, sed de liberiore quadam agendi ratione sermo est.«

in eo ipso declarando, quare scribo] cf. *Rutil. Lup.* II, §. 6. p. 153. *Frotsch.*: »Hæc si præsens agit, ut dixi, respublica, quid animi *estis* habituri, quæro. — De hoc in-

dic. modo observat *Ruhnken*. hæc: Nesciebat *R. Stephanus*, quod nunc pueri sciunt, indicativum modum sæpissime iungi interrogativis indefinite positis, corrigebatque adeo: *quid animi essetis habituri, quaero,* in quo cœcum ducem secuti sint Gryph. et Lovan. Ipse Rutilius §. 8. huius libri: *Quaeres a me,* — quo iure mihi Polyænus *reliquit,* prætor *dedit possessionem,* et §. 10. *cum quaerimus, quid dicimus.* Aliorum scriptorum exempla quamvis multa in promptu sunt. Sed sufficiunt collecta a *Malaspina* in Ciceron. ad Att. XIV, 13. et *Burm.* ad *Lucan.* I, 126. *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 5. p. 144. 312. *Heusinger* ad *Ovid.* Heroid. XV, 4. Ergänzungsbl. der *Jen.* A. L.-Z. 1821. Nr. 78. S. 235. *Burm.* Miscell. obs. III. p. 256. *Corte* ad Sal. Jug. IV, 4. *Heind.* ad *Cic.* N. D. II, 6, 18 et ad *Horat.* Sat. I, 2, 23. *Goerenz* ad Cic. *Finn.* IV, c. XXIV, §. 67. p. 504. *Gernh.* ad I Off. 7, 26. *Creuz.* ad N. D. 1, 41. extr. Fragm. Orat. in Tog. Cand. p. 1051. Ern. *Frotscher.* ad Quintil. Inst. Orat. X, 1. pr. *Ruddim.* Synt. I, 2. p. 347. *Oxner.* ad. Oliv. Eclog. I, p. 29. *Matth.* ad *Cic.* pr. Rosc. Am. 30, 83. *Ellendt* ad Brut. c. 3, 13. *Ramsh.* Gr. Lat. §. 174, 2. not. 2, p. 497 sq. (ed. 1m.) *Zumpt* Ann. in Verr. 2, 53 et Gr. Lat. §. 533 p. 475.

Oxn. l. l. p. 28: »Es sind in der That doch zu viele, wo in dergleichen mittelbaren Fragesätzen der Indicativ gefunden wird, als dass man so eigenmächtig verfahren dürfte: am häufigsten freilich bei Dichtern und bei solchen Schriftstellern, die sich mancherlei Græcismen erlauben etc.« *Frotsch.* ad Quinct. l. l. p. 8: »Quinctilianus et Cicero et optimi quique scriptores in obliqua etiam oratione cum interrogandi particulis et pronominibus haud raro iungunt indicativum, quem nemo opinor, variandæ orationis caussa poni credet, quicumque, quæ sit et huiusmodi natura et talium interrogationum simplex nativaque conformatio, recte et diligenter consideraverit.» *Kritz.* in *Sallust.* Jug. c. IV. p. 21: »Ut paucis dicam, indicativum prægressa interrogativa enunciatione tum ponunt Latini, ubi posterio-

rum enunciationem ita volunt efferre, ut non ab eius subiecti, quod primarium est, *cogitatione* apta sit, sed ut res absolute posita vere esse intelligatur eiusque veritas gravius asseratur. V. notata ad Catil. c. XX, 5. *Caes.* B. C. II, 32, 11. *Diligentiam quidem nostram, aut quem ad finem adhuc res processit, cur praeteream?* *Cic.* Agrar. III, 4, 17. *Et quoniam qua de caussa et quorum caussa ille hoc p r o m u l g a v i t ostendi.* p. Rosc. Amen. c. 30, 83. *Quaeramus ubi maleficium et est et inveniri potest;* ubi Matthias plura laudavit, etc. *Kühner* in *Cic.* Tusc. V, 41, 121 etc. 429: »Equidem hoc mihi videor observasse, Ciceronem in euiusmodi interrogationibus obliquis indicativum non admisisse, nisi 1) ubi pronomen demonstrativum ante relativum suppleri potest, ut de Fin. IV, 24, 67. at quo *nituntur* homines acuti argumento — operæ pretium est considerare (h. e. argumentum, quo) Senect. IV, 12. nihil admirabilius quam quomodo mortem filii *tulit* (h. e. quam modus quo). cf. de Sen. VI, 18. senatui, quæ *sunt* gerenda, præscribo (h. e. ea, quæ sunt gerenda; alii male: *sint*) — 2) ubi orationis vigore interrogatio non oblique, sed directe infertur, ut p. Rosc. Am. XXX, 83. quæramus ubi maleficium et *est* et inveniri *potest.* Ad. Attic. VII, 12. si discedet Pompeius, quo aut qua aut quid nobis agendum est, nescio (h. e. quid nobis agendum est? nescio.) Supra I, 5, 10. dic, quæso: *Num* te illa *terrent*? Eiusmodi locis, in quibus leguntur terminationes — *unt* — *untur* pro — *int* — *antur*, ut *sunt* pro *sint*, *exquirunt* pro *exquirant*, *coluntur* pro *colantur*, porro — *vit* pro *rit*, ut *quaesivit* pro *quaesirit*, *promulgavit* pro *promulgarit*, — *um* pro *im*, ut *sum* pro *sim* — *itur* pro *atur*, ut *loquitur* pro *loquatur*, per literarum similitudinem nihil effici ac demonstrari potest. Plerumque his locis Codd. et Edd. veteres variant. Eleganter de hac re disputavit *Otto* ad Finn. IV, 24, 67. Multa exempla collegit *Ramsh*, Lat. Gr. §. 174, p. 712 sq. Ed. II. sed non satis distribute distinxit, multa etiam attulit, quorum lectio aperte falsa est. Quæ *Handius* ad Wopk. p. 203 sq. docuit,

mihi quidem non satisfecerunt. De Offic. II, 7, 23. declarat, quantum odium hominum *valet* ad pestem« recte nunc a Stuerenburgo legitur *valeat.* Corruptelæ caussa posita videtur in seq. vocula *ad.*

(Occasione data cf. de modo indic. post *an* in interrog. obl. *Schaef.* ad Plin. Epp. VII, 20, 6. et *Wolf* ad or. ad Quir. p. Red. I, 4.)

culpam] Vid. *Doederl.* Syn. II, p. 151, 52. *Ruhnken.* ad *Terent.* Hec. I, 2, 79. *Heindorf.* ad *Hor.* Sat. I, 2, 76. (*Wopkens.* Lectt. Tull. I, 14 p. 112.

Deprecor] Scriptum etiam reperitur *depraecor*, cf. *Beier.* ad *Cic.* fragm. p. Scauro 218, 6. — De huius verbi notione multiplici cf *Gell.* N. A. VI, 16. ibique *Gronov. Manut.* ad *Cic.* epp. fam. VIII, 1. *Corte* ad easdem epp. IV, 7, 14. *Burm.* ad *Quinctil.* Institt. III, 6, p. 240 et ad *Propert.* 2, 25, 17. *Ruhnken.* ad *Rutil. Lup.* p. 29. *Graev.* ad Auct. ad *Herenn.* I, 11. *Drakenb.* ad *Liv.* 40, 15. *Gesner.* ad *Quinctil.* l. l. p. 130. Eiusd. *Thes.* L. L. s. voce. *Bremi* ad *Nep.* Att. XII, 2. et ad *Sueton.* Cæs. 29. *Mueller* ad *Cic.* d. orat. I, 20, 90 p. 62. *Frotsch.* ad *Rutil. Lup.* I, §. 7. p. 102, b. *Herzog.* ad *Caes.* B. G. II, 31 p. 150. et B. C. I, 5. p. 23. *Kritz.* ad *Sall.* Jug. c. CIV. §. 3. p. 567. *Kühner.* ad *Cic.* Tusc. V, 19, p. 390 (ed. alt.) —

scelere] cf. *Döderl.* Syn. II, p. 143 sq.

certe] Quid discriminis sit inter *certe* et *certo*, cognoscere poteris ex *Charisii*, Institt. Grammat. lib. II. p. 185. ed. *Putsch*, ex *Herzog.* ad *Caes.* B. G. VII, c. 31. p. 353. *Moser.* ad *Cic.* de Republ. I, 5. p. 26. *Gernh.* ad *Cic.* de Senect. cap. I. *Ramsh.* Syn. Th. II, p. 211, nr. 264. *Grysar Theorie des lat. Stils*, p. 508 sq. *Klotz.* Annotatt. critt. p. 73 sq. edit. suæ *Catonis Maioris* (Lips. 1831), *W. Freund.* Lat. Wörterb. 1. Bd. p. 727 (Leipz. 1834). *Kritz.* ad Sall. Catil. LI, 16. p. 246. *Hand* de Particc. Lat. Vol. II, p. 15 sq. *Kritz.* ad *Sall.* Jug. c. IX, p. 47. (Lips. 1834.) *Herzog.* ad Quinctil. X, p. 91. *Zumpt.* ad Cic. Lib.

I. in Verr. I. *Stuerenburg.* ad Cic. p. Arch. §. 32, p. 191 sq. *Kühner.* ad Tuscul. I, 1, 2 p. 47: »semper *certe* habet vim affirmativam, ponit aliquid, non concedit; sed affirmatio potest esse, ut barbare loquar, aut *subiectiva*, i. e. ad loquentis iudicium relata, aut *obiectiva* s. generalis, i. e. ad factum relata. cf. infra c. II, 24: c. 32, 78. *Certo* significat rationem vel iudicium pervenit.» cf. adhuc *Zumpt.* Gr. Lat. §. 264, ann. I. *Krebs* Anltg z. Lateinschr. §. 598.

ad viri boni officium pertinebat] *Cic.* Rosc. Am. 13: »*Illa res ad meum officium pertinet.* cf. etiam Offic. I, 2: *In officio colendo sita est vitae honestas omnis et in negligendo turpitudo.*» De vocis *officii* vi et significatione consulas *Herzog.* ad Cæs. B. G. V. 27. p. 268.

summa contentione et totis viribus enitendum est] cf. *Sall.* Cat. I, §. 1: *omnis homines — summa ope niti decet.* *Cic.* Orat. 4: *Nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit.* Epp. ad *Attic.* XIV, 14: *omni ope atque opera enitar, ut cet.*

non patiar — non feram] Sæpissime hoc modo *ferre* (*perferre*) et *pati* coniunguntur. cf. *Cic.* I. Catil. c. 5. §. 10: *non feram, non patiar, non sinam.* *Terent.* Andr. I, 1, 35: *facile omnes perferre ac pati.* ibiq. *Ruhnk.* *Caes.* B. G. VII, c. 30 exeunte: *ut omnia, quae imperarentur, sibi patienda et perferenda existimarent.* ibiq. *Herzog.*

ingratitudinis] Vox barbara ideoque prorsus fugienda! *Nolten.* Antib. 424: »Recte monent VV. DD. summam adhibendam esse cautionem in respiciendis huiusmodi Substantivis, in *udo* desinentibus; quum forma nulla sit, quæ sub specie probatæ Latinitatis magis decipere possit et v. g. *claritudo*, pro quo tamen *Cicero* habet *claritas*, *habitudo*, quod apud *Terentium* occurrit; item *magnitudo*, *planitudo*, *sollicitudo*, *nigritudo*, *lassitudo*, *crassitudo*, *similitudo*, *amaritudo*, *amplitudo*, *albitudo*, *fortitudo*, *valetudo*, *adsuetudo*, *consuetudo*, *desuetudo*, *inquietudo*, et alia bonæ notæ sint. Ita enim, quæ barbara sunt, sub hac specie ab incautis rerum arbitris recepta sunt, v. g. *aptitudo* apud

ipsum *Schefferum; certitudo* apud ipsum *Scioppium; promptitudo* apud ipsum *Boeclerum;* item *incertitudo, gratitudo, ingratitudo, infinitudo, rectitudo* apud viros Latine ceteroquin doctos occurrentia. *Cellar.* Antib. 51. *Günther.* Latin. Rest. 53. *Mechovii* Antiphila 194. — Neque ferendus usquequaque est *Gellius* Lib. 13, c. 3; *acerbitudo*, inquiens, *dicatur, an acerbitas, nihil refert; uti nihil interest, suavitudo dicas an suavitas, sanctitudo an sanctitas, acritudo an acritas. Acerbitas* enim *Cicero, Cornelius* et optimus quisque; *acerbitudo* apud neminem veterum: *suavitas,* Cicero, Plinius, Quintilianus; *suavitudo* non nisi apud *Plautum: sanctitas* Cicero sæpissime; *sanctitudo* autem non nisi rarissime; *acritas* autem et *acritudo* eiusdem census videntur esse; neutrum enim veteres habent: sed pro eo Quintil. *acor,* Cato *acrimonia;* Plinius *asperitas* Lib. 9. c. 35, ubi *asperitate aceti* et *vi margaritas in tabem resolvi* scribit.» c. 547: *gratitudo,* vocabulum veteribus ignotum: Lat. *gratus animus et beneficii memor: grata mens; grati animi virtus; gratiae referendae voluntas; beneficii memoriae; beneficiorum grata recordatio; grata voluntas; memor in bene meritos animus; grati animi significatio; sempiterna memoria colere alicuius beneficia cet.* *Idem iudicium esto de vocabulo *ingratitudo;* pro quo Cicero *ingrati animi crimen subire:* nisi quod Julius Firmicus et Cassiodorus eo usi sunt. *Voss.* de vit. 68. *Sciopp.* Jud. de Stil. Hist. 184 et 222 ubi *Lipsium* et *Thuanum,* vocabulo *gratitudinis* usos notat. Vorst. de Latinit. Mer. Susp. 62 sq. *Borrich.* Cogit. 30. *Goclen.* Obs. 10. Silv. Barb. 33. *Cellar.* Antib. 39. C. P. 355 etc.

Jul. Caes. Scaliger Exerc. 317. Sect. 2: *Gratitudo,* inquit, *barbarum est et non necessarium: non enim reperitur res ipsa in animis mortalium: at ingratitudo, ut aeque barbara, ita maxime necessaria vox ad significandum id, quod frequentius, quam sol ipse, invenitur.*»

Buchner. ad Fabr. in Voc. *Barbarismus: Quid piaculi* inquit, *admiserit, qui nova verba invenerit propter ino-*

piam veterum — modo analogiae ratio custodiatur? Sic ingratudinis recepta est vox, quae apud neminem veterum exstat, necessaria tamen ad denotandum vitium deterrimum, quod huc usque nomine destituebatur.

Verum enimvero, quod contra *Buchnerum* notandum, quis negaverit, ἀχαριστίας crimen Ciceronis ætati tam fuisse familiare, quam nostræ? nec tamen propterea necessarium arbitrati sunt, fingere nomen *ingratudinis*; quod tamen facile potuissent. Cicero certe quum toties de re, quam *ingratitudinem* vulgo dicunt, in scriptis suis egerit: numquam tamen vocabulo eo, sed græco nomine, quod paullo ante diximus, ἀχαριστία usus est. (*Cic.* Epp. ad Att. 9, 6: *sed ita meruisse illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen subire non audeam.*) Et recte viri docti, qui vocabula et locutiones græcas, in Epistolis Ciceronis occurentes, interpretati sunt, fecerunt quod vocabulum ἀχαριστίας non *ingratitudinis* sed *ingrati animi* verterunt: et *Seneca* in septem integris libris de Beneficiis, quum de ipsis rebus, quas hodie vocabulis *gratitudo* et *ingratitudo* exprimunt, fuse ageret; numquam tamen ipsis illis vocabulis usus est, sed perpetuo periphrasi *animi grati ingratique* eas res expressit. Ceterum an et quando liceat ὀνοματοποιεῖν, et nova fingere vocabula, vid. *Hadrianum Cardinalem* de Serm. Lat. 19, sq. et 24 sq. *C. A. Heumannum* in Epist. Crit. de Jure L. L. augendi novis vocabulis, et *Mechovium* in Antiphila p. 91. et 196 etc. « *Cellar.* Antib. p. 58: imprimis aureum libellum: *Aphorismen üb. d. lat. Schreibart der Neuern,* p. 16. sq. (Ed. alt.) *Ingratitudo* pro vitio ingrati animi priscis Latinis ingrata vox fuit, quam Cicero ita horruit, ut Græce rem exprimeret, quam verbo uti non satis Latino maluerit. Nam lib IX Attic. Ep. VII ait: *ita meruisse illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen subire non audeam.* Latine circumscribendum est. *Livius* lib. XXXVI c. XX: *castigati tantum verbis Boeoti ob ingratum in tantis tamque recentibus beneficiis animum erga Romanos.* Primus qui usus sit hoc vocabulo obscurum: nec tamen antiquior nobis ob-

servatus, quam *Julius Firmicus* fuit, cuius hæc sunt verba lib. V Astrol. c. I: *multos fovendo suscipiet, ac multis vitae alimenta praestabit, sed erunt circa ipsum ingratitudinis vitio inquinati.* Succedit *Cassiodorus,* scriptor duobus seculis posterior Firmico. Is lib. V. ep. VIII ait, *sine ingratitudinis naevo delegata explicabili procurare consilio,* quamquam de sensu Cassiodori dubitari potest, an notam seu crimen ingrati animi intellexerit. Certe lib. I. Epist. XXX. hoc ipso vocabulo aliter usus est.» cf. Eiusd. *Curae Poster.* p. 308. *Jani* philol. Lex. p. 927. *Gessner* Thes. L. L. T. II c. 1113. *Krebs* Anltg. p. 610. Nescio cur omiserit Grysarius in Antib. p. 314. —

Quis sit *ingratus,* dicit *Senec.* Benef. III, 1: *Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus, qui dissimulat: ingratus, qui non reddit: ingratissimus omnium, qui oblitus est.*«

vitii deterrimi] De ὀρθογραφίᾳ *teter et taeter* scribit *Nolten.* p. 178: Diphthongus est Virgilii Medicei et lapidis apud *Gruterum* p. 658: favent eidem etiam vulgaris derivatio a *taedet,* et glossae *Philoxeni,* in quibus est: Σικχαντός, tædiosus, tæter.

E simplex est complurium librorum emendate editorum. *Cell. Voss.* Etym. it. Art. Gr. 152. Cod. palimps. *Frontonis* editus iterum ab *A. Maio* p. 162 habet *taetra. Furlan.* in Thes. *Forcell.* s. v.

ut est apud Ciceronem] ad Att. 8, 4: *Nihil cognovi ingratius: in quo vitio nihil mali non inest.*

maculam] »*Labes depravat; macula variat; nota insignit.*» cf *Doederl.* Syn. T. I, p. 134. *Ramsh.* Syn. T. II, p. 130, Nr. 778.

quod quidem] quidem i. q. *sane, profecto.* cf. *Grysar* p. 573 sq. *Bremi* ad Nep. Hann. II, 6. *Hertel* ad Tac. Agric. XVII, p. 34. Sæpius *certe quidem* ita connectitur, cf. *Cic.* Senect. 2, 7: *volumus quidem certe senes fieri,* ad Div. I, 9, 66: *me quidem certe tuarum actionum — socium habebis.* Acad. II, 7, 32. De Off. I, 39, Legg. I,

13. pr. Tusc. I, 29. V, 9. Verr. II, 2, 74. et IV, 21. extr. al. Consulas de hac signif. *Herm.* ad Vig. p. 828 (γέ τοι) *Frotscher.* in ind. ad Xen. Hieron. *Zumpt.* §. 63. *Hand.* ad Tursell. II, p. 27. *Otto.* ad Cic. Senect. 2, 7. *Herzog.* ad Quintil. X, p. 91. *Kühn.* ad Tusc. V, 20, 60. De *quidem relativis* postposito cf. *Hartung*, Particc. T. I, p. 410.

non solum legisse — verum etiam probasse] *Non solum — verum etiam.* cf. *Zumpt* §. 724. Sæpius *etiam* omittitur, ut Græc. *οὐ μόνον ἀλλά.* cf. Tac. Germ. 10: *non solum apud plebem, sed apud proceres.* De formula *non modo* pro *non modo non* cf. *Spalding* ad Quintil. II, 1, 2. *Zumptii* Supplem. p. 213. *Heindorf.* ad N. D. p. 348. *Stallb.* ad Ruddim. 2, p. 361, Nr. 8. — *Matth.* ad Cic. Mur. 3, 8. De *non modo sed* omisso *etiam* cf. *Kritz.* ad Sall. Cat. 18, 7. *Heusing.* ad *Cic.* Off. I, 44. *Bremi.* ad Nep. Cim. 4, 1. *Goerenz.* ad Cic. Legg. 3, 11, 25. et ad I, 14, 41. *Matth.* ad Catil. 3, 10, 24 et *Passow.* ad Tac. Germ. 13 extr. quos laudat Lex. *Forcell.* T. III, p. 176 ed Hertel. — Addas velim *Beierum* ad Cic. Off. I, c. 21. p. 165. III, c. 29, p. 382. *Krause* ad Vell. II, 28, 4 pr.

Stürenburg in Annotat. ad *Cic.* pro Arch. p. 34 de hac re omnium optime disserit his verbis: c. 2. *quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat.* Hoc loco quamvis arripuisse dicar hanc occasionem, docendi erunt homines docti, apud unum fere tantum Ciceronem hoc *verum* legi in dictionibus *non modo (non solum) verum etiam.* Certe nec apud scriptorem rhethoricorum ad *Herennium*, nec apud Cæsarem, nec apud Cornelium Nepotem, neque apud Livium, neque apud Tacitum ullo loco istud *verum* in istis dictionibus inveni sed hi scriptores tum sola utuntur particula *sed.* Præter Ciceronis autem locos plurimos paucissima mihi annotavi exempla, unum ex epistola *Quinti* Fr. ad *Marcum* apud Cic. *fam.* XVI, 16, 2: *Amo te omnibus equidem maximis de caussis, verum etiam propter hanc, vel quod mihi sic, ut debuisti, nuntiasti; h. e. aber auch.* Tum præterea in epi-

stola Planci ad *Ciceronem* apud Cic. ad fam. X, 17, 2: *Sed ego eum non solum hortatus sum, verum etiam coegi isto proficisci.* Denique bis apud Sallust. B. I, 89 in: *muniti adversum hostes non moenibus modo et armis atque viris, verum etiam multo magis locorum asperitate.* in Cic. 3, 6: *Atque parum est, quod impune fecisti, verum etiam commemorando exprobras, neque licet oblivisci his servitutis tuae.* Apud Ciceronem vero, ut iam supra dixi, sæpissime legitur hoc *verum etiam;* sed, ut fit, alio tempore sæpius illud usurpavit, alio fere abstinuit. Sic in nostra oratiuncula septies invenitur *non modo (non solum) — verum etiam.* §. 3, 4, 5, 6, 14, 21, 31, bis tantum *non modo (non solum) — sed etiam.* §. 11, 22. Contra *B. Balb.* sexies quidem legitur *non modo (non solum) — sed etiam* §. 4, 8, 13, 26, 27, 28. sed ne semel quidem *verum etiam.* p. *L. Man.* duodecies *non modo (non solum) — sed etiam* §. 12, 14, 15, 16, 27, 28, 47, 48, 55, 56, 61, 67. nullo loco *verum etiam. p. Planc.* decies *non modo (non solum) — sed etiam* §. 3, 6, 19, 63, 78, 79, 80, 81, 91, 104, semel *non solum — verum etiam* §. 23. p. *Sest.* quinquies decies *non modo (non solum) — sed etiam* §. 1, 14, 25 bis, 33, 49, 67, 73, 79, 85, 100, 107, 120, 123, 142, semel tantum *verum etiam* §. 9 in *Brut.* semel et vicies *non modo (non solum) — sed etiam* §. 26, 34, 52, 68, 84, 88, 93, 113, 116, 126, 132, 151, 153, 159, 171, 226, 246, 254, 255, 289, 325, bis tantum *verum etiam* §. 247, 319. Atque hæc quidem ratio est in unoquoque fere Tulli opere, ut non raro quidem usurpaverit *non modo (non solum — verum etiam,* verumtamen sæpius multo *non modo (non solum) — sed etiam.* Et profecto, quod est exquisitius, quodque antiquam sapit dicendi consuetudinem, id non fere debet sæpius usurpari, quam id, quod est simplicius et usitatius. Quod autem in nostra Cicero oratiuncula multo sæpius dixit *non modo (non solum) — verum etiam,* id casu potius quam consilio factum est, nisi forte quis contendat, Tullium in peroranda hacce

levissima causa exquisitissima quæque verba sectatum esse cum ipsa materies ad causam bene agendam eum fere defecerit. — At quamvis sæpe Cicero usus sit *non modo* (*non solum*) — *verum etiam*, rarissime (bis scilicet) apud eum invenitur *non modo non* — *verum ne* — *quidem*, p. *Rosc. Am.* 19, 54: *quod planum facere non modo non possis, verum ne coneris quidem.* ad Att. I, 11, 1: *Sed, cum omnia fecisse, non modo eam voluntatem eius, quae fuerat erga te, recuperare non potui, verum ne caussam quidem elicere immutatae voluntatis.* Sic semel *non modo* — *verum ne* — *quidem* d. Rep. III, 30, 42. *Multas tu quidem, inquit, Laeli, saepe caussas ita defendisti, ut ego non modo tecum Servium Galbam, collegam nostrum, quem tu, quoad vixit, omnibus anteponebas, verum ne Atticorum quidem oratorum quemquam aut sua* ***.

aestimandum esset] *Ruhnken.* ad Vell. Pat. II, 42. princ. *Zumpt.* §. 518 et 520. *Ramsh.* §. 166 2, c. Not. *Ruddim.* Institutt. T. II, p. 379 Stallb. *A. Grotefend.* Schulgr. §. 184 p. 150. *Baumgartners* Lat. Gr. Sulzb. 1819. §. 531. *Krebs.* Anltg. z. Lateinschr. §. 296. imprimis autem *Kruegers Untersuchungg. üb. lat. Spr.* II. Heft, p. 333. *Hartung griech. Partik.* Th. II, p. 235 sq. *Gernh.* ad Læl. Exc. 1, p. 238 sq. *Kritz.* ad Sall. Catil. LI, 4. *Beneke* ad Cic. Catil. I, 1, 2 p. 15 et ad III, c. 9, §. 22 p. 233. *Matth.* Gr. Gr. §. 510. Eiusd. *Eloq. Lat. Exempl.* p. 195. *Kühn.* ad Cic. Tusc. 1, 49, p. 163 et II, 19, 43 et *Eiusd.* Gr. Gr. §. 821, Anm. 4.

Addebat — *te*] Rarior sane huius verbi iunctura pro vulg. *quod* vel *ut*, quam haut facile reperias nisi apud Cic. de Finn. 2, 17, 55: *Addebat etiam, se in legem Voconiam iuratum contra eam facere non audere, nisi aliter amicis videretur.* p. Mil. 35, 96: *Addit haec fortes et sapientes viros non tam praemia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta etc.* Contra *Ovid.* Pont. 2, 9, 49: *Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes Emollit mores nec sinit esse feros.* *Cic.* Tusc. III, 31, 75: *Additur ad hanc*

definitionem a Zenone recte, ut illa opinio praesentis male sit recens; ibique *Kühner.* et ad III, 3, 5 p. 230.

casus sustentandos] cf. *Plin.* Ep. 9, 30 f.: *quos praecipue indigere scias, sustentare et fovere.* »*Ter.* Ad. 3, 5, 3: *Hic alit illas: solus omnem familiam sustentat.*« *Cic. Prov. cons. 5 med.:* Qui se nunc subsidiis patrimonii aut amicorum liberalitate sustentant. *Cic. in Sen. 5:* »Cum suam rem confecisset, egestatem et luxuriam domestico lenocinio sustentavit.« *Coel.* 16: alere adolescentes et parsimoniam patrum suis sumptibus sustentare.

in tempore] i. e. *tempestive, opportune. Ter.* Heaut. 2, 3, 123; *in tempore ad eum veni, quod rerum omnium est primum.* Andr. 3, 2, F: atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam. *Liv.* 33, 5: Nisi pedites equitesque in tempore subvenissent. 2, 48: At a Veiente hoste clades accepta temeritate alterius consulis: actumque de exercitu foret, ni Cæso Fabius in tempore subsidio venisset. *Tac.* Ann. 1, 58: Puer quo ludibrio conflictatus sit, in tempore memorabo. cf. *Vorst. de Lat. fals. susp. p. 28. Jani* phil. lex. c. 1672. *Cellar.* Antib. p 195. *Nolten.* c. 1511: »*in tempore* non significat *satis mature, bei Zeiten;* sed *iusto* et *opportuno tempore, zu rechter Zeit.*« Vid. præter hos *Nic. Heins.* ad Ovid. Her. 4, 109. *Beier* ad Cic. Off. III, 14, 58. p. 283. *Ruhnk.* ad Rutil. Lup. p. 85. *Frotsch. Drakenb.* ad Liv. VIII, 7, 5. *Donat.* ad Terent. Andr. III, 2, 52. *Zumpt.* §. 475. *Stallb.* ad *Ruddim.* Gr. II, p. 289. *Heindorf.* ad Hor. Sat. 1, 5, 47. *Kritz.* ad Sall. Catil. 48, 5 p. 222 et Jug. LVI, §. 2 p. 307. *Beneke* ad Cic. Cat. 1, 6 p. 66. *Krebs* Anltg. §. 83, 1. *Georges* in Luenem. lex. Lat. c. 1462. *in tempore*, im rechten Augenblick; *hoc tempore*, in diesem Augenblick; *in hoc tempore*, in diesem entscheidenden Augenblicke; *in his temporibus*, in diesen ungünstigen Augenblicken; *hac tempestate*, in dieser Periode.«

legissemque tibi gratias] cf. *Jani* c. 791 sq. *Nolten.* c. 1471 sq. *Ruhnken. Praef.* ad *Schelleri* Lex. p. 512. ed.

Friedemann: Vere monet *Lagomarsinus* ad *Poggiani* Epist. T. III, p. 305. Latinos semper dicere, *gratias agere* at *gratiam referre* aut *habere* cum *agere* coniungitur, recteque adeo *Lambinum* in *Cicerone* Phil. III, 15. pro *gratiae referantur* scribere *gratia referatur.* Sic etiam Bentleius in *Terentio* Andr. IV, 4,31. pro *Dis pol habeo gratias* e MSS. edidit *gratiam*« *Bremi* et *Dähne* z. Nep. Them. c. VIII. p. 54. (ed. III.) *Beneke* z. Cic. Catil. I, c. 5, §. 11 p. 48. *A. Forbiger,* Aufgaben zur Bildg. des lat. Stils, XX, 51. *Krebs* l. l. p. 606. *Grysar* Antibarb. p. 302. *Doederl.* Syn. T. II, p. 213: *gratiam oder gratias habere,* Dank *wissen, χάριν εἰδέναι; gratias agere,* Dank *sagen, εὐχαριστεῖν; gratiam referre,* sich dankbar *beweisen, χάριν φέρειν, ἀντιχαρίζεσθαι. Kraft. Annotat. ad Epp. Bentleii* p. 280. *Georges* in Lünem. lex. Lat. s. v. *gratia* et *Eiusd. Lex. Germ. Lat.* s. v. *Dank.* et *Forcellini Thes.* L. L. s. v. *gratia.*

vel — vel] »Non disiungit *vel,* sed in similium cognatarumque rerum enumeratione usurpatur: et ut valde differt ab *aut* (*aut* Cæsar *aut* nihil) ita non potest idem esse cum *et.* Aliud est: Cicero *et orator fuit et philosophus,* aliud si dicas *vel orator vel philosophus.*« *Frotscher* ad *Quinctil.* X, 1, §. 47 p. 46. Coniungendi potius quam excludendi vim habere vocabula patere dicitur ex *Kritzii* Annot. ad Sall. Catil. c. XXVI, 2 p. 124: »*aut* particula, semel posita, non semper excludit alterum vocabulum, sed etiam rebus non genere sed specie diversis coniungendis adhibetur; cf. *Heusing.* ad Cic. Off. III, 13, 3.« Idem ad Catil. c. LII, 33. Jug. III, p. 16. XXXI, 23. XLI, 8. *Caes.* B. C. II, 32, 11. *Hand* de Particc. Lat. T. I, p. 535. II, 1 sq. — »*Aut* semper dissimilia coniungit, — *aut* — *aut* diversissima quæque sibi opponit (*aut Caesar aut nihil*); *vel* autem et *vel — vel* — in rerum similium cognatarumve enumeratione usurpatur.« *Forcellini* thes. s. v. ed. Germ. *Bremi* z. Nep. Alcib. 1, §. 1. *Grysar* l. l. p. 504 sqq. *Beneke* ad Cic. Cat. II, §. 1, 1. p. 107: »*Vel* von *velle* giebt eine subjective Disiunction, indem man die Theilung der

Willkühr überlässt. Cic. Acadd. II, 15, 45: *maiore quadam opus est vel arte vel diligentia.*« *Herzog* ad Cæs. B. G. IV, c. 30 p. 234. (*Winer*) *Aphorismen üb. d. lat. Schreibart d. Neuern* p. 20. *Aug. Grotefend Commentar zu den Materialien lat. Stilübungen* p. 151 sq. *Eiusd.* lat. Schulgr. p. 293 §. 363. *Friedr. Grotefend.* gröss. lat. Gr. §. 128, 6 p. 205. *Weber Uebgsschule für d. lat. Stil.* p. 13, 26. *Zumpt.* §. 336, p. 308. *Ramsh.* §. 180, 1, p. 529 (Ed. prior). *O. Schulz* ausf. lat. Gr. §. 105, D. 15 sq. p. 628 sq. (ed. prior) *Bleibimhaus* lat. Schulgr. §. 657 p. 465. *Billroth* lat. Schulgr. §. 286, 335. *Döleke* deutsch-lat. Gr. p. 186, 7 u. a.

per literas] Scribitur quoque *littera* duplici *t*, de qua VV. DD. controversia vid. *K. L. Schneider*, Elementarl. d. lat. Spr. p. 445 sq. *G. Fr. Grotefend* grössere lat. Gr. T. II, §. 185 p. 202 et §. 192, p. 210. *Döderlin.* Syn. T. III. p. 210, 5. voculam nostram cum *Prisciano* (I, 2, 3: *Dicitur autem litera vel quasi legitera, quod legendi iter praebeat*) a *legendo* ducit.

Nolten. antib. c. 92: »*Littera* elemento geminato, libri veteres, speciatim Pandectæ Florentini, et lapides; neque tantum in vorsa ita scribitur, quod nonnulli putant, sed etiam in prorsa. Nusquam enim prima sillaba corripitur, sed producitur semper, ut adeo mirum videatur, nonnullos eo processisse, ut dicant litteram T in metro tantum geminari, ut producatur prima. Apage ineptias, et argumenta ignorantiae! Etymologia, quia est varia et incerta, et maximam partem absurda, scripturae veterum obloqui haud debebat« *Cell. Lips.*

coram] »*Coram* indiget adiectione: *Palam* non indiget. *Coram* ad certas personas refertur. *Palam* ad omnes. *Donat.* it. *Strauchii* Lexicon Particularum Juris p. 36. Col. 6. *Nolten.* lex. c. 885. — *Cic.* fam. 13, 6: *Coram P. Cuspio* tecum locutus sum, *Pis.* 6: Mihi vero ipsi, *coram genero meo, propinquo* tuo, quæ dicere ausus es? *Famil.* 12, 14 a med.: Mihi promiserunt Pansa et Hirtius *coram*, et

absenti mihi scripserunt. 2, 9: et quasi tecum *coram* loquerer. *Attic.* 12, 1: cum *coram* sumus, et garrimus quicquid in buccam. *Virg.* Aen. 1, 599: Improvisus ait: *coram,* quem quæritis, adsumi. cf. *Caes.* B. G. 1, 32, p. 70. *Herz.* *Plin.* Paneg. 1, 5: »Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Jove ipso *coram* ac palam repertus est; *coram* pertinet ad Jovem; *palam* significat in omnium conspectu, in Capitolio. V. integrum locum eiusque *interpr.*« *Forcell.* Thes. s. v. *coram.* Adeas etiam, si placet, *Ramsh.* Syn. T. 1. p. 91. *Herzog.* ad Cæs. B. G. V, c. XI, p. 253. *Weber,* Uebungssch. p. 33, 73. *Grysar.* Theorie p. 420 al.

discrucior animi] Genitivus *animi* in hoc verbo solummodo *Plauto* et *Terentio* familiaris. Vid. *Plaut.* Aulul. 1, 2, 27: *Discrucior animi,* quia ab domo abeundum est mihi. *Terent.* Ad. 4, 4, 1: *Discrucior animi,* hoccine de improviso mali mihi obiici. cf. *Ruddim.* Institutt. II. p. 118.

ne — aliquid] Dicendum erat *quicquam.* cf. *Zumpt.* §. 136 et §. 709. *Grysar.* p. 108 sq. *Krebs* Anltg. §. 131. *Ramsh.* §. 87, A, b. p. 115. *Forbiger,* Aufgaben, p. 197, 34. *A. Grotefend,* Comment. p. 299. Exc. IX. Omnium accuratissime de hac re disputat *Stuerenb.* ad Cic. Off. Comment. II. c. 1. p. 158 et C. X, Tab. III, p. 207 c. XI. Tab. IV. p. 211. c. XII. p. 212 sq. imprimis c. XIV. p. 218 sq. et *Kühner.* ad Cic. Tusc. IV, 25, 55: »Quæ de Ciceroniano vocabulorum *ullus* et *quisquam* usu nuperrime a *Stuerenburgo* in Commentat. II. c. 10 et 11. sagacissime indagata sunt, paucis verbis comprehensa in tironum gratiam communicabo. Pronomen *quisquam* ut *nemo* proprie vim habet *substantivi,* sed ut *nemo,* sic *quisquam* sæpe etiam *adiectivi* vices sustinet; contra pron. *ullus*, ut *nullus,* proprie adiectivum est, sed, ut *nullus,* sæpe etiam substantivi munere fungitur. Verum non omnes pariter casus horum pronominum hanc vel illam vim habent, sed certi quidam casus, ut hæc tabula demonstrabit:

a. *Substantivum.*

N. *quisquam* (nunquam *ullus*)
G. *cuiusquam* (rarius *ullius*)
D. *cuiquam* (nunquam *ulli*)
Ac. *quenquam* (semel *ullum*)
A. (*quoquam* raro) plerumque *ullo*.

b. *Adiectivum.*

N. *quisquam* scriptor (nunquam *ullus* scr.)
G. *cuiusquam* scriptoris (nunq. *ullius* scr.)
D. *cuiquam* scriptori (nunq. *ulli* scr.)
Ac. *quenquam* scriptorem et *ullum* scr.
A. (*quoquam homine* semel) *ullo* scriptore.

Etiam hoc addendum est, Ciceronem, ut dicere soleat *nemo homo, nemini homini, neminem hominem,* sic semper dixisse *quisquam homo, cuiusquam hominis, cuiquam homini, quemquam hominem,* nunquam *ullus homo, ullius hominis, ulli homini, ullum hominem;* in ablativo autem interdum *ullo homine* et semel tantum *quoquam homine.*«

sinistri] cf. *Ramsh.* Syn. T. II. nr. 788, p. 140.

loquutum] »*Locutus* et *loquutus*: prius tamen præferendum, quia lapides plurimi per C referunt, et toties in nummis Cæsarum exstans vox *adlocutio,* numquam, quod sciam, *adloquutio,* eidem patrocinari scripturæ videtur.» *Nolten.* c. 106. cum quo conferas velim K. L. *Schneid.* lat. Elementarl. p. 332. et *F. Grotef.* l. l. §. 194 T. II. p. 212.

unquam] »*umquam* per *M,* libri accuratius emendati habent, Virgilii et aliorum; *unquam* per *N,* vetus inscriptio apud *Manutium* p. 497 et Grut. p. 607, n. 4.* Qui vero *numquam* scribunt quod supra *Manutius* defendit, eos ratio urget etiam *umquam* scribere.« *Cell.* Addas *K. L. Schneid.* l. l. p. 308. *Fr. Grotef.* l. l. §. 195 T. II. p. 213. —

persuaderi sinis] De vi atque potestate *sinendi* cf. *Habicht,* Synon. Handwörterb. p. 315, 445. *Ramsh.* Syn. T. 1. p. 452, 572. *Grysar.* p. 343. *Weber,* Uebungssch. p. 124, 7: »*Pati,* sich hingeben mit Passivität, sich gefal-

len lassen; *sinere,* zulassen, nichts dagegen thun, iubere, thun lassen, heissen.« *Doederl.* Syn. T. III. p. 262, 5: »*Pati* ist dadurch von *sinere* unterschieden, dass *sinere,* losslassen, ein *sinnliches* Gestatten ausdrückt, indem man jemand nicht festhält, noch physisch hindert; *pati,* geschehen lassen, mehr ein *intellectuelles,* indem man gegen etwas keinen Einspruch thut.« *Cic.* Tusc. III, 17, 36: Frugalitas, quæ te turpiter ac nequiter facere nihil *patiatur* . . . ne iustitia quidem te *sinet* ista facere. Aus diesem Verhältniss, demnach *sinere* die handelnde Person, *pati* dagegen die Handlung selbt zum unmittelbaren Object hat, folgt auch für die Syntaxis, dass *pati* mit dem Infinitivus, *sinere* in der Regel mit *ut* construirt wird.«

durius accipies] *Cic.* ad Att. 1, 1, §. 4: »*Durius accipere* hoc mihi visus est, quam vellem et quam homines belli solent.«

Egone — essem] *Krebs* Anltg. §. 369. Cic. 1, Catil. c. 9, §. 22: Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat?, tu ut umquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exsilium cogites?

nullo meo merito] cf. *Cic.* Sest. 17 med. Cæsar, qui a me *nullo meo merito* alienus esse debebat. *Vat.* ad *Cic. fam.* 5, 9. Mea fortuna, nescio quomodo, obtrectatores invenit, *non meo* quidem mehercules *merito.* *Liv.* 40, 15. med. Hodie me primum aperte frater accusat, *nullo meo* in se *merito.* cf. *Ovid.* Her. 5, 7: Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est.

de meis epistolis] *Cic.* Q. Fr. 1, 1, 13, 37: Hoc est epistolæ proprium, ut is, ad quem scribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat. 3, 1, 3, 8: Venio nunc ad tuas *literas*; quas pluribus *epistolis* (Sendungen, Packeten vid. *Web.* Uebgssch. p. 252), accepi, dum sum in Arpinati.

»*Epistola* bene: Græce enim est ἐπιστολή: ita enim libri veteres et saxa; itemque Analogia in *Apostolus.* *Epistula* per *u* habent Pandectæ Florentini et interdum inscriptiones marmorum. *Voss.* de Vit. 57. it. Art. Gr. 147.

Schurzfl. Lips. Clerici Biblioth. Select. 4, 14, p. 31. V. antique interdum pro *o* et versa vice.« *Nolten.* l. l. c. 57. *F. Grotefend,* ausf. lat. Gr. T. II, §. 173, S. 188 et *Beier* ad Cic. fragm. XLIV.

animi candor] cf. *Doederl.* Syn. T. III, p. 196, 6 sq. *Candoris* significatio translata poetis tantummodo frequentata scriptoribusque pedestribus, qui post Augustum floruerunt, usitata. Vid. *Freund* lat. Wörterb. T. 1. p. 644.

doctorum omnium] Vid. *Zumpt.* §. 363. — »Differunt *doctus* et *eruditus,* si vim vocum spectes, in eo, quod *eruditus* est qui simpliciter ruditatem exuit: *doctus,* cui præterea accessit institutio et doctrina. Si vero usum, *eruditus* plus est quam *doctus,* quod præter doctrinam in schola acquisitam, multarum sibi rerum cognitionem lectione et studio comparavit. Præterea *doctus* intelligi potest in gravioribus disciplinis, *eruditus* in literatura: tametsi hæc perpetua non sunt.« *Forcell.* Thes. s. v. — »*Doctus* est, qui optimarum artium scientia excellit: *eruditus,* qui aliqua est humanitate imbutus, quasi minime rudis: *Literatus,* qui est sciens et peritus literarum. Itaque *Doctus* plus est quam *Eruditus* aut Literatus: sicut *doctrina* plus est, quam *Eruditio:* et *doceo* plus est quam *erudio. Popma.* Vide etiam *Nolten.* c. 917 sq. *Grysar.* p. 277. *Ramsh.* Syn. T. 1. p. 381, Nr. 477, c. *Habicht.* p. 269. *Georges* deutsch-lat. WB. Bd. 1. 1245: »*doctus,* überh. der, welcher sowohl eine artistische, als wissenschaftliche Ausbildung erlangt hat; *eruditus,* durch Schule und Studien wissenschaftlich gebildet; *literatus,* der, welcher mit der Literatur, besonders der philologischen und historischen sich beschäftigt.»

me iam adeptum] *Web.* lat. Uebgsch. p. 11, 100: *Adipisci* erreichen nach Anstrengung, *accipere* nach eines Dritten Zustimmung oder Willen hinnehmen, *nancisci* durch glückliches Ungefähr antreffen.» cf. etiam *A. Grotef.* Comment. p. 138: »*nancisci* wird nur da gebraucht, wo ein günstiger Umstand gemeint ist. Z. B. *Cic.* Arch. poet. 3.

nactus est consules. *Caes.* B. C. II, 14: tempestatem nactus. Jedoch liegt in *nancisci* nicht so der Begriff des vorhergehenden Strebens oder Wunsches, wie in *assequi, consequi, adipisci. Habicht* p. 107, 149: *assequi* bezeichnet das *Habhaftwerden* eines Etwas, das man nicht nothwendig durch planmässiges Verfahren erreicht und dessen Erreichung zugleich von Umständen oder zufälligen Verkettungen der Dinge abhängig, erst mit dem Besitz des Gegenstandes anhebt, *consequi* — die *Erreichung* eines Zwecks, auf den man nach einem *Plane* hingearbeitet hat. *Acquirere* gebraucht man nur dann, wenn man durch Anstrengung, durch eignes Verdienst sich Etwas *erworben* — *Adipisci,* wenn man durch *Gunst* oder *Mühe* — *Impetrare* durch *Bitten* oder *Vorstellungen* — *Nancisci* durch einen *glücklichen* oder *unglücklichen Zufall* Etwas *erlangt* oder *erhalten hat* — *Obtinere* hat die allgemeinste Bedeutung, indem es von *jedem* Erlangen und Habhaftwerden gebraucht wird, es mag durch *Bemühung*, *Gunst* oder *Zufall* geschehen.« Addas *Doederl.* Syn. III, p. 145, 12. IV, p. 369. *Ramsh.* Syn. T. II, p. 37, Nr. 680.

frequentius] *Kritz.* ad Sall. Jug. c. XLV p. 257: *Creber* et *frequens* et de rebus et de personis usurpatur, quanquam de illis *creber*, de his *frequens* magis in usu est; sed *creber* proprie de iis dicitur, quæ in unum *locum* constipata et quasi coarctata *minimo intervallo a se distant vel se excipiunt;* contra *frequens* de iis dicitur, quorum magna copia aut multitudo adest, ita ut ad *iustum aut certe magnum numerum nihil desit.*« Addas *Doederl.* T. 1 p. 19 sq. T. III, p. 305. *Habicht.* p. 214, nr. 303. *Ramsh.* T. 1. p. 206, 260. *Grysar.* p. 587 sq. *Hand.* Tursell. II. p. 133 sq.

bonarum artium] Vid. *Forbiger.* Aufg. Nr. V, 46. nos: *schöne Wissenschaften*, de quibus agit *J. Hartm. Eberhardt:* Ueber den Zustand der schönen Wissenschaften bei den Römern. Aus d. *Schwed.* mit Zusätzen. Alt. 1801. 8. p. 4 opponuntur *bonis* et *ingenuis* artibus artes *sordi-*

dae τέχναι βάναυσαι Arist. Polit. 8, 1. *Grauff.* ad *Luciani Somn.* p 76 et 190. (*Bern.* 836. 8.) *Francogalli: belles lettres.* cf. etiam Aug. *Wolf*, Darstellg. der Alterthumswiss. p. 45 sq.

patroni] *Ascon.* in *Div. Verr.* 4: Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, si orator est; aut advocatus, si aut ius suggerit, aut præsentiam suam commodat amico; aut procurator, si negotium suscipit; aut cognitor, si præsentis caussam novit, et sic tuetur ut suam. *Donat.* ad Terent. Eun. IV, sc. 6, p. 1357: »*Patronus* aut temporale nomen est defensoris, aut certe appellatio, per quam ostenditur, quid illi cultus aut obsequii debeatur.« *Valla* Eleg. Serm. L. IV, c. 12: »*Patronus*, qui accusatum defendit vel quemcunque alium afflictum: *advocatus*, quicunque paratus venit alium defendere, etiamsi nihil agat.«

fortasse] Caveas vulgatum illud *forsan* et *forte.* cf. *Nolten.* Antib. p. 958. *Jani* lexic. p. 750. *Krebs* Anltg. §. 588 et p. 604. *Forbiger*, l. l. Nr. LIII p. 153, 27. *Grysar.* p. 523. *A. Grotefend,* Comment. 1, §. 34, 4. *Zumpt.* §. 727. et in *Aufg. z. lat. Stil* p. 255. *Matthiae* ad Exempl. Eloq. Lat. p. 220. *Schaef.* ad Eurip. Orest. 775. ed. Pors. Lips. 1824. *Wyttenb.* Epp. Sodal. Philom. p. 139—142. Opusc. ed. Friedem. T. 1, p. 327. *Kraft.* ad *Muret.* Varr. Lectt. p. 250, Nr. 2. *Wolf.* Annall. litt. p. IV, p. 331. *Mahne* ad Wyttenb. op. 1, p. 329. *Kraft.* ad *Epp. Bentleii, Graevii* etc. p. 306, Ep. III, 2. *Idem* ad Epp. *Ruhnken* p. 164. *Lindem.* ad Vitt. Duum virr. p. 75 et 110. *Hand.* ad *Horat. Tursell.* T. II. p. 739 sq. *A. Grotef.* Gr. §. 334. *Bergm.* in annotat. ad Vit. Ruhnk. p. 395 sq. *Friedem.* ad *Ruhnken.* Oratt. ed. Brunsvig. 1828 p. 250 et 532. *Manut.* ad Cic. Epp. fam. II, ep. XIII, in *Beier* ad Off. II, 43 et 193, al.

imprimis] »*in primis* divise, ut *cum primis:* nec bene *inprimis.* Est enim, *in praecipuis*, seu *inter primos et principes;* id quod si observatur, minus confunduntur inter se, quæ idem significare quidem videntur, non autem plane significant, *in primis*, *praesertim*, *praecipue*, *maxime.*

Discernitur etiam ita a secunda persona verbi *imprimis* ab *imprimo*. *Cell.*

In primis, si quid inter primos collocari debet. *Cum primis*, si quid præcipuis iungendum est. *Praesertim* si quid ante omnia dicendum est. *Praecipue*, si quid omnibus reliquis præferendum est. *Maxime*, si quid ut plurimum fit, vel maiorum vim et auctoritatem habet. *Nolten.* c. 85. *Jani* c. 877. *Grysar.* p. 533 sq. *Forbiger* Nr. XLV, p. 124, 16. *Kritz.* ad Sall. Cat. c. LX, §. 6, p. 322 et ad Jug. VI, I. *Kühner.* ad Cic. Tusc. 1, c. 48, §. 116, p. 162. et in primis. *Herzog.* ad Cæs. B. G. VII, 30 p. 428. *Schneider. Formenl.* p. 314.

paulo] Scribitur quoque *paullo* duplici *l*. Quo iure consulas *Nolten.* c. 135. C. Z. *Schneid.* Formenl. p. 412. 484 et *G. Fr. Grotefend*, lat. Gr. T. II, §. 186 et 189.

non velim] *Cic.* Orator, §. 154: »Libenter — copulando verba iungebant ut *sodes* pro *si audes*, *sis* pro *si vis*; iam in uno *capsis* tria verba sunt, *ain'* pro *aisne*, *nequire*, pro *non quire*, *malle* pro *magis velle*, *nolle* pro *non velle*.

sine fuco] *Cic.* Att. 1, 1: Prensat unus P. Galba sine fuco ac fallaciis, more maiorum. *Q. Cic. Petit. cons.* 9: »Si eum qui tibi promiserit, fucum ut dicitur, facere audieris.«

ruent enim studia] Haud scio an noster locum illum Cic. Manil. §. 19 (*ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefactata motu concidant*) in animo habuerit.

fortunarum mearum tenuitate] *Cic. fil. Tiron. Fam.* 16, 16: med: *ut possum ex meis angustiis* illius sustento tenuitatem.

solummodo] *Cellar.* Curæ posterr. p. 189: Si veteri auctoritate standum est, non video, ad quem provocari possit, præter *Plinium*, qui lib. XXXIV, 8 sub fin. *Non aere*, inquit, *captus nec arte*, *unam solummodo Zenonis statuam Cypria in expeditione non vendidit Cato.* Contra *Tantummodo* omnium omnis ætatis scriptorum est. *Vorstius* ergo, quem fugisse videtur exemplum Plinianum, in

additis ad iteratam editionem Latinitatis Merito suspectæ c. 32. putat, in nullo eorum auctorum, qui iuventuti commendari solent, reperiri. At præterea etiam tritissimum est scriptoribus Christianis; extra Ecclesiam, quod miror, apud eiusdem temporis scriptores reperire non potui: nisi *Ulpiani* Lege 1, §. 3. Dig. de Aleatoribus *solummodo poenatem actionem denegatam:* nisi forte Tribonianismus est quod ex Lege 1 D. de penu legata apparet, ubi etiam *solummodo in praestatione esse:* extrema autem lege vox *indevotio* videtur *Brissónio* quoque a Tribonio potius, quam *Ulpiano* esse. Ecclesiasticorum testimonia quædam afferam, *Tertullianus* de Resurr. Carn. c. 26. *Judaei,* inquit, *terrena solummodo sperando caelestia amittunt. Minucius Felix* in Octavio c. 35. sect 6: *Nos uxoribus nostris solummodo viri nascimur. Hieronymus* Epist. XIII. ad Paullinum, si Crucis et Resurrectionis loca 1 *Monachorum turbis solummodo frequentarentur. Cassiodorus* v. 16: »*illud solummodo perfectum dicitur, quod de voluntate simul et actione laudatur.*« Antibarb. p. 143: *solummodo* rarum antiquis adeo, ut *Joannes Vorstius* de bonitate dubitaverit. *Plinius* habet lib. XXXIV c. VIII. »Reliqui qui utuntur, posterioris dignitatis atque temporis sunt et quod miror, ecclesiastici vel omnes vel plerique. Tutius et antiquius est *Tantummodo.*« *Nolten.* Antib. c. 1176. *Jani* c. 1590. *Krebs* Anltg. p. 635 *Grysar.* p. 541. *Frotsch.* ad *Quinctil.* Institt. Orr. X, c. 1. §. 8: Quod legitur in ed. *Colon.* (1527) *non enim solummodo,* id apud hunc quidem scriptorem repudiari non poterit. Sic Serm. Declamat. 247: »sed non hoc *solummodo* erit.« At vero multi et idonei post Plinium et Quinctilianum scriptores consulto ab eo vocabulo abstinuerunt; unde inter rara et singularia refertur. Quam ob rem abstineant eo etiam tirones, quum habeant, quo utantur, alterum *tantummodo.*

sollicitudine] Alias scribitur *solicitudine,* uno *l,* de qua ὀρθογραφίᾳ audias *Nolten.* c. 169 sic disputantem; *sollicitus* per duplex LL, tutius, quam *solicitus* per L unum.

LL duplex habent libri veteres, teste *Vossio* Etymol. ad voc. *sollicitus*, et inscriptiones apud Manutium, teste *Cellario:* cui scripturæ favet etiam Etymologia verior ab adiectivo Osco *sollus* i. e. *totus*, quasi sit *solum cito*, hoc est, *totum commoveo:* ab eodem autem etymo Osco deducitur *sollemnis* et *sollers:* de quibus iam vidimus.

L simplex nititur: 1) derivatione *Festi* a *solum* i. e. *locus* et *cito* ex *cieo*, quasi sit *loco* aut *de sententia movere*; 2) falsa illa persuasione, primam in hoc vocabulo corripi, apud Poetas quidem produci per Diplasiasmum; quum tamen, quod sciam, nullum eius certum et indubitatum correptionis exemplum in omni antiquitate exstat.« *C. L. Schneider Elementarl.* p. 417: *sollicitus* ist nicht wegen der Ableitung von *sollus*, welche sehr ungewiss, sondern deshalb rathsamer als *solicitus*, weil bloss jenes (sollic.) auf alten Denkmälern vorzukommen scheint. Den bei *Cellarius* nachgewiesenen Beispielen ist beizugesellen *Grut.* p. 607. Nr. 4, 1. p. 982. Nr. 3. *sollicitare.* vgl. auch *Voss.* Etym. s. v. *sollicito.*« *F. G. Grotef.* Gr. T. II. p. 203.

nempe] *Frotsch.* ad Quinctil. Instit. Orr. X, c. 2, §. 4: De hac particula quomodo sentiendum sit quoniam etiam nunc permulti videntur ignorare, operæ pretium facturum me putavi, si adscriberem verba *Heindorfii* (ad Horat. Sat. 1, 10, 1. p. 207): »*Nempe*, nirgends unser *nämlich*, überall eine halbfragende Versicherungspartikel, so dass man seiner Sache gewiss voraussetzt und andeutet, auch der Andere gebe sie zu, unser *doch wohl*, *doch*. Daher oft im Unwillen oder mit einigem Trotze, auch ironisch.« Nec multum ab Heindorffio discrepabat alius V. D., quum nescio quo loco scriberet hoc: »*Nempe* bedeutete nur in dem Küchen-, Kloster- und Facultäten-Latein *nämlich*, bei den alten Schriftstellern aber fand es ähnlich dem griech. *οὐκοῦν* seinen Platz mehr im Dialoge und in der Abhandlung, bei lebhafter Unterbrechung des Schriftstellers durch eine mit *quid* an sich selbst gerichtete Frage, und bedeutet etwa unser *nicht wahr*, als Folgerung mit halber Frage, cf. etiam *Nolten.* c. 1057.

Jani. c. 1176. *Grysar.* p. 553. *Herzog.* ad Cæs. B. G. VIII, 1. *Ruhnken.* dict. p. 26. *Spalding.* ad Quinct. III, 8, 9. *Ramsh.* Gr. §. 86, II, 7 et §. 172 p. 691. *Zumpt.* §. 278 et 345. *Corte* ad Lucan. IV, 806. imprimis *Weber.* lat. Uebungssch. p. 3, 21. *Kühner* ad Cic. Tusc. I, 21, 48 p. 97. *Krebs* Anltg. §. 586.

tua] ut τὰ ἡμέτερα res nostræ. cf. *Lucian.* Somn. c. 1. τὰ δὲ ἡμέτερα μικρά τε εἶναι καὶ ταχεῖάν τινα τὴν ἐπικουρίαν ἀπαιτεῖν. *Kühn.* Gr. Gr. §. 474, β. p. 118.

clausum iri] cf. similem locum ap. *Cic.* Off. 2, 15, fi.: Quam ob rem nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit: nec ita reseranda, ut pateat omnibus.

munificentius] *Festus: Munificior* a munifico identidem Cato dixit, quum nunc *Munificentior* dicamus: quamvis munificens non sit in usu.

utriusque linguae — eruditionem consequutus est] cf. *Cic.* Off. 1, 1: ut par sis in utriusque orationis facultate.

occurrunt] in mentem veniunt. cf. *Frotsch.* ad *Quinctil.* J. O. Lib. X, c. 1 p. 15: Satis hæc nota verbi significatio. Monendi sunt tamen tirones, ne credant latine dici, quod frequentant recentiores, *verbum, sententia, locus occurrit apud scriptorem* pro altero *invenitur, reperitur, habetur, legitur.* Nam quod apud Cic. legimus (Orat. c. 32 §. 115) »Hæc tenenda sunt oratori; sæpe enim *occurrunt.*« vix potest aliter intelligi quam ut dicas: *saepe per occasionem offeruntur, ut iis utendum sit.*« Optime *Orellius* ad *Wolfii* scholas in *Cic.* Tusc. p. 349 hæc addit: »Nur gehen einige Eiferer, die uns in ihren Recensionen bei solchem immer den Jani, Nolten und andere Antibarbaros oft auf eine wahrhaft lächerliche Weise citiren, in ihrem Zorne gegen diess *occurrere* viel zu weit. Sobald es den Begriff hat, es tritt mir sehr auffallend, oder meiner früheren Ansicht zuwiderlaufend, entgegen, so ist es ganz richtig, z. B. »*nihil mihi unquam occurrit in Ciceronis libris, quod huic regulae adversaretur.*« cf. de Rep. 1. c. 35. *In primo*

autem genere, quod hoc loco appellatur, occurrit nomen quasi patrium regis. Addas etiam ***Kühner.*** ad h. l. p. 98. ***Matthiae*** Exempl. Eloq. p. 60. ***Wolf.*** Anal. I, p. 491. ***Krebs*** Anltg. in Antibarb. s. v.

promissa exigi] ***Cic.*** Off. III, c. 25, §. 94: Quanto melius fuerat, in hoc promissum patris non esse servatum! Quid, quod Theseus exigit promissum a Neptuno? —

pendeo animi] ***Cic.*** Tusc. IV, 16: qui appropinquans aliquod malum metuit exanimatusque pendet animi. — Ad quem locum recte ***Kühner:*** De legg. 1, 3, 9. ego *animi pendere* soleo. cf. ***Ramsh.*** Lat. Gr. §. III. p. 190. (§. 112. p. 331. Ed. II.) Ceterum in hac similibusque locutionibus *animi* non pro genitivo habeo, sed pro *locativo*, ut in ***domi, humi*** cett. Etiam simpliciter ***pendere*** hac vi ponitur. V. ***Ruhnken.*** Dictata in Terent. Heaut. IV, 3, 5 et ***Wyttenb.*** ad Cic. de legg. 1, 3, p. 25 ***Cr.***

EPISTOLA II.

Fundamenta — iacta] ***Liv.*** 1, 12: *Jupiter, tuis, inquit, iussus avibus hic in Palatino prima urbi fundamenta ieci:* ibiq. ***Drakenb. Cic.*** Philipp. 1, 1 § 1: *In quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis.*

Vaurensis antistitis] ***Lavaur,*** que quelques-uns nomment *l'Avaur* ou *la Vaur, Vaurum,* ville de France en Languedoc, avec Evêché suffragant de Toulouse. Elle est située sur la rivière d'Agout à six lieues de Toulouse. Pierre des Vaux de Cernay en parle dans son Histoire des Albigeois. Isarne, Evêque de Toulouse, donna la Vaur en 1098 à Florard Abbé de Saint-Pons de Thomières, à condition d'y établir un Prieuré, où depuis en 1318 le Pape Jean XXII. fonda un Evêché, dont Roger d'Armagnac fut le premier Prélat. Elle a eu d'autres Evêques de mérite. La cathédrale a douze Chanoines entre lesquels il y a trois dignités, savoir un Prévôt, un Archidiacre et un Sacristain. Ce diocèse a 69 paroisses, et l'Abbaie de Sorèse. On célébra en

1213 un Concile à Lavaur contre Pierre Roi d'Arragon, qui avait pris le parti des hérétiques Albigeois. Le même Pierre des Vaux de Cernay en fait mention dans son Histoire. Catel parle d'un autre Concile tenu l'an 1368 à la présence de Pierre de Narbonne et de Geofroi de Toulouse. **Pierre des Vaux de Cernay*, Hist. Alb. c. 49 et 52. *Catel*, Hist. des Comt. de Toulouse et mémoir. de Langued. *Ste. Marthe* Gall. Christ. etc.« Hæc *Morerius* in Diction. Hist. s. v.

patientia armare] *Cic.* Invent. 1, 1: Qui ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriæ, sed pro his propugnare possit. *Nep.* Dion. VIII, 3: Callicrates se armat imprudentia Dionis. *Ovid.* Met. XIII, 544: Nunc positi spectat vultum, nunc Vulnera nati, vulnera præcipue, seque armat et instruit ira. *Horat.* Ep. 1, 18, 16. Alter rixatur de lana sæpe caprina et Propugnat nugis armatus. *Sil. It.* 1, 183: Armata dolis mens. cf. id. 11, 6; 15, 682.

EPISTOLA III.

Quatenus ostendis] Nos: *in wie fern, in soweit als.* cf. *Cic.* Div. IV, 4: Accipio excusationem *ea parte, quatenus* aut negligentia aut improbitate eorum, qui epistolas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur. *Jani* p. 1454. *Grysar.* p. 580.

parum abest, quin] Caveas ita dicas pro *non multum abest quin.* cf. *Krebs.* Anltg. p. 552, (ed. VII.) *Zumpt.* §. 540; *Ramsh.* §. 180, 2. *Grysar.* S. 342. *Herzog.* ad Sall. Cat. 22, 4. *Doederl.* Syn. II, p. 145. III, 313.

praesertim quum] *Nolten.* 1713: *quum praesertim* elegantius et usitatius a quibusdam habetur, quam *praesertim quum.* V. g. *Cic.* pro Rosc. c. 8: *quum praesertim tam multi occupationem eius observent.* Sed errant, qui ita sciscunt. Aeque enim crebro posterior nexus invenitur apud veteres, ac prior, nec sane huic maior elegantia, quam illi inest: pari modo, ut apud nostrates promiscue dicitur *besonders da* et *da besonders; insonderheit da* et *da inson-*

derheit. Kritz. ad Sallust. Cat. c. LI p. 248: *Quum praesertim,* quo ad caussam aliquam vel diserte memoratam vel cogitatam (v. *Beier.* ad Off. II, 16, 56 extr.) alia quædam cum vi adiungitur, non minus probum est quam vulgatius *praesertim quum;* cf. Jug. II, 4. III, 2. *Cic.* N. D. 1, 10, 26. *Kraft.* ad Mureti Epp. p. 254. — Addas velim *Oxner.* ad Olivet. Eclog. p. 333. *Grysar.* p. 534. *Weber.* Uebungssch. p. 71, 87: *Besonders* im Sinne von *zumal, noch dazu* (καὶ ταῦτα) *praesertim; vorzugsweise,* mit dem Begriffe des Hervorstechenden in der Handlung oder im Objecte derselben *praecipue;* mit Hervorhebung eines persönlichen Subjectes *inprimis. Forbiger.* Aufg. z. Bildg. des lat. Stils p. 123, 16 (ed. 1mæ): *Praecipue, vorzugsweise, vor Allen,* steht dem *communiter* entgegen und drückt einen Vorzug des Einzelnen vor der Gesammtheit aus, bezieht sich aber gewöhnlich auf das *Object* der Handlung, dem also dadurch ein Prädicat ausschliesslich vor allen Andern beigelegt wird; *imprimis* dagegen (— denn so verlangt es die Analogie zu schreiben, wo *imprimis* wirkliches Adverbium und nicht soviel als *inter primos* ist; denn dann muss man es getrennt schreiben *in primis,* so dass also die Schreibart *inprimis* als unstatthaft erscheint —) *hauptsächlich, vor Andern,* hebt bloss ein Individuum vor andern Individuen einer bestimmten Menge hervor, ohne ihm einen Vorzug vor *allen* Andern einzuräumen und bezieht sich in der Regel auf das persönliche *Subject* der Handlung; *privatim, persönlich* für meine, deine etc. Person, berücksichtigt das Verhältniss einer einzelnen Person im Gegensatze des Gemeinwesens, des Staates. Ganz verschieden von allen diesen ist *praesertim, zumal, noch dazu,* welches zur Steigerung eines Begriffes durch Hinzufügung eines besonders zu beachtenden Umstandes als Bedingung seiner höhern und allgemeinen Geltung dient. (Noch sind die Superlative *maxima* und *potissimum* zu erwähnen, die auch zuweilen durch *besonders* ausgedrückt werden. *Maxime, am meisten,* misst gleichsam mehrere Gegenstände nach Grösse

und Schwere gegen einander ab, und dient überhaupt dazu irgend einer Sache ein Prädicat im höchsten oder doch in vorzüglich hohem Grade beizulegen, (wo es eigentlich nur den Superlativ eines Adjectivs umschreibt) oder ebenso den intensiven Grad einer Handlung zu bestimmen; *potissimum* ist eigentlich ein noch gesteigertes *praecipue*, das alle und jede Gleichstellung mit Andern unbedingt ausschliesst, und am häufigsten von einem subjectiven Urtheile gebraucht wird, wenn es sich um die Frage handelt, für wen oder für was man sich unter Allen am liebsten entscheiden, was man wählen, wem man folgen soll.

pure — loqueris] Adiectivum *pure* hoc significatu apud optimos scriptores legitur, cf. e. g. *Cic.* de opt. gen. Orat. c. 2: Quoniam eloquentia constat ex verbis et sententiis, perficiendum est, ut *pure et emendate loquentes*, quod est latine; verborum præterea et propriorum et translatorum, elegantiam persequamur. *Gell.* N. A. XVII, 2: Q. Metellus Numidicus, qui *caste pureque* lingua usus Latina videtur in epistola, quam exsul ad Domitios misit, ita scripsit cet. —

Puritas sermonis est dictio cadentis Latinitatis, ideoque evitanda. Audias *Nolten.* c. 1683: *Puritas sermonis* tam usitatum est, ut vix sciam, quis non loquatur hoc modo. Quum autem vocabulum *Puritas* unicus tantum argenteæ ætatis scriptor, nempe Palladius, habeat; reliqui omnes, qui eo utuntur, sint inferioris ordinis: satius sit, pro eo dicere, *Munditia*, *elegantia*, *proprietas sermonis. Sciopp.* in Scalig. Hypobol. 241. *Voss.* de Vit. 585. *Borrich.* in Voss. 208. sqq. et in Sciopp. 269. *Cellar.* Antib. 131. C. P. 154. — Addas velim *Jani* c. 1441. *Krebs* Antibarb. s. v.; *Grysar.* p. 360.

si aliquando] *Cic.* Catil. IV, 10: Quod*si aliquando* ista manus plus valuerit, quam dignitas vestra: me tamen consiliorum meorum non pœnitebit. *Offic.* 1, 39, 139: Aliter ampla domus dedecori sæpe domino fit, si est in ea solitudo, et maxime, *si aliquando* alio domino solita est fre-

quentari. — De discrimine inter *si aliquando* et *si quando* adeas *Ellendt.* ad Cic. Brut. 41, 151. *Moeb.* ad Cic. Catil. 4, 10, 20; *Zumpt.* §. 710. *Held* zu Cæs. B. G. 1, 14. *Krebs* Anltg. §. 131. *Grysar.* S. 485. *Billroth.* lat. Gr. §. 204, S. 266. *A. Grotef.* Schulgr. §. 293, 8. S. 230. *Benecke* ad Cic. Cat. IV, 10, §. 20, S. 295 al.

limatius] cf. de oratorio huius vocis usu *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 244.

nosse —mysteria] *Cic.* Tusc. IV, 25: Ne rhetorum aperiamus *mysteria.* Epp. ad Attic. IV, 18: Epistolæ nostræ tantum habent *mysteriorum*, ut eas ne librariis quidem fere committamus.

non quod — diffidam] Quid differat inter *non quod* et *non quo*, his verbis egregie illustrat *Kühner* ad Cic. Tusc. II, 26, 64 p. 220: Inter utramque dicendi rationem hoc discrimen videtur intercedere: I. *Non quo* c. coni. ponitur 1) ubi *finis* v. *consilium* designandum est; tum in altero membro sequi solet: *sed ut*, *sed ne*, ut Acad. II, 42, 131: introducebat etiam Carneades, *non quo probaret* (i. e. non es consilio, ut) *sed ut* opponeret Stoicis, summum bonum esse etc. — 2) ubi notio significatur particularum: *non quasi*, *nicht als ob*, ut de Orat. II, 18, 74: *non quo* mea quidem *intersit* (neque enim ætas id mea desiderat —) sed tamen ista tua — tantum cognoscendi studio adductus requiro. — II. *Non quod* c. coni. ponitur, ubi notio designatur particularum: *nicht desshalb weil*, tum in altero membro sequi so- *sed quod*, *sed quia*, ut Acad. II, 40, 125: me accusas, *non quod* tuis rationibus non *assentiar*, *sed quod* nullis: Supra II, 23, 56: pugiles — ingemiscunt, *non quod doleant*, *animove succumbant*, *sed quia* profundenda voce omne corpus intenditur. Hinc semper dicitur: *non idcirco, quod —*, *non ideo*, *quod — non eo quod — non ob eam caussam*, *quod — non id* (v. c. indigne fero) *quod.* V. Exempla a *Ramshornio* §. 181. p. 753 Ed. II a *Kritzio* ad Sall. Cat. XXXIV, 2. ab *Ottone* ad Fin. IV, 1, 2. allata et doctissimum censorem Gottingensem in *Gött. Anz.* 1831,

p. 1446. — *Non quo* sine dubio per attractionem natum est ex *non eo quod.* Comparari potest græcum ἐφ' ᾧ et ἐφ' ᾧτε pro ἐπὶ τούτῳ ὅ. V. *Krüger. Untersuchungen d. lat. Gr.* III. Heft, p. 260 et 297. — Denique monendum pro *non quod (non quo) sed quod* sæpe in altero membro a Cicerone poni *sed tamen.* 1, 1, 1: non *quia* philosophia græcis et literis et doctoribus percipi non posset; sed meum semper iudicium fuit cett. III, 22, 54. V. locum de oratore iam allatum. Alia huius generis exempla collegit *Müller* ad h. l. p. 234 et *Otto* ad Fin. IV, 1, 2.

leni deambulatiuncula] *Deambulatiuncula* est vox veteribus prorsus ignota. Non item *deambulatio* fugienda, quæ vocula reperitur apud *Terent.* Heaut. 4, 6, 2: vel me hæc deambulatio, quam non laboriosa ad languorum dedit. De *loco* dicitur *Ulpian* l. 7 ff. 1, 1, b. 13 §. 4: Deambulationes arboribus opacæ atque amœnæ.

Notæ sunt etiam *deambulationes stercorum* in libris ætatis mediæ. Erant nimirum latrinæ seu loca alia quævis ad exonerandum ventrem. cf. *Vit. S. Batildis Reginae* num 11: Ita humilitatis magnæ fortiter exhibebat exemplum, ut ipsa quoque in coquina ministraret sororibus et munditias vilissimas, etiam *Dambulationes stercorum* ipsa mundaret.

percontandi] Alias scribitur *percunctandi,* sed perperam ut ex iis, quæ sequuntur, perspicue patebit. *Donat.* Hec. 1, 2, 2: et *Non.* 1, 211. Et *percunctatum* et percontatum scribitur. Sed *percontatum a conto* dicitur; quo nautæ utuntur, ad loca navibus opportuna. Si vero *percunctatum* ab eo, quod a cunctis perquiratur, dicitur. *Festus* s. v. *percunctatio* pro interrogatione dicta videtur ex nautico non qui *conto* pertentant cognoscuntque navigantes aquæ altitudinem; ob quam caussam ait *Verrius*, etiam secundam sillabam per *o* solere scribi. Mihi id falsum videtur. Nam est illa *percunctatio*, quod is, qui curiose quid interrogat, per *cuncta* visit; ut recte per *u* litteram scribatur. *Gessner* in Thes. L. L. s. v. T. III, c. 780: *Percontari* semper est in optimis Terentii editionibus, *Parei, Faerni, Bent-*

leii. Et sane duo verba esse arbitror *contari* et *cunctari;* unum modo *percontari; percunctari* autem inductum ab his, quibus *cunctari* notius esset etc. Sic *percontari* solum agnoscit in Plauto ***Pareus*** Lex. Crit. Apud Horatium *percontari* semper ***Bentleius.*** In Cicerone variatur etc. cf. etiam ***Is. Voss.*** Etym. M. s. v. *cunctus.* ***Nolten.*** Lex. Antib. c. 47: ***Percunctari*** et *percontari,* utrumque. Prius est ***Festi*** in *percunctatio,* quem ***Manutius*** sequitur, insuper etiam ***Carpensis*** Virgilii auctoritate inductus; posterius ***Verrii*** apud eundem ***Festum,*** quocum ***Freinshemius*** facit Indice Curtiano in *cunctanter.* Miror, addit ***Nolten.***, sane Grammaticorum intempestivam sollertiam in his verbis, quæ eadem quidem subinde significant sed ea propter non eadem illico sunt vocabula, ut adeo dispicere haud opus sit, utra scriptio præferenda sit. cf. etiam ***Jani*** philol. Lex. c. 1295: Besser thun diejenigen, welche dieses Wort von *contus,* eine Stange herleiten, und also heisst es mit mehrerem Rechte *percontari.* Addas ***Habicht.*** synon. HWB. p. 376, 549. ***Ramsh.*** Syn. T. 1. p. 306, 396. T. II. p. 97, 751 et p. 621. ***Döderl.*** Syn. T. III, p. 294 sq. ***Goerenz.*** ad Cic. Acad. 1, 1, 2 p. 2: *percontantibus* vulgatæ scribendi rationi prætulimus, cum aperte hoc verbum nauticæ sit originis, scriptique sic ubique exhibeant: Festi contra ratio a *cunctus* id deducentis, parum in se probabilitatis contineat. ***Kritz.*** ad Sall. Cat. c. XL, §. 2. p. 187: ***Cortius*** variare dicit Codd. inter *percunctatus, perconctatus* et *percontatus,* idque ***Gerlachius*** repetiit, non enotatis suorum librorum lectionibus. Uterque in textum recepit *percunctatus,* quod nobis minus probatur; assentimur enim Verrio apud Festum h. v. et Donato ad Ter. Hecyr. 1, 2, 2. verbum ab usu nautico ducentibus, quia navigantes *conto* pertentant et cognoscant aquæ altitudinem. Quæ ratio, quam etiam ***Herzogius*** sequitur ad Cæs. B. G. V, 13, multo certe simplicior est altera, quam Festus amplectitur, *percunctor,* scribendum censens, quia is, qui curiose aliquid interroget *per cuncta visat,* aut, ut Donatus refert, quia a *cunctis per-*

quirat. Quivis enim videt in ista explicatione notionem *cunctorum* æque incommodam esse, atque ellipsis verbi, facile vero a *conto* fieri *contari*, ut a *rima rimari*, ab *aqua aquari*, et huius generis alia. — *Herzog.* l. l. p. 256: *percontationibus.* Diese Form ist orthographisch richtiger, als *percunctatio*, wiewohl beide in den Codd. und Editt. verwechselt werden. Vgl. *Gernhard* zu Cic. de Senect. VI, 20. *Grotefend* Gramm. II. §. 193 (minime 144.) — *Giesse* ad Cic. de Divin. II, 36, §. 76: *Percontari* scripsi cum Sch. es Orell., fide Edd. Venet. 1494. Marsi, Junt. Hervag. Sturm. Vict. Reliqui *percunctari.* cf. *Verrium* ap. Festum s. v. *Görenz.* ad 1. Acadd. p. 2. *Müller.* ad I. de Orat. p. 67 sq. *Kritz.* ad Sall. Catil. p. 187.

qua die] *Benecke* in Cic. Catil. II. c. III, p. 122: Der Ungeübtere merke, dass *dies* dann als Femin. gebraucht wird, wenn es die allgemeine Bedeutung für *Zeit*, *tempus*, hat, wie ad fam. VII, 28: quanquam me non ratio solum consolatur, — sed etiam *dies*, *quae* stultis quoque mederi solet; oder wenn es bedeutet einen *bestimmten*, *anberaumten Tag*, *Termin*, wie Cat. 1, 9, 24: quum sciam pact*am* et constitut*am* esse cum Mallio diem. Vgl. *Drakenborch* zu Liv. IV, 36, 3. Doch findet sich *dies* in dieser Bedeutung häufig auch als Masculinum gebraucht, wie *Cic.* de Off. 1, 12, 37: status dies cum hoste. Ferner wird *dies* als Femininum gesetzt, wenn es das Datum des Briefes bezeichnet. *Cic.* ad Q. Fr. III, 1. In allen übrigen Verbindungen wird *dies* gewöhnlich nur als Masculinum gebraucht; man muss also sagen: *hodierno*, *hesterno*, *postero die*, nicht *hodierna* etc., obgleich sich auch davon bei Cicero einige, jedoch noch streitige, Beispiele finden, wie *Cic.* de Or. III, 16, 22, wo aber *Lambin hesterno die* ändern wollte. Die Dichter und spätere Prosaiker sind indess in dem Gebrauche des Femininums nicht so genau. cf. etiam *Nolten.* lex. Antib. p. 910. *Vall.* Eleg. Lib. IV, c. 80. *Herzog.* ad Cæs. B. G. VII, 3 p. 378. B. C. I. c. 2, p. II et III, c. 26 p. 376. *Zumpt.* §. 86, Anm. *Ruddim.* Institt. T. 1, p. 21, 15.

Stallb. Billroth. lat. Gr. §. 73. Not. 4. p. 78. in primis *K. L. Schneider.* Formenl. p. 347—352.

Olynthiis] Recte ita. cf. *Plin.* IV, 11, 15. *Mela* 2, 2. *Senec.* contr. 5, 34. Forma *Olynthiacus* nusquam legitur.

in manus sumere] *Nolten.* Antib. c. 1766: *Sumere aliquid in manum et in manus* non tantum apud *Ciceronem* et *Justinum* occurrens, sed etiam apud *Plinium* Lib. 1, Ep. 16. Lib. VI, ep. 7. Lib. 8, ep. 3 et 9. Lib. 9. ep. 22. *Jani* lex philol. c. 1638: *sumere in manus*, in die Hände nehmen. Es ist kein *Germ.* sondern *Cicero* und *Justinus* reden also, deren Stellen *Vorst.* de Lat. fals. susp. p. 162 anführet.

ludum aperiat] *Cic.* Fam. 9, 18: Dionysius tyrannus, quum Syracusis pulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse.

quicquid statues] Malim *statueris.*

Dictionarium] *Nolten.* c. 502: *Dictionarium,* ein Wörterbuch, vocabulum medii Aevi est. Grammatici, inquit *Vossius* de Vit. 71, ipsi *dictionaria* inscribunt libros de vocum significationibus: Aliis est *dictionarius,* subaudi *liber;* sicut *dictionarium,* subaudi *volumen.* Antiquis vero ignota sunt hæc vocabula. Satius ergo sit, vel ἐξηγητικά cum Græcis dicere: sic enim solent veteres appellare, quæ iuniores vocitant λεξικά: vel possis περιφράζειν, ut *P. Manutius* Comment. ad *Cic.* Lib. II. Attic. Ep. 1: *Haec, inquiens, ex eorum libris, qui dictionum sensa colligerunt, cuivis licet petere.* cf. *Cael. Curio* in Præf. Fori Rom. p. 4. — *Jani* phil. lex. c. 567. *Grysar.* Antib. p. 272.

excuditur] Malim *typis describitur.* Non magis latine dicitur *imprimitur, typis exaratur* cf. *Matthiae* Entwurf etc. p. 10. et *Wolf.* Anal. 1 S. 490. *Grysar.* p. 285.

exorsum] H. l. *passive* acceptum, quod raro legitur. Præter *Plautum,* Bacch. II, 3, 116; *Exorsa* hæc tela non male omnino mihi est; et *Visell.* ap. *Priscian.* 8, 793 nemo facile hoc partic. *passive* usurpaverit.

commentarii] De huius vocabuli significatione cf. ***Wolf.*** ap. Quinctil. Inst. Or. Lib. X, c. 7, §. 30, p. 223. ***Frotsch.*** hæc affert; » *Commentarii*, ut Ernest. Clav. Cic. dicit, sunt libri, schedæ, pugillares, in quibus memoriæ causa res quæcunque scribuntur: 1, 8, 19: *grammaticorum commentarii*; VIII, 2, 12: pontificum comm. Sic. III, 6, 59. *comm.* sunt libelli, in quos Cicero retulit, quæ discipulus a rhetore præcipiente audiverat; add. II, 11, 7. Sed X, 7, 30 sq. *commentarii* sunt libri summam caussæ agendæ complectentes, qui ab oratoribus ad rerum dispositionem et memoriam conficiebantur. Interdum eiusmodi rhetorum et grammaticorum commentarii vulgabantur 1, 5, 7. — Vid. dicta ad IV, 1, 69. it. *Sigon.* aut Andr. Patric. ad Cic. fragm. Or. pro Gabin. *Spald.* cf. ***Ellendt.*** Histor. Eloq. Rom. 50 p. XCI sq. ***Frotsch.*** Addas ***Herzog.*** ad Cæs. B. G. p. 1 sq. ***Forbiger***, Aufg. z. Bildg. d. lat. Stils LVI, 58 p. 164. ***Krebs.*** Antib. h. v. ***Grysar.*** p. 251.

mansisse debuit] Rectissime se habet indic. Perfecti. cf. ***A. G. Gernhardi*** diss. de Latinorum ***Indicativo*** et Germanorum ***Coniunctivo*** in usu verb. ***debere***, al. in *Seebodii* Archiv f. Philol. und Pädag. Vol. II. P. 2, p. 302—315. ***Friedem.*** ad ***Ruhnken.*** Orat. p. 113, 9. ***Krüger.*** gramm. Unters. Heft II, S. 331 sq. ***A. Grotef.*** Comment. Exc. VII, p. 281 sq. ***Beier*** ad Cic. Off. II, 19 p. 132. 189. ***Benecke*** ad Cic. Catil. I, 1. §. 2, p. 15. ***Creuz.*** et ***Moser*** ad Cic. N. D. 47, 121. ***Ramsh.*** Gr. p. 410 sq. ***Frotsch.*** ad Quinctil. X: 1, 118. p. 102. ***Kritz.*** ad Sall. Cat. 51, 4 p. 236; Jug. 95, 3. 110, 1. ***Gernh.*** Exc. 1 ad Læl. p. 240. ***Heinrich.*** ad libr. de Rep. p. 172 sq. et p. 165 sq. ***Hartung.*** griech. Partik. Th. II, p. 235 sq. ***Zumpt.*** §. 77, p. 387. ***Kühn.*** ad Tuscul. I, 9, 49, 116 p. 163. Gr. Gr. §. 821, 3. p. 557. ***Matth.*** Gr. Gr. §. 510. ***Krebs*** Anltg. §. 293, 3. ***Billroth.*** §. 243 Anm. 1 etc.

nonnullam] cf. ***Grysar.*** p. 107, 2.

loquentiae] Profecto Bunellii oculis obversata videtur lectio illa Sallustii Catil. V, 4. obvia: » satis *loquentiae*, sa-

pientiæ parum.« Recte autem recentissimus et optimus Sall. editor, *Kritzius eloquentiam* ut genuinam lectionem restituit, quem vide p. 29.

mehercle] Ridicula profert *Nolten.* c. 974 sq. Ceterum audiendus est *Gellius* N. A. XI, 6. p. 8. *Bip.*: »In veteribus scriptis neque mulieres Romanæ per Herculem deiurant; neque viri per Castorem. Sed cur illæ non iuraverint Herculem, non obscurum est. Nam Herculaneo sacrificio abstinent. Cur autem viri Castorem iurantes non appellaverint, non facile dictu est. Nusquam igitur scriptum invenire est apud idoneos quidem scriptores, aut *mehercle* feminam dicere, aut *mecastor* virum. *Aedepol* autem, quod iusiurandum per Pollucem est, et viro et feminæ commune est. Sed M. Varro asseverat, antiquissimos viros neque per Castorem neque per Pollucem deiurare solitos; se id iusiurandum fuisse tantum feminarum ex Initiis Eleusiniis acceptum: paulatim tamen, inscitia antiquitatis, viros dicere *aedepol* cœpisse; factumque esse ita dicendi morem: sed *mecastor* a viro dici, in nullo vetere scripto inveniri.« Consentit *Charisius* p. 183 P. sed videas *Forcellini* Thes. s. *Hercule* et *Freund* lat. WB. s. *Castore.* —

sermonis peregrinationem] Nescio an non recte se habeat *peregrinatio*; equidem prætulerim *peregrinitatem*, cf. *Quint.* XI, 3. med.: Pronunciatio emendata erit, si fuerit os facile, explanatum, iucundum, urbanum, id est, in quo nulla neque rusticitas, neque *peregrinitas* resonet.

febre laborare] Usitatius *febri.* cf. *K. L. Schneid.* Formenl. p. 228.

vita defunctum] *Virg.* G. IV, 475: *Defunctaque* corpora *vita* Magnanimum heroum. *Curt.* III, 11: Circa currum Darei iacebant nobilissimi duces, ante oculos regis egregia *morte defuncti.* *Suet.* Cæs. 89: Neque quisquam *sua morte defunctus* est. *Absolute: Curt.* IV, 10: Mater Darei *defuncto* assistens corpori. *Flor.* III, 20: Duces *defuncti* prœlio. *Ovid.* Am. 1, 8, 108: Ut mea *defunctae*

molliter ossa cubent. *Plin.* Epp. IX, 9: oblivisci *defunctorum.*

EPISTOLA IV.

Intervallum mearum literarum] cf. *Cic.* fam. VII, 18: Si *intervallum* longius erit mearum *literarum,* ne sis admiratus; eram enim abfuturus mense Aprili.

accidit] »Non raro hoc verbum apud veteres scriptores scriptum reperimus de lætis et iucundis rebus; *Cic.* ad Attic. 1, 5: *Mihi omnia, quae iucunda ex humanitate alterius et moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant.* Quicquid enim casu et nobis nec opinantibus evenit, id *accidere* nobis dicimus cf. *Bremi* et *Dähne* ad Nep. Milt. 1, 1. *Benecke* ad Cic. Cat. IV, 2, 3. *Herzog.* ad Cæs. B. G. VII, 4. *Ruhnken.* ad Ter. Andr. 1, 5, 29.« *Kraft.* ad Epist. Bentl. p. 262, 3. — »*Accidit, contingit, evenit. Accidit* wird von *unglücklichen, contingit* von *glücklichen* und *evenit* von *gleichgültigen* Ereignissen gebraucht. Den Unterschied zwischen *contingere* und *accidere* erkennen wir besonders aus folgender Stelle des *Seneca,* Epist. 110, 3: *Adhibe diligentiam tuam ei intuere, quid sint res nostrae, non quid vocentur; et scies, plura mala contingere nobis quam accidere. Quoties enim felicitatis caussa et initium fuit, quod calamitas vocabatur?* cet. Allein so wie die Schriftsteller überhaupt nicht immer den eigenthümlichen Unterschied der Wörter auf das genaueste beobachten, so verwechseln sie bisweilen auch diese Verba. *Accidit* wird mitunter von *gleichgültigen* Dingen, selten von *glücklichen* gebraucht. Im *Alcib.* V, 2 steht es zugleich von Glück und Unglück, vielleicht durch ein *Zeugma. Sic enim erat populo persuasum, et adversas superiores, et praesentes secundas res accidisse eius opera. Contingit* steht nur selten von etwas *Unglücklichem.*« *Bremi* ad Milt. 1, 1, §. 1. — *Accidere* fere de rebus malis dici ostendunt *Donatus* ad Terent. Andr. II, 2, 24. et *Burm.* ad

Quinctil. Decl. V. p. 104. cf. *Ellendtus* ad Cic. Brut. 22, 85. pag. 65 sed de tota re et vero discrimine verborum *accidere, contingere, evenire,* omnium, quotquot apud nos de illis scripserunt, rectissime iudicavit *Pauflerus* (quem tamen pusilli quidam pædagogi nostri dictatorio supercilio fastidiunt) ad Corn. Nep. Milt. c. 1, p. 20 ed. 2. Cæterum de frequenti confusione verborum *accedere* et *accidere* cf. *Drakenb.* ad Liv. XXI, 10, 12. Fr. [et *Göer.* ad Cic. Finn. p. 56 Editor] *Frotsch.* ad Rutil. Lup. p. 85. — Addas *Kühner.* ad Tuscul. IV, 26, 57 p. 336. *Habicht.* Syn. p. 14, 16. *Ramsh.* Syn. T. 1 p. 12, 19. *Grysar.* p. 198. *Hand* ad Wopk. Lect. Tull. 134. *Forcell.* Thes. T. 1, p. 26. — *Kraft* in Anleitg z. Uebers. a. d. Deutsch. ins Lat. 2. Curs. p. 78, 3. *Freund* lat. WB. Th. 1, p. 32. —

tantum superest temporis — quam] Pro *tantum — quam* legendum utique est *quantum.* cf. *Bröd.* Gr. §. 159. *Bleibimh.* § 758, 27. *Ramsh* §. 159, 3, 2. N. 2, 176. *Zumpt.* §. 704. *Aug. Grotef.* Schulgr. §. 299. Eiusd. ausf. Gr. Th. II, §. 274. Eiusd. Comment. z. d. Material. VIII, §. 2, p. 185. *Georg. Fried. Grotef.* §. 169, 5. *Krebs* Anleitg. §. 574. *Nolten.* lex. Antib. c. 1691.

ne — respondeam, impedior] usitatius scribitur *quominus.* cf. *Goerenz.* ad Finn. V, 16, §. 45, p. 589. *Krebs* Anltg. §. 439, *G. F. Grotef.* Gr. §. 202. *Zumpt.* §. 543. *Jani* phil. Lex. c. 864. *Nolten.* c. 1495. *Bröd.* §. 146, Anm. 2. *Billroth* §. 328. *Aug. Grotef.* Schulgr. §. 403. Eiusd. ausf. Gr. Th. II, §. 302. *Otto Schulz* ausf. Gr. §. 105, p. 641. *Bleibimh.* §. 505. *Seyfert.* lat. Spr. §. 1856. *Ramsh.* §. 193 1, 2. —

episcopus] Rectius scribas literis Græcis ἐπίσκοπος. cf. *Cic.* ad Att. VII, 11, sub f: Vult enim me Pompeius esse, quem tota hæc Campana, et maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus et summa negotii referatur.

melius scis] Mallem dixisset *rectius novisti.*

ab eius latere nunquam dicessi] *Cic.* Læl. 1, 1: Ego autem a patre ita eram deductus ad Scævolam sumpta virili

toga, ut, quoad possem et liceret, *a senis latere nunquam discederem.*

pernegat] *Cic.* Cœl. 27: Imploraret hominum fidem, atque a se illa pyxidem traditam *pernegaret. Ter.* Eun. prol. 33: Sed eas fabulas factas prius Latinas, scisse, se, id vero *pernegat. Plaut.* As. 2, 2, 56: *pernegebo,* atque obdurabo, periurabo denique. *Aul.* IV, 10, 34: negas? *Liy.* pernego imo. *Mart.* IV, 82: Negare iussi, *pernegare* non iussi.

accersitum] Præferenda omnino scriptura *arcessitum,* de qua audias *Kühnerum* ad Tuscul. IV, 1, 2. p. 296 ita disputantem: *arcessita.* Sic R. Gr. L. Seqq. Pleræque Edd. veteres *accersita. Arcesso* et *accerso* sunt diversæ tantum formæ eiusdem verbi. *Arcesso* ex *ar,* i. e. antique pro *ad* (cf. *arbiter, arveho,* porro in SC. de Bacch, *arfuerunt, arvorsum:* plura contulit *Ramshorn* L. Gr. Gr. T. 1, §. 9, p. 10. Ed. II) et *cesso,* quod ex *cieo,* ut *facesso* ex *facio, lacesso* ex *lacio* factum est, ortum, sine dubio antiquior et genuina forma est. *Accerso* ex transpositione litteræ *r* et geminatione litteræ *c* natum est. *Orellius* comparat Toscanorum *frebbe* pro *febbre, enterpetre* pro *interprete.* V. *Ramsh.* l. l. et doctam observationem *Kritzii* ad Sall. Cat. XL, 6. p. 190. Addas *Charis.* 1 p. 227. *Diomed.* 1 p. 375. *Cassiodor.* in Collect. de Orthogr. *Manut.* in Cic. lib. VII. ep. XXIII. *Gruter.* Inscr. p. DVII. *Vel. Long.* in Orthogr. p. 2252. *Priscian.* 1 p. 559. quos laudat *Vossii* Et. p. 40. *H. Graev.* ad Sueton. Tiber. c. 52. *Pier.* ad Aen. X, 11. *Drakenb.* ad Liv. IX, 9, 12. *Lagomarsini* Nott. ad Pogium (in *Seebod.* Miscell. Critt. II, 3, p. 433—436.) *Seifert* lat. Sprachl. Th. III, S. 122—124, §. 1622. *Fea* ad Hor. Ep. 1, 5, 7. *Staveren* ad Nep. Att. c. 21. et *Obbar.* in *Seebod.* krit. Schulb. 1828. nr. 15, S. 114, laudatos a *Döderl.* Syn. T. III, p. 282, 1 quibus addas *Nolten.* lex. ant. c. 23. *Schneid.* Elementarl. p. 257 et 514. *G. Fr. Grotef.* lat. Gr. T. II. §. 209 p. 227. *Ramsh.* Syn. T. 1, p. 13, 20. *Orelli* ad *Wolfs* Vorlesg. zu d. Tuscul. p. 408. *Herzog.* ad *Caes.* B. G. 1, 3 p. 66. *C. Beier.* ad *Cic.* Fragm. 79. a et 134, b.

Ramsh. in *Jahnii* Annall. Philol. et Pædag. 1827. Fasc. 4. in Indic. litter. p. 2. *Kritz.* ad Sall. Catil. c. XL, 6, p. 190 ad Jug. c. XXXII, 1, p. 195. *Giesse* ad *Cic.* Divin. Lib. 1. c. 16, §. 32, p. 62. *Lindem.* ad Cic. Inv. 2, 31. *Forcellini* Thes. s. v. *Freund* lat. WB. T. 1, p. 354 etc.

certe non erit] » *Certe* significat idem fere, quod *profecto;* semper enim *certe* habet vim affirmativam, ponit aliquid, non concedit; sed affirmatio potest esse, ut barbare loquar, aut *subiectiva,* i. e. ad loquentis iudicium relata, aut *obiectiva* s. generalis, i. e. ad factum relata. *Certo* significat rationem, qua quis ad alicuius rei cognitionem vel iudicium pervenit.« Cf. elegantissimam observationem H. *Herzogii* ad Quintil. X, p. 91. De discrimine loquutionum *certe scio* et *certo scio* nuper exposuit *Stuerenburg* ad or. pro Arch. §. 32, p. 191 sq. « *Kühner* ad Tuscul. 1, 1, 2 p. 47. (ed. alt.) — Addas, si placebit, *Hand* de Particc. Lat. Vol. II, p. 14 ad 29. *Kritz.* ad Sall. Catil. LI, 16, p. 246.

qui non sic persuasus eram] Barbare loquitur h. l. Bunell.; dicendum enim fuit: *cui non sic persuasum erat.* Jam *Noltenius* hanc verborum iuncturam recte vituperat his verbis c. 1645: *Persuasus sum* minus commode, si quidem ad id, quod plerumque apud veteres occurrit et ad normam rationis hunc loquendi modum exigas, qua quidem constat, non hominem sed rem persuaderi homini. Interim militant pro inconcinna hac loquendi formula, non tantum ea, quæ auctore *Khunio* (in *Specimine animadversionum ad Joannis Vorstii librum de Latinitate Merito Susp. Argentorati* 1715. edito nr. 33 p. 17 et 167) proferuntur, sed etiam alia veterum loca, in quibus hoc præteritum Participii passivi, quin immo tota coniugatio passiva ita sumitur, ac si hoc Verbum in Activo adsciscat Accusativum personæ. *E. g. *Phaedr.* L. 1. F. 8. v. 7: Tandem *persuasa est* iureiurando *gruis.* (*Gruis* l. l. dicitur archaice pro *Grus.*) Id. L. 3. F. 5, v. 9: *Persuasus ille,* fecit, quod monitus fuit. *Cic.* ad Herenn. 2, 6: *animus* auditoris *persuasus* videtur. Id.

L. 2. Ep. 13: Quum *populum Atheniensem persuaderi* posse diffideret. *Caecina* L. 9. Ep. 27: Si scit et *persuasus est;* quid irascitur ei. *Justin.* L. II, c. 11, n. 14: »Nihil erat difficile *persuadere persuasis* mori. Longe rectius et elegantius pro *persuasus sum* cum frequentiori antiquitatis usu non dixeris *Nihi persuasum est, de tua fide mihi persuasum est, Persuasum habeo, persuasissimum habeo, Persuasissimum mihi est.*«

Addas *Zumptii* Gr. §. 407 et *Forcell.* Thes. s. v.

peius successit] *Ter.* Andr. IV, 1, 56: Parum succedit quod ago. *Nep.* Dat. 6: Hæc propter hiemale tempus minus prospere succedebant. *Caes.* B. G. VII, 26: Postquam res nulla successerat. *Liv.* XLII, 58: postquam inceptum non succedebat.

mansuetiora haec studia] *Cic.* Fam. I, 9 med.: Refero me ad mansuetiores musas.

nescio a quo Egn. alt. acceperat] cf. quæ notavimus ad Ep. 1, p. 656: *in eo ipso declarando, quare scribo.*

gratiam habeo] De hac formula videas *Bremium* et *Dähnium* ad Nep. Them. VIII, 7. *Benecke* ad Cic. Cat. 1, 5, 11. *Grysar.* p. 303 etc.

Graece Latineque doctissimo] *Cic.* Brut. 46: Doctus et Græcis litteris et Latinis. *Suet.* Gram. 7: Nec minus Græce quam Latine doctus.

cum — tum] »Sæpissime ab Editoribus permiscentur inter se particulæ *tum — tum* et *cum — tum.* Nuper *Stürenburgus* ad or. pro Arch. p. 164 sq. harum particularum discrimen accuratissime ac firmissime constituit. Scilicet *tum — tum* nunquam significant *sowohl — als auch,* sed semper, ut *modo — modo, nunc — nunc,* referuntur ad *tempus,* respondentque plane nostris *bald — bald.* Particulæ autem *cum — tum* temporis quandam consequutionem indicant, ut vel post unam rem factam vel cum una re facta altera facta esse dicatur. Jam vero quoniam temporalis consequutionis notio ad caussalis consequutionis notionem translata est, caussalis autem consequutio a generali notione ad

specialem descendere solet: factum est, ut hæ particulæ ibi usurpari solerent, ubi priore membro res generalis vel res minus gravis, posteriore res specialis vel res gravior contineretur: quanquam haud pauci leguntur loci, in quibus utriusque membri æqua plane est ratio, ut supra c. 14, 41, nec desunt loci, in quibus certis quibusdam conditionibus prius membrum specialem, posterius generalem notionem designet, ut de *Orat.* 1, 48, 211: *innumerabiles alios cum ex nostra civitate, tum ex ceteris,* quia hic omnes modo laudati viri Romani erant, ut *Brut.* XLIX, 183: *ex his Cotta et Sulpicius cum meo iudicio, tum omnium facile primas tulerunt* (sic optim. Cod. Guelferb. B.) quia hic ipse Cicero loquitur et sic recte suum priore loco affert iudicium.« *Kühner.* ad Tusc. V, 25, 72 p. 401.

praetuleras] Scribere debebat *praetuleris* s. *praetulisses.*

EPISTOLA V.

Dicam intendere] γράφειν δίκην. *Donat.* ad Terent. Ph. 2, 2, 15: »*Dice* causa est Græce, quæ fit Latine dica, ut Acte Acta, Calliope, Calliopa.« Dicitur etiam *dicam scribere* cf. *Ter.* ib. 4, 3, 63: Sexcentas scribito mihi dicas, nihil do. *Plaut.* Pœn. 3, 6, 5: Cras subscribam homini dicam. — Porro *dicam impingere, Ter.* Ph. 2, 3, 91: Si tu illam attigeris, dicam tibi impingam grandem. — cf. adhuc *Pitisc.* Lex. antiq. Rom. T. 1, c. 42. *Turneb.* Adv. XXVII, 4. XIX, 14. *Sigon.* de *Antiq. Jure Provinc.* Lib. II, p. 289. (*Hanov.* 1609. fol.): »Moris — fuit, ut cum res ex lege Rupilia gereretur, dicæ scriptio præcederet, inde citatis litigatoribus una sortitio post triginta dies, inde altera, et quidem ex voluntate litigatorum, fieret. *Dica* vero Græcorum more, (nam Siculi Græci erant, et Græce loquebantur) scribi tum dicebatur, cum lis intendebatur, id est, iudicium postulabatur. *Sortiri* vero *dicas* erat iudices ip-

sos ex lege sortiri, non autem, ut Budæus existimavit, litem intendere. «

quartanam] cf. *Gell.* XVII, 12. *Cels.* II, 3. *Cic.* Fam. XVI, 11. *Hor.* Sat. II, 3, 290 al. — Caveas dicas *quartanarius* pro *quartana laborans.* Dictio illa barbara reperitur apud *Sext Platon.* de Medicin. Animal. Lib. 1 c. 2. *Gregor. Turon.* de Vit. Patrum c. 6. *Matth. Paris.* an. 1259. p. 326. in Actis elevationis S. Agricolæ num. 4 in Vita B. Coletæ, in Gestis Gaufredi de Loduno apud *Mabillon.* T. III. Analect. et alibi sæpe. — Fugiendum est etiam vocabulum *Quartanicus* quod legitur ap. *Guillelm. Britton.* Lib. XII. Philippidos:

Invadit febris Regis Quartanica corpus.

Barbare sonat item *Quartenarius* pro *Quartana laborans.* cf. *Matthaeus Paris.* ad ann. 1239:

Auctumnus innaturalis diverse morborum pericula generavit, qui siccus et frigidus naturaliter fuisse tenebatur. Hinc contigit quod ingruente dyscrasia, non se meminit aliquis tot vidisse in uno anno Quartenarios. Vid. *Du Cange* Gloss. med. Aevi T. V, c. 575 sq.

vadimonium obire] i. e. *ad diem constitutam se in iudicio sistere.* Vid. *Plin.* Epp. VIII, 8. Dicitur quoque *ad vadimonia venire* cf. *Cic.* pro Quint. 15. *ad vadimonia occurrere, Suet.* Cal. 39. *ad vadimonium currere; Propert.* IV, 2, 57. *ad vadimonia descendere, Senec.* ep. 8. *vadimonium sistere. Nep.* Att. 9.

Vadimonium non est itio in ius pro altero, sed est promissio dato vade se sistendi in iudicio, quod faciebat is, qui vocatus erat in ius. Is promittebat *vadimonium,* quod est, promittebat se die, quam finierat prætor, in iudicium venturum, et ne petitor dubitaret de eius fide, *vadem* dabat qui pro illo spondebat. Dato *vade* licebat in ius vocato *vadere,* donec dies respondendi in iudicio venisset. *Graev.* Thes. Antiqq. Roman. Præf. Tom. II. *Vades* si dati non essent, reos in carcerem coniiciebant, atque ibi eos usque ad diem iudicii asservabant, cf. *Liv.* III, 13. *Gell.* XVI,

10. *Macrob.* Sat. 1, 16. *Sigon.* de Judic. I, 20 et III, 7. *Varr.* L. L. V, 7. *Turneb.* adv. XII, 8. *Bud.* in Pandect. p. 29. *Salmas.* de Mod. usur. c. 16. laudati a *Pitisco* in Lex. T. III, p. 668 sq. — *Vadimonium Gloss. Isid.:* Vadimonium facit fideiussorem dat Vadimonia iudicia, unde apud Prætorem per fideiussorem vadere liceat. *Papias:* Vadimonium, sponsio, fideiussio. *Gloss. phil.*: Vadimonium ἐγγύη, ἱκανοδοσία. *Gloss. Cyr.:* ἐγγύη vadimonium, fideiussio. ἱκανοδοσία satisdatio. ἱκανοδότης satisdator. *Bud.* ann. prior. in *Pand. Vadimonium* est sponsio sistendi in iudicio. *Vadimonium promittere* est ἀναδέχεσθαι δίκην et ἐγγυᾶσθαι, h. e. iudicium recipere et sponsorum fide promittere. *Vadimonium obire* est ad diem se sistere. ἀπαντᾶν ἐπὶ τὴν δίκην, ἀπαντᾶν ἐπὶ τὴν κυρίαν. *Vadimonium deserere,* φυγοδικεῖν, καταλείπειν τὴν δίκην. Hoc nonnisi iustissima caussa et maxime sontica fiebat, ut in luctu publico et ubi iustitium indicebatur. *Vadimonium desertum* ἐρήμη δίκη, ἐρημοδίκιον. *Vadimonium missum facere,* est vadimonii obligationem remittere condonareque *Vadimonio obstricti* hodie dici possunt, qui ob crimina in iudicium vocati ab iudicibus, ut fit, impetraverunt ut aut sua aut sponsorum fide dimittantur ea lege; ut in diem certam aut quandocunque iudicii visum fuerit, ad iudicium sistantur, quos elargitos vocant, id est ἐξηγγυημένους. *Gloss. Isid. Vadimonium facit, fideiussorem dat.* De vadimonio et sponsione vide *Jacob. Nicol. Loens.* Epiph. Lib. 9, c. 1. Vadimonium igitur actio vadis, nempe sponsio eius. 2. sponsio in genere. 3. res vadimonio promissa. 4. obligatio ad vadimonium, seu necessitas vadi incumbens. 5. res definita, necessitas, determinatus ordo. Ita *Manil.* Lib. 1:

Illic orta dies sopitas excita urbes
Et cum luce refert operum vadimonia terris.

Et *Plinius:* vadimonia tempestatum. Intelligit ἐμπροθεσίαν τῶν χειμώνων, ἐμπροσθέσμους χειμῶνας. *Martini* lex. phil. s. v. cf. adhuc *Heindorf* ad *Hor.* Sat. 1, 11, p. 6 et 1, 9, 36, p. 192 sq. *F. X. Zenger üb. d. Vadimonium d.*

Römer. Landsh. 1826, p. 11—19. *Gaius* IV, 184. *Mayer* ad Liv. III, 44—48. dissert. *Stuttg.* 1828, S. 27—36.

ad corruptionem] Vox raro obvia alioque sensu usurpata. *Cic.* Tusc. IV, 13, 28 et 29. *Kühn.* et *Freund,* lat. WB. T. 1, p. 1055.

extra iocum] Nos: *Scherz bei Seite!* *Cic.* Fam. VII, 16: Sed mehercules, *extra iocum*, homo bellus est. Conferas *Horatii* (Sat. 1, 1, 27):

Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.

enecas] cf. *Doederl.* Syn. Th. III, S. 187 sq. *Ramsh.* Syn. Nr. 968. Th. II, S. 301.

rationem — ducis?] *Cic.* Fam. VII, 3: Malui famæ cedere, quam salutis meæ rationem *ducere. Sest.* 10: Officii rationem in omni vita, non commodi esse ducendam. *Suet.* Aug. 42.

incumbendum — in studia] Recte! Aliud est *incumbere cui rei.* cf. *Voss.* Arist. VII, 39. *Vall.* Eleg. III, 45. *Cell.* Antib. 251. Cur. Post. 236. *Nolten.* c. 1516. *Jani* 897. *Wolf.* Annal. I, 489. *Krebs.* Anltg. §. 188. *Grysar.* p. 312. *Ramsh.* Gr. §. 123. *Ruddim.* II, 141. 329. *Zumpt.* Gr. §. 416.

in hanc sententiam] ut *in h. s. loqui.* cf. *Herzog.* ad Cæs. B. G. 1, 45. et ad B. C. 1, 1 p. 5.

memini — scribere] cf. *Nolten.* c. 1569: *Memini* sequente perfecto Infinitivi v. g. *memini, me legisse,* improbat *Agroecius,* vetus Grammaticus, in libello de Orthographia. Verum licet frequentius sit *memini* sequente Præsenti Infinitivi, v. g. *memini me legere;* est tamen et illud, sequente scilicet Perfecto Infinitivi, non infrequens. Nam ita *Cicero* sæpe et *Seneca.* *Cic.* de Legg. *Ego memini, summos fuisse in civitate nostrae viros qui,* cet. Idem in Epp. *Meministi, me ita distribuisse caussam,* cet. *Goclen.* obs. 31. *Schorus* de Rat. Disc. L. L. 167. it. de Phras. *Buchner.* de Commut. Rat. Dicendi 124. *Franc. Sanctii* Minerva 76. *Voss.* de art. Grammat. 52. *Laur. Valla,* Annotatt. in errores Anton. Raudensis plag. VI. ed. Ascens

1510. pag. 408. Bas. 1543. *Borrich.* Anal. 42. *Sciopp.* Obs. L. L. 113. *Cellar.* C. P. 96. — *Kraft* ad Epp. Ruhnken. p. 201, Ep. VII, 1: Post verba: *memini, recordor, memoria teneo, audivi,* poni solet Infinitivus Præsentis, qui est etiam Imperfecti, si quis ipse vidit aut audivit, quod narrando scribendove in memoriam sibi revocat, ob oculos quasi ponit. Redit quasi animus in præteritum tempus et rem infectam, nondum perfectam cogitatione sibi fingit, quasi præsens eam videat audiatve; *Cic.* de Legg. 1, 20, 53: *Me Athenis audire ex Phaedro meo memini, Gellium Athenis philosophos in unum locum convocasse. Ter.* Andr. 2, 5, 18: *Recordare tua: nonne meministi clamare te, omnia periisse, si ille funere elatus esset?* At locus datur quoque infinitivo præteriti, si qua res perfecta et transacta memoratur; *Cic.* ad Fam. 13, 72: *Peto ut memineris, te omnia, quae tua fides pateretur, mihi cumulate recepisse. Cic.* Rosc. Am. 42: *meministis, me ita distribuisse initio caussam.* Vid. *Ramsh.* Gr. Lat. §. 164, 2. b. *Zumpt.* §. 589. *Grotef.* §. 160. *A. Grotef.* §. 310. *Schulz.* §. 89, 14. Quibus addas sis *Frotschers krit. und erklärende Bemerk. üb. einige Stellen aus Cic. Rede f. d. Arch. und Etwas üb. die Construct. des Sageworts memini.* Leipz. 1820. p. 33 sq.

uspiam] *Cic.* Legg. 1, 15: sive est illa lex scripta *uspiam,* sive nusquam. Epp. *ad Attic.* I, 17, §. 2. *Orell.*: Sed tamen hoc me ipse consolabar, quod non dubitabam, quin te ille aut Dyrrachii aut in istis locis *uspiam* visurus esset. *Terent.* Ad 1, 1, 12: Ne aut ille alserit, aut *uspiam* ceciderit. *Plaut.* Anl. 4, 2, 13: Perscrutabor fanum si inveniam *uspiam* aurum. *Id.* Cas. 4, 3, 12: Edepol næ tu, si equus esses indomabilis *St.* quo argumento? *Ol.* nimis tenax es. *St.* Num me expertus *uspiam?* *Ol.* Dii melius faciant *Apul.* Met. 7: Nec *uspiam* ruris reperitur ille, sed corpus eius membratim laceratum, multisque dispersum locis conspicitur.

Næ igitur vehementer errat *Krebsius*, præceptor optimus, (*Anltg.* p. 640) damnans hanc voculam ut suspectam.

vehementiori] De Ablat. in *i* exeunte cf. *Zumpt.* §. 63. *Billroth.* lat. Gr. §. 62, 2 p. 63.

totus efferor] *Cic.* Deiot. 9, Id. *Harusp resp.* 2. *Att.* 1, 8. Id. *Senect.* 23. i. q. vehementer commoveor, summa lætitia afficior.

belle] *Cic.* Fam. 9, 9: Tullia nostra recte valet. Terentia minus *belle* habuit. *Martial.* Epigr. X, 46:

Omnia vis *belle*, Matho, dicere: dic aliquando
Et *bene*. Dic neutrum: dic aliquando male.

Cic. de Orat. III, 26, 101: Quare, *bene* et *praeclare*, quamvis nobis sæpe dicatur; *belle* et *festive*, nimium sæpe nolo.

Quid differat *bene* inter et *belle* vid. *Döderl.* Syn. T. III, p. 23 sq.

quum — audivi — tum nescio] Vide ad Ep. IV. p. 698.

medicinam] i. q. medicamentum. *Cic.* Fam. XIV, 7: *χολὴν ἄκρατον* noctu eieci: statim ita sum levatus, ut Deus mihi aliquis *medicinam* fecisse videatur. *Plaut.* Cist. 1, 1, 76: Si medicus veniat, qui huic morbo facere *medicinam* potest.

sinamus valere] i. q. *χαίρειν ἐᾶν*, *κελεύειν τινά τι* *Xen.* Cyrop. VII, p. 115, 7: *ἐγὼ μὲν χαίρειν ταυτὴν τὴν εὐδαμονίαν κελεύω.* cf. *Valck.* ad Herodot. IX, 41. *Eurip.* Hipp. 118. *Schäf.* Melet. p. 34.

inchoati operis] De huius vocis ratione scribendi cf. *Scaurus* de Orthogr. 2251. *Modest.* ap. *Diom.* 1, 361. *Putsch.* *Servius* ad Virg. Georg. III, 223. *A. Maius* ad Cic. de Rep. 1, 35. ib. 3, 2. ad *Front.* p. 154. ed. *Rom.* *Voss.* Etym. 264. *Dausq.* Vol. 2, p. 164. *Marinius Frat. Arv.* p. 363. *Cellar.* Orthogr. *Casaub.* et *Burm.* ad Suet. Cæs. 46. *Schaef.* ad Plin. Epp. 5, 5, 4. *Gessner* in Thes. s. v. *Doederl.* III, 157. *Stuerenb.* ad *Cic.* Arch. habet *incoare*. *Ramsh.* Syn. II, p. 49. Nr. 691 imprimis *Müller* ad

1 Orat. 2, 5 et *Creuzer* dilectissimus ad N. D. II, p. 257 sqq. al.

apud te fixum videtur] *Cic.* Attic. VIII, 14: Scito, labare meum consilium illud, quod satis iam *fixum* videbatur.

petas — perscribi] Verborum iunctura minime imitanda, ac poetis tantummodo obvia; *Stat.* Ach. 1, 352: Arma humeris arcumque animosa petebat Ferre, et Amazonio connubere pellere ritu. *Mart.* 5, 50: Meque petis scricto medium transfigere ferro. *Sil. It.* 3, 12. cf. *Zumpt.* §. 616.

auctor tibi sum, ut ne — relinquas] *Ut ne* i. q. ὥς μή cf. *Zumpt.* §. 347. *Ramsh.* §. 181, 1, a. *A. Grotef.* Comment. z. d. Mater. 1, §. 31, p. 53. »Wenn der Hauptsatz in irgend einem Theile noch einer Ergänzung bedarf und der abhängige Satz eine Verhütung enthält, so muss *ut ne* stehen. Z. B. Opera datur, *ut* iudicia *ne* fiant. — Oft wird jedoch das *ut ne* auch durch andere Rücksichten herbeigeführt, nämlich entweder beim Gegensatz zweier Absichten, von denen die eine verhütend ist. Z. B. Adiuvari se volunt, non *ut ne* affligantur, sed *ut* ad altiorem gradum ascendant; oder wenn ein Begriff, der den ganzen Satz bestimmt, hinter die Negation gesetzt, nur einen Theil desselben bestimmen würde, z. B. quamplurimis de rebus ad me velim scribas, *ut* prorsus *ne* quid ignorem, d. i. damit ich alles wisse; dagegen ne quid prorsus ignorem würde heissen: damit mir nicht etwas ganz unbekannt bleibe.« — *Gernh.* ad Cic. de Amic. c. XIII, p. 99: »*Ut ne* — non locum habet post verba *metuere, vitare, fugere,* simil., sed ubi verbum præcessit, quod effici aliquid iubet. Qui effectus si in vitanda re cernitur; *ut* interponitur, ad quandam constructionis lenitatem verbo *efficere* v. *operam dare,* v. *orare,* simil. concedendam, a cuius notione *ne* prohibitivum abhorrere videatur.« — *Oxner* ad Olivet. Ecl. p. 145 (Ed. 1828): »*ut ne* — zu dem Ende dass nicht, ἵνα μή, ὥς μή. Dieses *ut ne* wird am häufigsten in der ältern Sprache, ungefähr wie bei uns *damit dass nicht,* oder bei ernstlichen Warnungen, Verordnungen mit grösserer Feierlichkeit,

statt *ne* gebraucht. Man kann sagen, *ut* drücke eine Absicht, einen Zweck im Allgemeinen, *ne* die nähere Bestimmung aus, oder sei für *non* gesetzt. *De Offic.* 1, 7: *Justitiae primum munus est, ut ne cui quis noceat.* 20 extr *His idem propositum fuit, quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parcerent.* Epist. II, 7 extr. *Petivi saepe — nunc a Curione tribuno; non ut decernatur aliquid novi — sed ut ne quid novi decernatur. Cornel. Nep.* Themist. 7: *eisque praedixit, ut ne prius legatos dimitterent; Th. Ruddim.* Synt. 1, 2 p. 346.« *Beneke* ad Catil. II, 13, p. 178: »*ut ne* steht nachdrucksvoll für das einfache *ne* mit einer Ellipse und ist auf diese Art aufzulösen: *perficiam* ut caveatur, *ne quis* etc. — Auf dieselbe Weise gebrauchen die Griechen *ὡς μή*. *Xen.* Anab. 1, 9, 27: *Διαπέμπων ἐκέλευε τοὺς φίλους τοῖς τὰ ἑαυτῶν σώματα ἄγουσιν ἵπποις ἐμβάλλειν τοῦτον τὸν χιλὸν, ὡς μὴ πεινῶντες τοὺς ἑαυτοῦ φίλους ἄγωσιν.*« *Georges* lex. lat. c. 1643: »Es werden *ut ne* und *ut non* gesetzt, wenn das *ut* sich auf den ganzen Satz, die Negation aber nur auf einzelne Wörter in demselben bezieht, und zwar so, dass *ut ne* steht, wenn die Negation auf ein Verbum oder Adverbium im Nebensatz geht, *ut non* aber, wenn sie sich auf ein Nomen bezieht. — Nach *Görenz* (in *Jahns Jahrb.* für *Philol.* etc. 1826, 1, 2. p. 315) ist *ne, dass nicht: ut ne, dass nicht etwa: ut — ne, dass nicht selbst.*«

exemplis augere] *Cic.* Off. 1, 1: propter summam et doctoris auctoritatem et urbis, quorum alter te scientia *augere* potest, altera *exemplis.*

interpellatoribus] *Cic.* Off. III, 14, 58: C. Canius, eques Romanus — dictitabat, *se hortulos aliquos emere velle, quo invitare amicos et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset.*

Nisi forte — existimas] *Nisi forte. Serv.* ad Aen. 1, 203: *Forsan, fortassis, forsitan, forsit* vel *forset, forte, fors* unum significant, sed varie pro metri ratione ponuntur. cf. *Jo. Conr. Schwarz* ap. *Tursell.* p. 403. *Manut.* in

Orat. pr. Rosc. Amer. c. XXIX, p. 51. p. m. et *ad Div.* II. 13. init. *Gessn.* Thes. L. L. T. III, c. 444: *nisi vero, nisi forte, nisi tamen,* quoties in argumentationibus subiecta est, absurditatem quandam sequi significat, ex sententia, quæ nostræ opposita est. *Jani* philol. Lex. c. 750 sq. *Nolten.* lex. Antib. c. 1593. *Seyferts* lat. Sprachl. Th. V. §. 2663, D. p. 215. *Corte* ad Sall. Cat. c. 20 extr. *Meiner.* Uebersicht all. lat. Partikeln, p. 310. *Hand.* Horat. Tursell. T. II, p. 730. *Görenz* ad Cic. Finn. 1, c. XVII. §. 56, p. 78: »*Nisi forte* iunctim positæ, non nisi cum quadam ironia, et maxime ad instantias, quas vulgo vocant, dicuntur: si secus feceris, elegantis latinitatis leges migrabis; quandoquidem elegantia (ne Schellerorum stomachos moveamus) a vera scriptura seiungi nequit olim quidem hunc ipsum docuimus. cf. 1 Legg. 1, 2. nunc legem ipsam scribimus, tot exemplis firmatam, quorum dubitationem iniicit nullum. Addimus hoc æque firmum, ad has partt. iunctas unice *indicativum* poni posse etc.« *Matthiae* ad *Cic.* pr. Rosc. Am. c. XXIX, §. 82: »Est formula, qua id, quod contra dici possit, absurdum esse significatur.« *Moser.* ad C. N. D. II, §. 63, p. 173: »*Nisi forte* habet significationem ironicam et apte præponitur eiusmodi argumento, quod ex absurdo ducitur, quodque vulgo nominatur *apagogicum.*« *Gernh.* ad Cat. Mai. §. 33, p. 62. et *Idem* ad Læl. c. XIII, p. 104. *Frotsch.* ad Quinctil. Lib. X, p. 63 sq. *Zumpt.* Gr. §. 526. *Ramsh.* §. 193. Not. 5. f. *Herzog.* ad Cæs. B. G. III, c. 18, p. 184. *Beneke* ad Catil. II, c. IV, p. 123. *Kritz* ad Sall. Catil. c. XX, §. 17, p. 105. *Id.* ad Jug. c. III, §. 4, p. 18. *Krebs* Anltg. §. 588. *A. Grotef.* Comment. z. d. Material. I, §. 18, 6. *Id.* ausf. lat. Gr. §. 548, Th. II, p. 456. Schulgr. §. 406. Anm. 1, p. 330. *Bleibimh.* lat. Gr. §. 561, 3, p. 358. *O. Schulz* ausf. lat. Gr. §. 101, 8, p. 583. *Billroth.* lat. Gr. §. 333. Anm. 3, p. 382. *Lindemann* ad Vitt. Hemsterh. et Ruhnken p. 41, 48. 75. 100. 255. *Wolf* Anal. Litt. IV, 331. *Matth.* ad Exempla Eloq. Lat. p. 220 istic a *Frotsch.* laudati. *Kraft* ad Epistt. Bentleii cet. p. 307. *Eund.* ad Mureti Varr. Lectt. p. 250,

nr. 2. *Wyttenb.* Opusc. ed. *Friedem.* T. 1, p. 327. *Zumpt.* Aufgab. z. lat. Stil, p. 255. *Schäf.* ad Eurip. Orest. 775, ed. Pors. Lips. a. 1824 laudatt. a *Friedem.* ad Ruhnk. p. 532. (*Brunsw.* 1828.) *Kraft* ad Epp. Dav. Ruhnk. ad Wyttenb. (Alton. 1834) p. 164: Quamquam apud recentiores Latinitatis scriptores non raro ponitur *forte* pro *fortasse:* tamen hæc consuetudo idonea veterum auctoritate non firmata improbanda est. Nam *forte* est nostrum: *zufällig, durch Zufall,* Gallice *par hazard:* at cavendum est, ne ponamus *fortasse* post particulas: *si, nisi, ne, num, an, ecquid,* si significare volumus nostrum *etwa, vielleicht,* quod sane mirum videri possit. cet. *Beier* ad Cic. Off. 1, 33, p. 254 sq. *Id.* ad Or. pr. *Tull.* p. 44. *Buttm.* ad Quint. Institt. XII, 9, 11. *Kühner* ad *Cic.* Tusc. IV, 23, §. 51, p. 330. *Grysar.* p. 523 sq. *Forcell.* Thes. L. L. s. v. *Georges* in *Lex. lat. Germ.* s. v. et in *deutsch-lat. WB.* s. v. *vielleicht.*

sanctissimorum amicorum] i. e. *bonorum, probatis moribus, integrorum. Cic. Rosc. Com.* 15: Viri ordine senatores, ætate grandes natu, natura *sancti* et religiosi. Id. *Verr.* 2, 5, 19: Vir in publicis religionibus fœderum *sanctus* et diligens. *Id. Fl.* 29. med.: Homines frugalissimi, *sanctissimi. Sall.* fragm. ap. *Macrob.* Sat. 2, 9: Veteres et *sancti* viri. Cic. Or. 1, 53: Cum esset ille vir exemplum innocentiæ, cumque illo nemo neque integrior esset in civitate, neque *sanctior. Quintil.* 1, 2, 5: *sanctissimus* præceptor. *Macrob.* Saturn. III, c. 3: *Sacrum* est, ut Trebatius libro primo de religionibus refert, *quidquid est, quod Deorum habetur* — *sanctum* est, ut idem Trebatius libro decimo religionum refert, *interdum idem, quod sacrum, idemque, quod religiosum; interdum aliud, hoc est, nec sacrum, nec religiosum est.* — Superest, ut, quid sit religiosum, cum Vergilio communicemus. Servius Sulpicius, religionem esse dictam, tradidit, quæ propter sanctitatem aliquam remota ac seposita a nobis sit, quasi a relinquendo dicta, ut a carendo ceremonia. — Secundum Pompeium Fe-

stum *religiosi sunt, qui facienda et vitanda discernunt.* — *Martin.* lex. philol. s. v.: *sanctus*, ὅσιος, nullo scelere contaminatus, immunis a cæde perpetrata, et generaliter innocens, purus. Dicitur de persona et re: ut ὅσιος ἀνήρ, ὅσιος τρόπος, ὁσία ψῆφος, κέρδος ὅσιον, ὁσία τελετή, dies festus est et ὅσιον debitum, τὸ ὀφειλόμενον, concessum, permissum. Aliquando ὅσιον opponitur τῷ ἱερῷ. *Suid.* ὅσιον χώριον τὸ βέβηλον καὶ μὴ ἱερόν, εἰς ὅ ἔξεστιν εἰςιέναι. Sic ergo est licitum ad usum publicum, profanum. *Ammon.* ὅσια τὰ ἰδιωτικὰ ἃ ὧν ἐφίεται καὶ ἔξεστι προςάψασθαι. ἱερὰ τὰ τῶν θεῶν ἃ οὐκ ἔξεστι προςάψασθαι. Ergo ἱερὰ καὶ ὅσια sunt sacra et profana, seu publica. ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὁσίων pro aris et focis. cf. etiam *Döderl.* Syn. Th. III, S. 198. De ἱερός *Nitzsch* zur Odyssee III, 278, p. 195. Apud Hebræos ita quoque קָדוֹשׁ de hominibus dicitur, qui sunt pii. cf. *Jes.* 4, 3. *Ps.* 16, 3. 34, 10. *Deut.* 33. Apud nos nefasto more hoc nomine appellantur Pontifices Rom., quibus nemo unquam minus sanctior cogitari potest.

redire existimat] Immo scribere debebat: *rediturum se existimat.* cf. *Zumpt.* §. 605.

eum ad Lutheranos inclinasse] cf. *Liv.* IV, c. 48: haud gravate *acclinaturos se ad* caussam senatus. *Nolten.* c. 569: *inclinare, inclinatus,* et *inclinatio* vocabula sunt quibus hodie multi utuntur, si de *amore* et *voluntate prolixa erga aliquem* loquuntur: sed Cicero aliique veterum his *quandam status conversionem, rerumque permutationem* fere significant. cf. *Grysar.* S. 312.

adeo ut] *Frotscherus* ad *Quinctil.* X, c. 5, p. 178. de *adeo* suo more bene disputavit his: »*Adeo* proprie est *ad id usque tempus* vel *ad illum usque locum.* cf. *Terent.* Phorm. IV, 1, 23 sq. Andr. IV, 1, 38. Phorm. (1, 3, 1) II, 1, 1. Deinde non loci et temporis tantum, sed omnem accessionem et intensionem significat: qui usus est notissimus. Tum continuationem eorum, quæ ante dicta sunt, indicat; velut: *Id adeo sic cognoscite; id adeo, si placet, consi-*

derate. Qua vi sæpe apud Ciceronem legitur. Cum hac significatione cohæret ea, quam explicandi vim, ἐπεξηγήσεως notionem dixit, quem sequor, *Lindemannus* ad Vitas Duumvir. Hemsterh. et Ruhnken. p. 5, quam habent formulæ *atque adeo, adeoque.* cf. *Terent.* Andr. V, 6, 13. *Virg.* Aen. II, 567. Consequentiam vero nusquam significat, neque dici potest pro *igitur* vel *ideo,* pro quo ab nostris hominibus usurpatur sæpissime. Vid. *Spalding* ad XII, 11, 16.« Addas *A. Matth.* in eloq. lat. exempl. p. 196. *Hand. Tursell.* 1, 135—155. *Drakenb.* ad Liv. X, 5, 14.

quod ad novas tabulas pertinet] Quid sibi velint tabulæ illæ novæ, optime illustravit beatus *Beierus* ad *Cic.* Off. II, c. 33, p. 159: »*tabulae novae,* volgo dicuntur *codices accepti et expensi*, np. *argenti; ratio domestica,* quæ patris familiæ continet censum, das *Hausbuch, Einnahme- und Ausgabebuch, Rechnungsbuch über Einnahme und Ausgabe, ingleichen über Haben und Sollen i. e. über Schulden und Forderungen; Verzeichniss des Activ- und Passiv - Vermögens.* Nostris negotiatoribus usurpatur *Bilanz-Buch.* Soli filii familiarum, qui essent in patria potestate, nullas conficiebant tabulas, propterea, quod nullum haberent patrimonium (*Coel.* c. 7 pr.); ab omnibus reliquis civibus Romanis, stante re publica mos erat, ut diligentissime conficerentur tabulæ, ex quibus appareret, *quid quisque de reditibus suis, quid de arte, fenore lucrove seposuisset quoque die aliquid idem sumptus damnive fecisset* (*Ascon.* in Act. II. in Verr. l. 1, c. 23) et ut nihil posset neque additum neque detractum de re familiari latere, (Cic. p. Cluent. 14, 64. 30, 138. s. ed. *Beck.*) Si quod nomen quacunque de caussa non relatum esset, ea *pecunia extraordinaria* dicebatur. *Rosc. Comoed.* 1. Verr. l. l. c. 39. *Ascon.* ad h. l. c. 23. testatur, totam hanc veterem consuetudinem cessasse, postquam obsignandis literis reorum ex suis quisque tabulis damnari cœpisset: deinde notat ad *legenda furta pertinuisse istam praetermissionem rationum.* Sed ad aliud quoque eiusmodi flagitium et nefas celandum perti-

nebat, e. g. si quis pecunia corruptus esset, ne investigari posset eius pecuniæ improbe sive datæ sive acceptæ profectio. Quantum aliquis alteri expensum tulerat eumque fecerat accepisse, tantum hic illi acceptum referebat. Itaque *expensi lationi*, qua quis, se aut mutuum dedisse (quod hodie significatur per *Soll*) aut æs alienum solvisse, in codice suo perscripsisset, respondebat *accepti latio*, qua quis aut debitorem se profiteretur (quod dicitur *gutschreiben* hodieque indicatur per *Haben*, aut iam sibi satis factum esse creditori. Itaque hæc simul *apochae* habet vim. Hinc *scribere* dicitur creditor vel pro eo tabellio, qui in tabulis alicui expensum fert (*zur Last schreibt*, *anschreibt*), *nomina facit* (III, 59); *rescribere* (ap. *Horat.* Sat. II, 3, 76.) debitor, qui, quod mutuum sumpserat, in suis tabulis creditori expensum refert, i. e. per scripturam reddit, quo debitoris expensi latione (*Gegenrechnung*) quippe solutionis comite et teste, tollitur *literarum obligatio*, *scriptura* (i. e. creditoris expensi latione) sive *nominibus facta.* Iam enim a creditore fit *accepti latio*, i. e. eadem pecunia debitori accepta refertur (*wird abgeschrieben*). V. *Barn. Brissonii* l. VI. de formulis c. 116. ss. et *von Almendingen über die rationes domesticae der R. in Grolmanni Magazin für die Philos. und Geschichte des Rechts*, T. II, p. 169—244. Nonnunquam vero ab hominibus rerum novarum cupidis et factiosis perlatum est cum ruina rei publicæ, ut omnia debitorum nomina aut antiquarentur aut mutarentur per totum imperium Romanum ita, ut creditores aut omnia quæ iis debebantur, aut partem de sorte amitterent (78 s.) factis *tabulis novis* (*ein Strich durch die Rechnung*). De his *Graevio* laudatur *Jo. Schefferi* dissertatio. *Pearce* autem annotavit, irrita veterum tabularum auctoritate fieri potuisse, ut, qui ante legem pecuniam ad *fundum emendum* mutuatus esset, post legem et fundum emptum et pecuniam etiam creditam, qua emptus esset, sibi retineret, creditor autem nec fundum, nec pecuniam suam recuperaret.«

multa tamen concurrunt] cf. *Terent.* Andr. III, 2, 31:

Si. Unde id scis? *Da.* Audivi et credo, multa concurrunt simul, qui coniecturam hanc nunc facio.

hactenus] *Nolten.* 971: »*hactenus* ab optimis Latinis scriptoribus, qui quidem in prosa scripserunt, non de *tempore*, sed de *re* aut *loco* usurpatur, et significat iisdem *ad hanc rem*, *ad hunc usque locum* v. g. *Sed haec hactenus. Hactenus de literis. Hactenus Cicero. Hactenus Ciceronis verba.* — De *tempore* vero ab iis adhibetur *adhuc*, *huc usque*, i. e. ad hoc usque tempus. Poetis autem *hactenus* usurpatur etiam de *tempore:* quemadmodum et apud scriptores Prosaicos posterioris ætatis idem obtinet.« Addas *Cellar.* Antib. p. 176. *Cur. Poster.* p. 405. *Jani* c. 809 sq. *Krebs.* Anltg. p. 606. *Bremi* et *Dähne* ad Milt. V, 5. *Mahn.* in Epp. Socr. Philom. p. 179 et 223. *Friedem.* ad Ruhnk. Epp. p. 536, u. *Grysar.* S. 304. *Zumpt.* § 292. *Meiner.* Uebersicht aller lat. Part. p. 157. *Selling. Observ. critt. in Tac. Agr.* p. 12. *Böttich. Lex. Tac.* p. 229.

Binae literae] *Cic.* Att. 6, 1, 9: Credo te *binas* meas (literas) accepisse, unas a Pindenisso, alteras a Laodicea. — *Nolten.* c. 842: Iis nominibus Substantivis, quæ sunt Pluralis Numeri tantum, non alia Numeralia, nisi illa Distributiva iungenda sunt v. g. *binae literae,* non *duae; trinae nundinae,* non *tres. cet.* Recte tamen dixeris *duae epistolae* et *binae epistolae;* sed sensu diverso: quippe *duae epistolae* unam et unam; *binae epistolae* par epistolarum, quæ simul adsunt, denotat. *Jani* c. 263. *Krebs* Anltg. §. 110. *Zumpt.* §. 119. *Ramsh.* §. 157, 3, c. *Kraft ad Epp. Bentleii* cet. p. 265. *Lindem. Vitt. Duumvirorr. et Ruhnken.* p. 245.*

regi a libellis est] Nos dicimus *Requetenmeister.* »*A libellis* ministri illi esse dicuntur, qui principi in hoc negotio subserviunt, ut supplices libellos accipiant, evolvant illisque respondeant.« *Suet. Dom.* 14: Epaphroditum a libellis capitali pœna condemnavit. *Inscr.* ap. *Grut.* 587, 9: Hermeros Aug. Lib. *a libellis.* cet. *Forcell.* s. *libellus.* cf. adhuc de dativo *regi, Nolten.* c. 1234.

civis] Nos *Mitbürger.* cf. *Nep.* Milt. c. 1: Miltiades

cum ea esset ætate, ut non iam solum de eo bene sperare, sed etiam confidere *cives* possent sui, talem futurum, qualem cognitum iudicarunt. *Cic.* pro Mil. c. 34: Valeant, valeant, inquit, *cives* mei, valeant: sint incolumes, sint florentes, sint beati.

Omnino reiicienda ut barbara est vocula illa *concivis,* qua de re audiatur *Nolten.* c. 476: *Concivis* Tertullianus, Hieronymus Frontinus aliique iuniores: præstat cum veteribus loqui, *civis, municeps, cui eiusdem civitatis ius est,* si sit non nisi eadem civitate vel oppido; sed eodem solo natus dici debet, *conterraneus, popularis, gentilis. Andr. Borrich.* Vindic. 31. *Sciopp.* de Stil. Hist. 223 et 229. *Goclen.* Obs. 23, et in Silv. 11. *Voss.* de Vit. 79. 80. *Borrich.* Cogit. 71. *Cellar.* Antib. 19. Curr. Post. 351. Quibus addas *Jani* c. 403. *Krebs* Anltg. p. 592. *Grysar.* p. 254. *Forcell.* et *Freund* v.

oratoris] Nostro sermone *Gesandter. Nolten.* c. 1082: »*orator* est, qui in caussis publicis et privatis perfecta utitur eloquentia; unde Latinis interdum pro *legato* ponitur: *Rhetor,* qui artem eloquentiæ profitetur; *Declamator*, qui aut docendi alios, aut se exercendi gratia fictam caussam privatim agit, ut possit veram publice orare.« *Jani* 1245. *Grysar.* p. 338. *Varr.* L. L. VI, 13. med. *Liv.* 1, 5. med.: Veientes pacem petitum *oratores* Romam mittunt. *Id.* 30, 16: *oratores* ad pacem petendam mittunt triginta seniorum principes. *Cic.* Brut. 14: C. Fabricius ad Pyrrhum de captivis recuperandis missus *orator.*

EPISTOLA VI.

Qua scilicet amissa] Rectius: qua *enim* am. cf. *Kraft.* ad Epp. Bentl. p. 261, 7: *scilicet* ponendum est, si quid non serio, sed ironice affirmare velimus, vel si quid alii familiariter concedimus; cf. *Ramsh.* Gr. §. 174, IV, N. 1. *Zumpt.* §. 345. *Webers* Uebungsschule p. 4, n. 5. *Ruhnk.* Dict. in Terent. Andr. 3, 14, 14. *Herzog* ad Cæs. B. G. 8, 1. ad *Sall.* Cat. 16, 3. 55, 10. *Heindorf* ad Hor. Sat.

1, 10, 1. 2, 3, 106. His adde *Grysar.* S. 553. *Krebs* Anltg. §. 586.

tantillum] *Terent.* Ad. 4, 2, 24: Quem ego modo puerum *tantillum* in manibus gestavi meis. *Plaut.* Stich. 4, 2, 40: *Tantillum* loci, ubi catellus cubet, id mihi sat est loci. *Id.* Rud. 4, 4, 106: Si hercle *tantillum* peccassis, quod posterius postules te ad verum converti, nugas magnas egeris. Et sæpius. Apud Cic. nusquam reperitur.

totus Aristophanes Graecus] Haud scio an illa fuerit editio *Basillensis*, cura *S. Grynaei* 1542.

Authenticae Graecae] i. e. *Novellae* Justiniani (535—567) maiorem partem græce, conscriptæ. Pars *latina* dicta est Authenticæ s. versio vulgata. Editio princeps. Rom. 1476. cf. *F. A. Biener Gesch. der Nov. Justin. Berl.* 824. 8.

Lugduni lexicon Hebraicum] Haud dubie lexicon *Santesii Pagnini*, quod *nomine thesauri linguae sanctae. Lugd.* 1529 deinde sæpius editum est.

fucatum] *Cic.* Amic. 25: Secernere *fucata* et simulata a sinceris et veris. *Id. Brut.* 9: Succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. *Planc.* 12: Hæc sunt signa probitatis, non *fucata forensi* specie, sed domesticis inusta notis veritatis. *Gell.* 13, 26: Versus Homeri simplicior et sincerior, Virgilii, quodam quasi ferrumine immisso, *fucatior.*

certum nescimus] *Cic.* Att. 12, 23: De Oropo opinor, sed *certum* nescio.

haec misceat] *Cic. Har. resp.* 22: Eas habet conciones, ea *miscet* ac turbat. *Nep.* Paus. 1: Qua victoria elatus plurima *miscere* cœpit. *Cic. Cat.* 4, 3: Ego magnum in republica versari furorem, et nova quædam *misceri* et concitari mala, iam pridem videbam. *Id.* de *leg. ag.* II, 33, 91: Homines non inerant in urbe, qui malis concionibus, turbulentis senatus consultis, iniquis imperiis rempublicam *miscerent*, et rerum novarum caussam aliquam quærerent. *Id. pro Milon.* 9, 25: Quanto ille plura *miscebat*,

tanto hic magis in dies convalescebat. *Vell. Pat.* II, 2: omnibus statum concupiscentibus summa imis *miscuit*, et in præruptum atque anceps periculum adduxit rempublicam.

simulationum integumentis involuta] Similiter *Cicero pro Pis.* 6: Vereor, ne qui sit, qui istius insignem nequitiam, frontis *involutam integumentis*, nondum cernat. *Id. Or.* 2, 86: Libenter te aliquando evolutum illis *integumentis dissimulationis* tuæ, nudatumque perspicio.

EPISTOLA VII.

Scribe an] Non recte, pro *num.* cf. *Krebs* Anltg. §. 367, 4. *Grysar.* S. 547. *Zumpt.* §. 353. *Beier.* ad *Cic. Off.* T. 1 p. 335 sqq. et imprimis ad *Amicit.* ed. mai. p. 203, §. 4 sq. *Hand* ad *Tursell.* 1, 296—361.

quum — datae sunt] *Jacob* in *Zahn's* Jahrbb. *für Philol.* 1828. III, 2, p. 132: de usu coniunctionis *quum* hæc præcipit: » *Quum* mit dem *Indicativ* bedeutet die bestimmte Zeit *da wo, da wenn*, in welcher Bedeutung *quum* einen Satz dem vorigen anschliesst. Mit dem *Conjunctiv* aber giebt *quum* den Zusammenhang mit dem Nebensatze an, wirkend oder bezweckend, sowohl die blosse Anzeige des Gedankens eines Dritten, als einer oft wiederholten Handlung. Was aber den Gebrauch anbetrifft, so ist derselbe danach zu bestimmen, ob der Erzähler bald mehr das in der Zeit geschehene oder die Absicht des Handelnden berücksichtigt. «

nescio, quo pacto is retardatus est] Immo *sit.* cf. ad Ep. IV: *nescio a quo Egnatius alterum acceperat.*

EPISTOLA VIII.

Dum abesset] Cur positus sit Coniunct. equidem nescio. cf. *Zumpt.* §. 575.

si quae erunt] Dicitur etiam *si qua* cf. *Zumpt.* §. 136, Anm.

praesenti sermoni reservemus] Eodem modo *Cic. Q. Fr.* 2, 8: Cetera *praesenti sermoni reserventur;* hoc tamen non queo differre.

spem mihi adhuc praecisam] *Cic. Verr.* 1, 20: Id sum assecutus, ut una hora, qua cœpi dicere, reo audaci, pecunioso, profuso, perdito *spem* iudicii corrumpendi *praeciderem.*

quis scit an perpetua haec erunt?] Vix latine dictum, pro *num — futura sint.* cf. ad Ep. 1, p. 659 sq. et ad Ep. VII in.

quae pondus habeat] Cave hanc dictionem germanismum putes; legitur enim sæpius et optime se habet, ut ex his elucebit exemplis: *Cic. Topic.* 19: Persona non qualiscunque testimonii *pondus habet:* ad faciendam enim fidem auctoritas quæritur. *Famil.* 13, 25: Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat, hanc meam commendationem magnum apud te *pondus habuisse* etc.

futura est] Quidni *erit,* quod equidem præferendum duco?

literas permutationis] Ni erro, dicit eas literas quas sermo patrius nominat *Wechselbriefe;* alioqui *syngraphae* vocantur. De *permutationis* et vi et significatione audias *Paul. Digest.* 19, 5, 5: Si pecuniam dem, ut rem accipiam, quia non placet, permutationem rerum emptionem esse, dubium non est, nasci civilem obligationem. — *Permutatio pecuniae* est *Geldwechsel. Cic. Fam.* 3, 5. med.: Perpaucos dies, dum pecunia accipitur, quæ mihi ex publica *permutatione* debetur, commorabor. *ad Attic.* V, 15: Vereor, ne illud, quod tecum *permutavi,* versura mihi solvendum sit. h. e. quam pecuniam a te accepi, solvendam hic tuis procuratoribus. *Manut.* cf. *Forcell.* Thes, s. *permutatione.*

EPISTOLA IX.

Alioquin] cf. *Schneid.* Gr. 1, 165 et 497. *Hand.* ad *Tursell.* 1, 241 sq. *Grysar.* S. 484. qui sine idonea caussa huic voci suspicionem movet.

sumptus] De scribendi ratione *sumtus* et *sumptus* cf. *Schneid.* Elementarl. II, 1. p. 466 sq. *G. Fr. Grotef.* T. II, §. 196, 37 p. 214. *Zumpt.* §. 12, S. 10.

Ciceronianis] cf. de his *S. Fr. W. Hoffmann, die Alterthumswissensch.* Leipz. 835, p. 6 et *Walch. hist. crit. Lat. Ling.* Lips. 761, p. 718.

EPISTOLA X.

Quum — missus essem, quum — curassem] Minus placet coniunctio illa repetita. Poterat facile evitare molestam istam repetitionem, si participium posuisset: *Nuper Pat. ab oratore missus.* Sæpius dormitat bonus Bunellus.

experiri an] Imo scribendum erat *num*, ut supra sæpius observatum.

re tentata] *Brut.* ad *Cic.* ad *Brut.* 1, 16: Experiar, et *tentabo* omnia. *Cic. Tusc.* 1, 4: *Tentavi*, quid in eo genere possem.

Disrumpor] Vulgo scribitur *dirumpor.* cf. *Nolten.* c. 51. *G. Fr. Grotef.* Gr. II, §. 209, p. 228. *Cic. Att.* 7, *Dirumpor* dolore. *Fam.* 12, 2: Fratris tui plausu *dirumpitur*, i. e. invidia rumpitur. *Attic.* 4, 16. a med.: unum omnia posse, *dirumpuntur* ii, qui me aliquid posse doluerunt. —

exulcerati] i. e. *exasperati, exacerbati* et *deterius facti. Cic. de Clar. Orat.* 156, c. 42: Simul illud gaudeo, quod et æqualitas vestra, et pares bonorum gradus, et artium studiorumque quasi finitima vicinitas tantum abest ab obtrectatione et invidia, quæ solet lacerare plerosque, uti ea non modo non *exulcerare* vestram gratiam, sed etiam conciliare videatur.

ambire, prehensare, supplicem esse] cf. *Adams Handbuch* der *röm. Alterth. v. Meyer. Erl.* 818. Bd. 1. p. 168. *Hoffmann*, Alterthumsw. p. 508 sq. — *Valer. Max.* IV, 5, 4: Consulatum petens L. Crassus, quum omnium candi-

datorum more circum forum supplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit. — *Camerarius* in Orat. pro *Muraena* annotavit, *ambitum* et *ambitionem* ita differre, quod illud sit criminis (Græci δημοκροπίαν vocant) hoc cupiditatis. Nam licebat quidem circumire et prensare, hoc est, benigne manus omnium prehendere, ad suffragia impetranda suæ benevolentiæ significatione: at non licebat corrumpere profusione et largitionibus; quod crimen *ambitus* vocabatur, et latis legibus puniebatur. cf. *Voss. Et. Magn.* p. 22, b.

EPISTOLA XI.

de eius humanitate — diffidebam] Rarius ita *diffidere* iungitur. cf. *Auct. Pan. ad Constantin.* 1: Cur ego in me *de* tuo favore diffidam? — Non minus rara est iunctura cum *Ablativo*. cf. *Krebs.* Anltg. §. 210, 2. *Ramsh.* §. 144, not. 2. *Herzog* ad *Caes.* B. C. I, c. XII, p. 52: *Diffidere* mit dem *Dativ* construirt halten wir hier für angemessener, als den *Ablativ*, der vielleicht begründet steht, wo wie B. C. III, 97 (hier lesen nämlich 2 Codd. diffisi *eo* loco) etwas *Todtes*, *Lebloses* als Ursache des Misstrauens genannt wird. *Ramsh.* §. 118. giebt einige Beispiele des Dativs. Vgl. *Sall. Cat.* 31, 3: sibi patriæque *diffidere*. Das. *Kortte.* Desgl. B. G. VI, 38 und *Cic.* ad Div. IV, 5, 18: ne videar *prudentiae tuae* diffidere. Vgl. *Ramsh.* S. 433. Not. 2. Ueb. *confidere* s. unt. zu III, 24 in. Ebenso mit dem Verbo *insuescere* vgl. *Walther* zu *Tac.* Ann. IV, 39. in. *Benevolentia — insuevisse*; andere: *benevolentiae*. — cf. adhuc *Grysar.* p. 273.

prohibebar ne] De varia huius verbi constructione cf. *Krebs* Anltg. §. 439. *Zumpt.* §. 469, 543 et 544. *Moebius* ad *Caes.* B. G. IV, c. XI. *Herzog* ad B. C. Lib. II, c. 14. p. 252.

demisi pudorem] *Demittere pudorem* dicit ex analogiæ legibus, ut *Cic. Q. Frat.* 1, 1, 3: quapropter hoc te primum

rogo, ne contrahas aut *demittas* animum.— Quoniam vero sæpissime *demittere* et *dimittere* inter se confunduntur, haud scio an sit præferendum *dimittere*, de qua confusione cf. *Drakenb.* ad Sil. It. XI, 142. *Frotsch.* ad Quinctil. 25, a. *Kritz.* ad Sall. Jug. c. CII, 11, p. 552. Quid denotet *dimittere* idem V. D. docuit ad Jug. c. XXXI, p. 186: *dimittimus* id quod pro confecto habemus, eoque non amplius indigemus, aut certe eius usum non amplius utilem aut necessarium putamus. In disputando et disserendo igitur *dimittuntur* ea, de quibus satis dictum videtur; *omittuntur* vero, de quibus dicere nolumus, quia aliena sunt, aut non satis digna aut gravia videntur.

fregi me ipsum] me ipsum vici. cf. *Cic.* Fam. IV, 6: Cum *frangerem* iam *ipse me*, cogeremque illa ferre toleranter.

quaterniones Demosthenis] i. e. *folia in minora quattuor complicata*, ut *Jani* lex. c. 1455. interpretatur. *Nolten.* c. 697 hæc affert: *Quaternio*, *quinternio* et *octernio* dixere iuniores pro *folio in minora quattuor vel quinque vel octo complicato.* Ceterum ipsum vocabulum veteribus Latinis fuerit incognitum. *Voss.* de Vit. 587.

lucro deputabo] *Terent.* Ph. 2, 1, 16: Quicquid præter spem eveniat, omne id *deputare* esse *in lucro.* *Id. Ad.* 5, 3, 30: Quod hinc accesserit id *de lucro* putato esse omne. *Cic. Fam.* 7, 25: Id ego *in lucris pono*, non ferre hominem pestilentiorem patria sua. *Hor.* Od. 1, 9, 14:

Quem sors dierum cunque dabit *lucro* Appone:

Et. Ovid. Trist. 1, 3, 67:

Dum licet amplectar: nunquam fortasse licebit
Amplius: *in lucro*, quæ datur hora, mihi est.

cf. adhuc *Jani* lex. c. 541.

EPISTOLA XII.

Quae vulgares amicitias dissolvere potest] Similiter *Isocr. ad Demon.* 1: τοὺς μὲν τῶν φαύλων συνηθείας ὀλί-

γος χρόνος διέλυσε, τὰς δὲ τῶν σπουδαίων φιλίας οὐδ᾽ ἂν ὁ πᾶς αἰὼν ἐξαλείψειεν.

fidem liberare] i. q. præstare promissum cf. *Cic. Fl.* 20: Fusiis satisfacit absentibus et *fidem suam liberat. Suet. Claud.* 9: Cum obligatam ærario *fidem liberare* non posset, in vacuum lege prædiatoria venalis pependit.

quin ne pluris emerem, praescripseras?] Etsi apud *Plautum* (*Aul.* 2, 1, 12: »*neque aequum est, occultum id haberi, neque per metum mussari, quin participem ego te, et tu me ut facias*«) — legitur uno loco *quin ut*, magnopere tamen dubito num usquam reperiatur *quin ne*. Equidem nunquam legere memini.

mercatus sum ad eam summam] Usitatius *ea summa* dicitur in sexto casu, magnopereque dubito utrum se recte habeat dictio ista Bunelli nostri.

non velle] Præferendum est *nolle* cf. *Cic.* Orat. c. 45.

Budaeo] »*Guilielmus Budaeus* magni nominis Grammaticus, cuius fama ad seram posteritatem propagabitur. Natus erat Parisiis a. 1467. et totum pæne sese dederat Græcarum literarum studio, cuius testis luculentissimus præter alia multa scripta opus præclarum illud: *Commentarii linguae Graecae*, Paris 1529. Basil. 1530 et sæpius postea repet. Vitam eius pluribus narravit *L. Regius*, Paris 1540. 4. Præerat Bibl. Francisci I, regis Galliarum.« Hæc *Kraft*. V. D. *ad Epp. Bentl.* cet. p. 335, 2.

in extremo literarum] Alioqui dicitur *in extremis literis*. cf. *Cic. Offic.* 3, 2: In extremo libro tertio. *Id.* or. 1, 10: Quod vero in extrema oratione sumpsisti. *Id. Att.* 14, 8: Literæ, quibus in extremis erat, sibi insidias fieri. Et *ib.* 13, 45: Lamia epistolam attulit, in qua extrema scriptum erat cett. cf. *Krebs* Anl. §. 93. *Zumpt.* §. 685.

Si vero] Utrum recte dicatur *sin vero* etiamnum magnopere dubitatur. Quid discriminis sit inter *si vero, sin autem*, luculenter exposuit *Anton* in *Prog. Rosl.* 1834 p. 32. Nonnulla etiam attulit *W. Fittbogen* ad *Justin.* (*Halle* 1835) p. 277: »Gewöhnlich wird sonst *autem* mit *sin* ver-

bunden oder *sin* allein gesetzt, wenn einem vorhergehenden Bedingungssatze ein nachfolgender durch *wenn aber* entgegengesetzt werden soll; wenigstens ist es sehr zweifelhaft, ob Cicero *sin vero* gesagt hat, gewiss nicht zur Bezeichnung eines *Gegensatzes*, sondern (wenn es *de Amic.* c. 17 richtig ist,) nur um eine *Erweiterung* oder *Verstärkung* des Vorhergehenden hinzuzufügen, in welchem Sinne *si vero* gewöhnlich ist. Denn *vero*, *aber*, *vollends*, *erst*, führt eben immer etwas *Grösseres*, *Bedeutenderes*, als das Vorhergehende war, ein, wogegen *autem* bloss die Rede *fortsetzt* und zu einem Begriffe *neue Bestimmungen* hinzufügt, und daher mit *sin* verbunden nur die Verknüpfung anzeigt. Bei den spätern Schriftstellern wird aber der genaue Unterschied der Partikeln vielfach vernachlässigt und daher kommt bei ihnen *sin vero* häufig vor.«

cognosces] Nonne rectius *cognoveris?*

ecquid mihi succenseat] *ecquid* sæpe pro *num* ponitur. cf. *Cic. Fam.* 7, 17: Quid agatis, et *ecquid* in Italiam venturi sitis hac hieme, fac plane sciam. — Sæpius in *sermone*, quem vulgo dicunt, *directo* cf. *Ter. Andr.* 5, 2, 30: Age Pamphile, exi Pamphile; *ecquid* te *pudet? Liv.* 4, 3: *Ecquid* sentitis in quanto contemptu vivatis? *Cic. Att.* 2, 2: Sed heus tu, *ecquid* vides, calendas venire Antonium non venire? *Tusc.* 1, 8 nunc legitur *ecquid* pro *ecqui.* cf. *Zumpt.* §. 351, Anm.

nescio quid mihi dixisti] cf. *Zumpt.* §. 553.

apud Ciceronem] Recentiores perperam nunc dicunt *in* quando de libris alicuius scriptoris sermo est. cf. *Grysar.* p. 416. *Krebs* Anltg §. 78 et p. 609. *Frotscher.* ad *Quinctil.* X, c. II, p. 124 (*nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa*) cæterum ex hoc ipso loco cognoscas, quam accurate scribat Fabius, *in magnis auctoribus* dicens, non *apud magnos auctores.* Nam *in* particula in talibus poni non potest, nisi ubi hominis vel scriptoris aliquod vitium aut quædam virtus significatur. Contra ubi sermo est de scripti aliquo loco, dicendum *apud.* Quare

46

perperam nunc dicunt: *hoc verbum in Xenophonte me legisse memini.*

uno in loco] cf. *Zumpt.* §. 481.

procuratoris] *Ascon. Pedian.* ad Divinat. in Cæcil. c. 4: Qui defendit alium in iudicio, aut *Patronus* dicitur, si orator est: aut *Advocatus*, si aut ius suggerit, aut præsentiam suam accommodat amico, ut ab eo adversarii iniuriam propulset: aut *Procurator*, si negotium absentis nomine suscipit: aut *Cognitor*, si præsentis caussam novit et sic tuetur ut suam. Ergo *cognitorem* Cicero appellavit *familiarissimum defensorem.* cf. *Creuzeri* Antiqq. Rom. §. 184 sqq. De cognitoribus et procuratoribus in litibus, quas vocant Ict. *Formularprocesse* adeas *Ferratii* epist. S. 13 f. *Unterholzners* Anm. zu *Heindorfs* Ausg. der *Horaz.* Satiren S. 364 f. *P. E. Huschke* exc. 5 ad *Cic.* p. Tull. 17 in Annal. litt. S. 283—290: de probabili procuratorum origine. *Heffter* Obs. XIX ad *Gai.* IV. *Bethmann-Hollwegs* Versuche über einzelne Theile der Theorie des Civilprozesses Berlin 1827. S. 141 ff. 165 ff. *A. de Buchholz* exc. 3. ad fragment. Vat. tit. de cogn. et proc. 8. 335—350. *Zimmerns* R. G. III, S. 468 ff. *Schillings* Bem. S. 263—266. quos laudat *W. Rein, d. röm. Privatrecht und d. Civilprozess.* (*Leipz.* 836. 8) p. 424.*

EPISTOLA XIII.

Parum] De huius vocis significatione multis parum perspecta audias *Kritz.* ad *Sall. Jug.* c. XXXI p. 179: *Parum* satis notum est significare *non satis, minus quam par est,* v. *Herzog.* ad Cæs. B. G. III, 18, p. 183 et ad Sall. Cat. XXII, 4. — Quominus tamen *parum* pro adverbio habeatur, quam sententiam et *Zumptius* sequitur in Grammat. Lat. §. 73, 4 et *Herzog.* ad Catil. l. l. et ad *Quinctil.* X, 1, 130. Not. 60, p. 138. Acriter tuetur, tum huius aliorumque locorum ratio, tum ipsa vocis origo obstare videtur. Certum est enim *parum* nihil aliud esse, quam neu-

trum adiectivi *parvus*, quam breviorem formam loquendi usus iam mature significatione distinxit a pleniore *parvum*; v. *Döderlin.* Synonym. Lat. Vol. 1, p. 145. Quare non deposita primaria vi ita usurpatur, ut substantivi vices primo ac quarto casu positi impleat, quod recte sensit *Frotscherus* ad Quinctil. X, 1, 130, p. 256. cf. infra §. 22: Illis *parum* est impune male fecisse. *Liv.* IV, 2, 7: *Parum* id videri, quod omnia divina humanaque turbentur. *Cic.* de Off. 1, 25, 89: Nunquam iratus mediocritatem illam tenebit, quæ est *inter nimium* et *parum*, quo loco aut *nimium* pro adverbio habendum est, quod est absurdum, aut concedendum *parum* accusativi vim habere. Quodsi id ex præpositione pendere potest, nihil video cur non etiam ex verbo aptum esse queat, *obiecti*que potestatem habeat, præsertim quum ea ratio analogia dictionis *satis habeo* sustentetur. cf. *Jug.* LXXXV, 31: *Non sunt composita mea verba; parum id facio*, ubi v. notata. *Vell.* II, 76, extr. *Parum habebat summa accepisse. Seneca* de Beneff. II, 12: *Parum iudicavit si senator senex supplex sibi eo more iacuisset, quo victi hostes hostibus iacuere. Quinctil.* Declam. XIV, 5: *Parum* se lenociniis, *parum* caussa *proficerent*, quæ loca sententiam nostram probantia pleraque attulit Cortius. Jam, opinor, per se patet adverbii potestatem, quam huius vocabuli propriam esse dicunt, *vi accusativi* constare, qui casus quomodo in adverbium transeat satis dictum putamus ad c. V, 4, coll. 1, 5. cf. c. XI, 5: *Micipsam parum animo valuisse.* LXVII, 3: *Id misericordiane hospitis an pactione ita evenerit, parum comperimus.* LXXIX, 5: *Id socordiane, an casu acciderit, parum cognovi. Fragm. Historr.* III, 22, 1. *Gerl.*: *Si, Quirites, parum existumaretis, quod inter ius a maioribus relictum vobis et hoc — servitium interesset. Quinctil.* XI, 3, 180: *Parum conveniens personae risus.* Addas præterea *Jani* lex. c. 1270. *Döderl.* III, 313. *Grysar.* p. 342. *Oxner.* ad *Oliv.* Ecl. p. 100, cap. IV. *A. Grotef.* Comment.

z. d. lat. Stilübgg. Exc. IV, p. 276 sq. *Kühner* ad Tusc. IV, 17, 39 p. 322. *Krebs* Anl. p. 622. *Georges* lex. Lat. s. v.

an — an] cf. Ep. XV in. *Plin.* Min. VIII, epist. 14: *Quaero an postulare debuerim, an abstinere.* cf. de tota hac re *Beieri* Exc. II, ad cap. 6, §. 1. de Amicit. p. 206, §. 7, et *Hand.* Tursell. 296—361.

duntaxat] *Nolten.* c. 53: *Dumtaxat* melius et tutius quam *duntaxat.* *Illud* multis; *hoc* una tantum inscriptione Domitiani probatur. *Cell.* c. 108: *Dumtaxat* in inscriptionibus legitur, non divise modo, ut *Gruteri* p. 506, 507; sed etiam coniunctim p. 574. 575. et *Spon.* Miscell. p. 52 et eius Recherch. p. 327 et *Oxoniens. Marm.* 64 p. 124. *Seiferts* lat. Gr. §. 1883; *G. Fr. Grotef.* Gr. T. II, §. 195 et 206. De significat. vocis cf. *Voss* de Vit. Serm. L. 6. *Jani* lex. c. 615. *Priscian.* 15, p. 1015. *Krehl. Voss Etym.* p. 188 b. *Laurent. Vall.* II, 41. *Habicht Syn. Handwörterb.* p. 436. *Görenz.* ad *Cic.* de Finn. II, c. 7, p. 150. *Oxner* ad *Olivet.* Ecl. p. 216 et 467. *Ramsh.* Syn. T. 1. nr. 488 p. 389. *Grysar* S. 582. *Zumpt.* §. 274. *Hand* Tursell. II, p. 338. *Herzog* ad *Caes.* B. G. VI, 8 p. 312. *Idem* ad B. C. II, c. 41 p. 320. *Fittbogen* ad *Justin.* 1, c. 5, §. 5, p. 19. Omnium optime de signif. et origine suo more ingeniose disseruit *Hartung de Particul. Gr.* T. 1 p. 296, D.—300.

simul] *Habicht* S. 198, nr. 279. *Ramsh.* Th. II, nr. 1213 p. 501. *Kritz.* ad Sall. Catil. c. XX, §. 17 p. 105. *Herzog* ad *Caes.* B. C. 1, c. 39 p. 115: *Simul* drückt nicht bloss das *Gleichzeitige* aus, was geschieht; sondern auch der gleichzeitige *Einfluss,* die *Einwirkung* auf die *Resultate des Ganzen* werden dadurch angegeben. *Sall.* Cat. 30, 2: *Simul* — alii portenta atque prodigia nunciabant. Ibid. c. 28, 4: egestate *simul ac* dolore. Die Partikel gehört also nicht bloss zu den *objektiven* oder *absoluten,* wie *una,* sondern zu den *subjektiven* und *relativen,* mit denen ein *Urtheil* verbunden ist, d. i. eine *Beziehung* auf das den Satz *bildende* und *bestimmende Verbum,* folglich auf den ganzen *Gedanken.* Darnach kann das von *Kritz* zu Sall. Cat.

20, 17 Gesagte vervollständigt werden. Vgl. Jug. 4, 2: *simul, ne per insolentiam quis existumet memet extollere* — sc. *praetereundum* puto. cfr. c. 59, in.

EPISTOLA XIV.

Aditum — praeclusisti] *Petr.* Sat. 87: *Praecludere* sibi *aditum*. *Cic. Rosc. Am.* 38: Omnes *aditus* ad Sullam *intercludere*. *Nep. Paus.* 3: *Aditum* petentibus conveniendi *non dare*.

paginam implere] *Cic. Att.* 13, 34: Sed *complere paginam* volui. *Acad.* 4, 27: De quibus *volumina impleta* sunt non a nostris solum, sed etiam a Chrysippo.

Integrum relinquit mihi] i. e. *meo arbitrio relinquit*, nos: *er stellt es mir frei, lässt mir freie Wahl.* cf. *Cic.* Att. 5, 21: Præsertim cum *integram* rem et caussam *reliquerim*. 15, 23: Quousque? inquies: quoad erit integrum; et *Phil.* 1, 10: Loquor de legibus promulgatis, de quibus est integrum vobis. *Id. Pis.* 24. med. Non est integrum Cn. Pompeio consilio iam uti tuo, et *Tusc.* 5, 21: Ei ne integrum quidem erat, ut ad iustitiam remigraret.

Anconiae] Ita in Edit. Stephan. quam secutus sum. Sed dubito num alibi legatur Anconia pro vulg. *Ancona.* Græce dicitur Ἀγκών, *Strab.* V, c. 4: T. 1, p. 390. *Tauchn.* πόλις δ' Ἀγκὼν μὲν Ἑλληνὶς, Συρακουσίων κτίσμα, τῶν φυγόντων τὴν Διονύσου τυραννίδα κεῖται δ' ἐπ' ἄκρας μὲν λιμένα ἐμπεριλαμβανούσης, τῇ πρὸς τὰς ἄρκτους ἐπιστροφῇ. σφόδρα δ' εὔοινός ἐστι καὶ εὔπυρόφορος. *Mela* L. II, c. 4, 51. (ed. *Is. Voss. Franek.* MDCC.) cf. de hac urbe *Mannert.* Ital. 1, 460 sq.

defunctam periculis] *Nolten.* c. 898: *Defungi* est liberari molestiis et periculis, aut explicari; *explicari* autem dicuntur Latine, qui liberantur ex periculo: *Perfungi* est pervenire ad exitum sive honorum, sive laborum. *Illud* semper denotat finem adversarum rerum; *hoc* et bonarum

et malarum. **Cicero* pro *Roscio: Defunctos periculis se putabant. Livius: Defungi poena. Virgil.* Aen. L. VI, 83:

O tandem magnis pelagis defuncte periclis;

ad quem locum *Servius* ita: *Dicimus defunctos officio, qui officia debita complerunt.* Hinc et *defunctos mortuos* dicimus, *qui complerunt vitae officia.* Nemo autem id, quod ego addiderim, debita officia complere poterit sine varia molestiarum genere. *Livius: Defuncta morbis corpora salubriora esse coepere. Cicero Lentulo: Quum et honoribus amplissimis et laboribus maximis perfuncti essemus. Idem* Lucceio: *Nulla perfuncti* propria molestia. *Popma* 59 sq. ed. Hek. 154. — *Perfungor* differt a *Defungor*, quia *defungimur* fere in malis, molestis, gravibus rebus, *perfungimur* sæpius in bonis. *Defungimur* morbis, laboribus, periculis. — *Perfungimur* epulis, honoribus, muneribus. *Forcellini.* Cf. etiam *Ramsh.* Syn. T. 1, nr. 614 p. 496. —

succurrunt] i. e. in mentem veniunt. cf. *Cic.* Att. 14, 1. med.: ut quidque *succurrit*, libet scribere. *Cic. fil. ad Tir. Fam.* 16, 21, med.: Illud etiam mihi *succurrebat*, grave esse, me de iudicio patris iudicare. *Liv.* 6, 12: Non dubito, tot bella gesta legentibus illud quoque subcursurum, unde toties victis Volscis suffecerint milites. *Aug.* apud *Suet. Tib.* 21: *Succurritque* versus ille Homericus, *Τοῦ-του δ'ἑσπομένοιο* etc. *Plin.* 7, 48, 49: Et illud adnotare *succurrit*, unum omnino quinquennium fuisse, quo senator nullus moreretur. *Petr. Sat.* 102: Illud miror, tibi non *succurrisse*, unum nautam stationis perpetuæ interdiu noctuque iacere in scapha.

percurri] *Liv.* 9, 18 med.: *Paginas* in annalibus magistratuum fastisque *percurrere* licet.

EPISTOLA XV.

An vero] *Krebs* Anltg. §. 368. *Grysar* S. 548 et *Frotsch.* ad *Quinctil.* X, c. 3, §. 29 p. 156.

perinde atque] cf *Kritz.* ad *Sall. Cat.* XII, 5, p. 65, *Id.* ad Jug. IV, §. 8, p. 27. De differ. *proinde quasi* et *perinde quasi* cf. præter laudatos adhuc *Kühner.* ad *Tusc.* 1, 36, p. 136: ubique fere particulæ *perinde* et *proinde* confunduntur in Codd. MSStis. *Proinde* proprie significat *idcirco, deswegen, demzufolge:* ponitur tamen interdum pro *perinde, haud aliter ac si.* Apud prosæ orationis scriptores usus particulæ *perinde,* iunctæ particulis *ac, ac si, quasi, ut* crebrior est. V. *Bremius* ad *Corn. Nep. Lysand.* II, 2, p. 93. *Ruhnken.* in Rutil. Lup. 1, p. 31 et Dictat. in *Terent. Heautont.* 1, 1, 13. *Beier* ad *Cic. Off.* III, 33, 121, p. 417. *Matthiae* ad Or. pro *Milone* in not. crit. p. 384 et *Zumpt. Lat. Gram.* §. 63, p. 238. *Stürenb.* ad *Cic. Off.* Comment. 1, c. II, p. 133 sq.: »Non possum, quin oblata hac occasione alterum castigem recentiorum errorem, qui quidem opinentur, significasse vocabulum *perinde* apud Romanos etiam id, quod nos dicimus *einerlei.* Nam quoties hodie talia legimus, audimus: *perinde est, utrum an,* quanquam ne simulacrum quidem istius usus apud scriptores Latinos invenitur! Ac tamen causa huius tam miri erroris (ut originem ipsius erroris indagemus) est apertissima. Etenim quod sumpserunt adhuc homines doctissimi, in vocabulo *perinde* inesse notionem *eodem modo,* perperam sumpserunt, si quidem *perinde* nihil aliud significat nisi *eo modo.* Quocirca potuit accipere *perinde* significationem illam *insofern*: quæ haut sane esset consentanea, si in *perinde* inesset notio *eodem modo.* Atque isti, qui *perinde* solent dicere pro nostro *einerlei* paulo vehementius modo errant, quam qui opinati sunt, *perinde* significare *eodem modo.* Desinant autem homines doctissimi posthac tanto opere abuti illo vocabulo.« Addas *Grysar.* p. 480.

eiusmodi stipibus] *Terent. Heaut.* 5, 1, 3: In me quidvis harum rerum convenit, quæ sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus. *Cic. Pis.* 9: Qui tanquam truncus atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus. *Id. Har.* resp. 3 med.:

Non plus quam stipitem illum, qui quorum hominum esset, nesciremus, nisi se Ligurem ipse esse diceret. etc. Nos dicimus *ein Stock, Klotz.*

litium mercatores] Nos: *Processkrämer,* i. q. litigiosi, litium cupidi, amantes.

quam in partem acceperit] *Terent. Eun. V,* 2, 37: Equidem pol *in eam partem accipio*que et volo. *Cic. Att.* 10, 3: Cæsar mihi ignoscit per literas, quod non veneram, seque *in optimam partem id accipere* dicit.

verbum — elicere] *Cic. de Orat.* 1, c. 21, §. 97: *verbum ex eo* nunquam *elicere* potui de via ac ratione dicendi.

libros Georgicos] *Colum.* VII, 5: *Georgicum* carmen affirmat nullam esse præstantiorem medicinam. — Ceterum hoc adiect. nomen nusquam legitur.

Tu haec comprimes] i. e. *occultabis.* cf. *Cic. Att.* 10, 4: Non unum eius nec parvum, sed multa magna delicta *compressi.* Id. l. l. 4, 12: Orationem ita *compresseram,* ut nunquam manaturam putarem.

salutem adscribebat] *Cic. Att.* 1, 5 extr.: Terentia magnos articulorum dolores habet, et te et sororem tuam, et matrem maxime diligit *salutemque tibi plurimam adscribit.*

EPISTOLA XVI.

Patribus purpuratis] i. e. sacerdotibus Romanis nomine *Cardinalium* insignitis. *Nolten.* lex. c. 453: *Cardinalis,* Substantive, vocabulum novum, novæ dignitati in curia Pontificis impositum, haud sane respuendum in vita negotiali, et titulorum pompa: in contextu tamen sermonis Latine interdum possis dicere, *purpuratus Romani Pontificis.* Primitus, scribit *Vossius* de Vitiis Serm. 724 *non solum Romani Presbyteri, vel Diaconi, sed etiam primi aliarum civitatum Sacerdotes, quibus nempe titulus seu*

paroecia foret commissa, Cardinales dicebantur.« cf. etiam *Jani* c. 318. De Cardinalium origine cf. *Buddeum, de orig. cardinalitiae dignit.* Jen. 693, 12. *Hase* Kircheng. §. 245. — In ecclesia titulus dignitatis esse cœpit circiter tempore Gregorii Magni. Initio creabantur ab episcopis. Postea legit eos pontifex ex episcopis, presbyteris, diaconis, subdiaconis, ut eis tanquam consiliariis in negotiis ecclesiasticis uteretur. Eo loco habiti sunt in ecclesia post Pontificem, quo reges in politiis post imperatorem. Rubro galero insigniti sunt per Innocentium IV. anno circiter 1205. Sed mortuorum efferendorum cura illis principio commissa erat. Aliter *Cardinarii* dicuntur: Græcis quoque *Καρδηνάριοι*, *καρδινάλιοι* et *καλδηνάριοι*. Vid. *Meurs. Gloss. Graecob.* חַשְׁמַנִּים cardinales interpretantur Judæi Italici, quos arguit *Elias* in *Thisbi*, qui vult illud esse nomen gentis. Sed, si *chaschmannim* sunt *magnates*, *optimates*, ut ea vox vertitur *Ps.* 68, 32 possunt commode cardinales dici etc. *Martin.* lex. philol. s. v. — De Cardinalium muneribus et officiis audias duo hæc carmina de *Curia Romana* v. 580:

Dic age quid faciunt quibus est a Cardine nomen
Post Papam, quibus est immediatus honor?
Expediunt caussas magnique negotia mundi,
Exstinguunt lites, foedera rupta ligant.
Isti participes onerum Papaeque laborum,
Sustentant humeris grandia facta suis.

Et infra:

Nec ratione vacat, quod habent a Cardine nomen,
Deservire solent nomina rebus in his.
Porta suos postes sine Cardine claudere nescit,
Nec bene praeter eos Pastor ovile regit.
Cardo tenet portam, nec quid valet illa remoto
Cardine, sic Papa nil valet absque viris.

Hæc aliaque multa cognitu dignissima reperies apud *Du Cang.* Gloss. Med. Aev. T. 1, c. 171 sq.

sursum ac deorsum] *Terent. Eun.* 2, 2, 47: *Sursum deorsum cursitare. Cic. N. D.* 2, 33: *Sursum deorsum, ultro citroque commeare. Senec. Qu. Nat.* 6, 21: *Sursum ac deorsum moveri.*

calleas] *Cic. Balb.* 14: Ignosco tibi, si Pœnorum *iura* non *calles.* — Observent Tirones, quod monuit *Lindemannus,* V. D. *ad Vitt. Hemsterh.* et *Ruhnken* p. 240 his verbis: *Linguam callere* non dixisse videntur veteres. Omnino notandum est, hoc vocabulum esse comicæ et familiaris orationis. Semel Horatius (*Carm.* 4, 9, 49) *duram callet pauperiem pati,* sed de industria et miro artificio delectum ibi verbum.

alioquin] cf. *Grysar.* S. 484.

certo scio] Addas ad ea quæ iam supra p. 697 attulimus, *R. Klotz.* ad *Cic.* de *Senect.* p. 74: »Si dico *certo scio* contendo id certum esse quod sciam; si dico *certe scio* contendo scire me certum esse« *Herzog* ad Cæs. B. G. VI, c. 31 p. 353: Die Synonymik unterscheidet *certe* von *certo* so, dass ersteres in der Bedeutung *gewiss* sich auf den ganzen Satz und Gedanken beziehe; *certo* nur als Adverb. auf einzelnes Prädicat etc. *Stürenb.* ad *Cic. pro Arch.* p. 191: Mira fuit adhuc hominum doctorum opinio, cum verbo *scio* non posse iungi *certe,* sed omnibus locis, quibus in codicibus legeretur illud *certe scio,* id corrigendum esse in *certo scio.* Hunc gravissimum hominum criticorum errorem optime perstrinxit *Klotzius* ad librum *d. Senect.* 1, 2 p. 74 sq., qui quidem, ut solet, de discrimine disputavit utriusque dictionis: ibi scilicet dictum esse *certo scio,* ubi is, qui loqueretur, voluerit contendere, id certum esse, quod sciret, contra *certe scio,* ubi voluerit contendere, certum esse, se scire: respondere igitur Latinorum *certo scio* nostro *ich weiss gewiss,* contra *certe scio* nostro *ich weiss wirklich.* Addere poterat, nos id, quod Latini in dictione *certe scio* significarunt addito *certe,* plerumque solere exprimere graviore tantummodo sono, quem ponimus in verbo *ich weiss,* melius aliquanto quam additis particulis eiusmodi

wirklich, sicherlich. Consulas adhuc præter *Nolten.* c. 1336. *Jani* c. 337. *Grysar.* p. 509. *Freund* Lat. WB. T. 1 p. 727. *Krebs* Anltg. §. 598. *Wolf.* z. d. Tuscul. p. 327. *Habicht* Syn. p. 170, 236. *Ramsh.* Syn. T. 1, p. 216, 264. *Moser* ad Cic. Remp. 1, 5 p. 26. *Kritz.* ad *Jug.* c. IX, p. 47. *Oxner* ad *Oliv.* Ecl. p. 397 sq. *Kühn.* ad *Tusc.* 1, 1, 2 p. 47 et al.

se colligere] *Hist. Bell. Afr.* 70: amplius duum milium numero ad unum terga vertebant ac rursus ad aciem passim, conversis equis, *se colligebant.*

res magnas misceri] *Cic. Legg.* 3, 9: Omnia infima summis paria fecit, turbavit, *miscuit. Id. Agr.* 2, 33: Malis concionibus, turbulentis senatus consultis, iniquis imperiis *miscere* rempublicam. *Id. Har. resp.* 22: eas habet conciones, ea *miscet* ac turbat ut, etc. *Nep. Paus.* 1: Qua victoria elatus *plurima miscere* cœpit etc. *Cic. Catil.* 4, 3: Ego magnum in republica versari furorem et nova quædam *misceri* et concitari mala.

EPISTOLA XVII.

Usuras] Quid sit *usura,* patet ex *Isidoro, Or.* 5, 25: Usura est incrementum fenoris, ab usu æris crediti nuncupata. De usurarum iam Romanorum nefasto malo cf. *Cic. ad Att.* V, 21 sect. 8. (p. 273 s. ed. Sch., VI, 1, 4, p. 281. 2, 5 p. 298. 300) porro *J. Fr. Gronov.* Obss. IV, 24. *J. A. Ernest. opusc. philol. crit.* p. 12. *Haubold,* Institutt. *J. R. priv. lin.* §. 680 p. 295. *Gothofred.* ad *Digestt.* XXII. t. II. not. 37. quos *laudat Beier* ad *Cic. Off.* II, c. 25, §. 89 p. 168 sq. Adde *Varr.* L. L. V, 183. *Gell.* XVI, 12. *Non. Marc.* 5, 70 *Heinecc. synt. ed. Haub.* S. 544—556. *Niebuhr.* R. G. III, S. 60—78. *Schrader* in *Hugos civil. Magaz.* V, S. 180—184. *J. Müller hist. et ratio odii, quo foenus habitum est cett. Gotting.* 1821. S. 26—57. *Hüllmann* Grundverf. S. 172. *C. Salmasius de*

modo usurarum. Lugd. B. 1639. p. 291. *Sigon. de antiq. iure pop. Rom. Lips.* 1715. S. 329 f. *J. Fr. Gronov. de sestert. Amst.* 1656. S. 484 sq. 495. sq. et *antexeg. I. de centesimis usuris et foenore unciario* p. 63 sq. *Schlossers* universalhist. Uebersicht II, 2. S. 218. *Schültz Staatswissensch. der Römer.* S. 272—402. *Savigny üb. d. Zinswucher des M. Brutus in d. Abh. der Berlin. Akad. der Wissensch. Hist. philol. Classe* v. J. 1818 und 1819. (Berlin 1820) S. 179—188. *G. Noodt de foenore et usuris. Lugd. B.* 1698. II, 4 p. 269. quos laudat omnes liber aureus *Rein d. röm. Privatrecht* (*Leipz.* 1836) p. 301 sq.

tam magni nominis exigere] cf. *Cic. Verr.* 3, 28, c. 10: »Quum per eos ipsos dies, per quos causam Dio diceret, reperiretur pecunias sumpsisse mutuas, nomina sua exegisse, prædia vendidisse.« *Exigere pec.* i. q. nos dicimus *Gelder eintreiben; nomina exig.* est *Schuldposten eintreiben.* cf. adhuc *Nolten.* c. 1384

foeneratorem] Rectius scribitur *feneratorem.* cf. *Nolten.* c. 63. *Grotefend* Gram. II, §. 178 S. 195. *Schneider* Elementarl. S 79* De vocis signif. cf. *Habicht* S. 311, 440. *Ramsh.* Syn. Th. 1, p. 448, 568. — *Cic. Off.* 1, 150: *Primum improbantur ii quaestus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut feneratorum. Gell.* XVI, 12: (*Cloatius Verus*) In Libro quarto, *Faenerator, inquit, appellatus est, quasi φαινεράτωρ, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ἐπὶ τὸ χρηστότερον, quoniam id genus hominum speciem ostentent humanitatis et commodi esse videantur inopibus nummos desiderantibus* cet.

rem facere] i. e. *lucrari,* nos: sich Geld machen. cf. *Ter. Ad.* 2, 2, 12: Nunquam rem facies: abi, nescis inescare homines. Ex Donato. Ut rem facias, rem, Si possis, recte; si non, quocunque modo rem. *Hor. Epist.* 1, 1, 65.

amabo] i. e. quæso. cf. *Plaut. Mil. gl.* 3, 3, 26: Quis hic, amabo, est, qui tam pro nota nominat me? *Id. Bacch.* 1, 1, 19: Non ego istuc facinus mihi, mulier, conducibile esse arbitror. *Ba.* qui, amabo? *Id. ib.* 28: Quid,

amabo, obticuisti? *Terent.* Eun. 1, 2, 70: Id amabo, adadiuta me. *Id. ib.* 50 id agite, amabo. *Catull.* 33, 1: Amabo, mea dulcis.

Aliis locis *amabo te.* cf. *Plaut. Bacch.* 1, 1, 10: Id amabo te, huic caveas. *Id. Men.* 4, 3, 4: Imo edepol pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi, Mihi eam redde. *Cic. Q. Fr.* 2, 10: Amabo te, advola. *Id. Att.* 2, 2: Cura, amabo te, Ciceronem nostrum, etc. cf. *Freund* lat. WB. s. v. T. 1, p. 251.

belli incendio] *Virg. Aen.* 1, 566. *Paterc.* 2, 125. *Flor.* 3, 21.

infecti] *Cic. Legg.* 3, 13: Cupiditatibus principum et vitiis infici solet civitas. Addas *Casaub. ad Pers.* p. 224.

in libertatem asseri] *Lib.* 3, 44: M. Claudio clienti negotium dedit (Ap. Claudius) ut virginem in servitutem assereret. *Suet. Tib.* 2: Claudius Appius virginem ingenuam per vim libidinis gratia in servitutem asserere conatus. *Liv.* 34, 18. 35, 16. *Suet. Vitell.* 10: Qui, . . . quoscunque libuisset, in libertatem asserebant. *Ulp. Dig.* 47, 10, 11 fi.: Qui servus dicitur, seque asserit in libertatem. *Liv.* 3, 45.

abripui] Lege *abripuit.* Est error Typoth.

transversum] *Döderl.* Syn. T. IV, p. 362. *Habicht* p. 598, 900. *Ramsh.* Syn. T. II, p. 552, 1294.

aestus animi] *Cic. de Or.* 3, 36: Repente te quasi quidam æstus ingenii tui procul a terra abripuit atque in altum abstraxit.

concidi proditores] *Cic. N. D.* 1, 33. fi.: Timocratem — totis voluminibus concidere.

luculente scit] *Cic. Finn.* II, 5, 15: Cum Græce, ut videor, luculenter sciam. De formis *luculente* et *luculenter* vide *Ramsh.* Syn. Th. 1. p. CXVI. *Döderl.* Syn. Th. II, p. 84 et Th. IV, p. 318.

videri possint] Exspectares *possit,* quia præcedit *uterque,* sed vide *Zumpt.* §. 69, not. 1 p. 296 et *Kritz.* ad *Sall.* Cat. VI, §. 2, p. 32 et XLIX, 2, p. 227.

in clarissimam lucem perlatum iri] Legendum puto *prolatum iri* cf. *Cic. Arch.* 6: Ego vero fateor, me his studiis esse deditum; ceteros pudeat, si qui ita se litteris abdiderunt, ut nihil possint ex his neque ad communem afferre fructum neque in aspectum *lucemque proferre.* — *Perferre* et *proferre* sæpius confundi docet *Corte* ad *Lucan.* 4, 763, 8, 218.

rationem ducas] *Cic. Sest.* 23: Dignitati esse serviendum, reipublicæ consulendum, officii rationem in omni vita non commodi esse ducendam. *Fam.* 7, 3: Pudori tamen malui, famæque cedere, quam salutis meæ rationem ducere.

EPISTOLA XVIII.

Ex die in diem] *Liv.* 5, 48: Capitolinus exercitus *diem de die* prospectans, ecquod auxilium ab dictatore adpareret. *Caes. B. G.* 1, 16: *Diem ex die* ducere Aedui. »Cave dicas *ex die in diem* seu *de die in diem.* cf. *Jani* c. 517.

in primo — congressu] *Caes. B. C.* 1, 46 p. 132. *Herz.*: Nostri *in* primo congressu circiter LXX ceciderunt.

est in aliqua spe] *Cic. Fam.* XIII, 19, 1: etsi eramus in magna spe.

quasi aliud agens] Nos: *so neben bei, als Nebensache. Cic. Cluent.* 64: Aliud agens ac nihil eiusmodi cogitans. *in Rosc. Am.* 22: Usque eo animadverti eum iocari atque alias res agere, antequam Chrysogonum nominavi; et sæpius.

EPISTOLA XIX.

Dubium est quin] cf. *Bremi* et *Dähne* ad Nep. præf. §. 1. *Ramsh.* §. 179. IV, nr. 3. S. 297. *Zumpt.* §. 541. S. 434. *Krebs* §. 499, 3. S. 361. *Grotef.* §. 240, 11. S. 357. al. *Oth. Schulz.* §. 87, 31 p. 502.

ego antea te] Tolle errorem typogr. *ante a* pro *antea* te consulebam.

ipsa de causa — quo scilicet possim] *quo-ut.* cf. ***Ovid. Her.*** 18, 203: Sed quo mare finiat iram, Accedant, quæso, fac tua vota meis. ***Ibid.*** 20, 23: Fraus mea quid petiit, nisi quo tibi iungerer uni? ***Id. Rem. Am.*** 517: Ne sibi tam placeat, quo te contemnere possit. (Edd. fluctuant) ***Plaut. Poen.*** 3, 1, 30: An vero non iusta causa est, quo curratur celeritur, ubi bibas, edas de alieno? ***Id. ib.*** prol. 38: Neve ambitionis causa extrudantur foras. Quo deteriores anteponantur bonis. ***Terent. Andr.*** 3, 1, 14: Hanc simulant parere, quo Clremetem absterreant; et ***Eun.*** 1, 2, 70: Id adiuta me, quo id fiat facilius.

tecum decidam] ***Cic. p. Rosc. Am.*** 114, c. 39: Si hanc ei rem privatim Roscius mandavisset, ut cum Chrysogone transigeret atque decideret. ***Id. pro Quinct.*** 17: Decidis statuisque tu propter necessitudinem, quæ tibi cum Scapulis est, quid iis ad denarium solveretur. ***Id. in Verr.*** 3, 69: Conflictari malebant, quam quidquam cum isto sua voluntate decidere.

astu quodam] De voc. *astu* origine vid. ***Döderl.*** Syn. T. III, p. 217, 2. Dubito num usquam nomen adiectivum reperiatur additum ad Abl. *astu,* qui casus semper adverbii vice fungatur.

in nationem Anglic. irrepere] ***Gell.*** 1, 6: Rhetori concessum est, sententiis uti falsis, audacibus, subdolis, captiosis, si modo verisimiles sunt et possunt ad movendos hominum animos qualicunque *astu irrepere.*

nihil — aut — aut] pro *nihil — neve — neve.* De hoc usu cf. ***Kritz*** ad ***Sall.*** Jug. c. XVIII, 2 et quos ille laudat ***Bentl.*** ad ***Hor. Serm.*** 1, 6, 68. ***Moeb.*** ad ***Caes. B. G.*** III. 14, p. 170. ***Görenz*** ad ***Cic. Acadd.*** II, 7, 21. ***Hand.*** de Particc. Latt. T. 1. v. *aut*, II, 9 p. 543 sq. Addas ***Ramsh.*** §. 188, 9. N. 1. 189. nr. 3. ***Zumpt.*** §. 337. ***Fittbog.*** ad ***Justin.*** XX, 5, §. 13. S. 307 et ***Grysar.*** p. 507 Anm. 2.

condixissem illi prandium] ***Suet. Tib.*** 42: Seni cœnam ea lege condixit. ***Cic. Fam.*** 1, 9, 20: Nam quum mihi condixisset, cœnavit apud me in mei generi hortis.

Abbatia] cf. *Jani* lex. c. 3. *Grysar* 194. *Lexicon Gr. Ms. Reg. Cod.* 2062: Ἀββᾶς, ὁ γέρων, ὁ πατήρ. *Hieronym. in Ep. ad Galat. lib. 2:* Cum autem Abba Pater Hebræo Syroque sermone dicatur, et Dominus noster in Evangelio nullum Patrem vocandum nisi Deum, nescio qua licentia in Monasteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus. Vide *Eundem* lib. 4 in *Matthaeum.*

Sacerdotes priore tempore laicorum consensu eligebantur et coram populo, ut ex his apparebit: *Hugo Flaviniacensis* in Chron. p. 268: *Quid multa, electio ad Laicos relata est, praeceptum atque consilium praefati Patris, (S. Benedicti,) illis relatum est, in quo omnis assentiret congregatio.* Infra: *Electionem igitur quantum in se erat, laudat Episcopus, et inquirit utrum in hac consentiret Conventus et Populus.* Et pag. 241 de se ipso in Abbatum electo: *Me . . . requisivit ab eo* (Lugdunensi Archiepiscopo) *in Abbatem, quod vix obtinuisset, nisi Canonicorum et Laicorum suffragia ad id expetendum sibi adhibuisset.* Epist. 33. inter Sugerianas: *Notum fieri volumus . . . quod nos omnes S. Richarii Monachi Domnum Petrum Bituricensem Monachum consilio et assensu religiosarum nostrae Provinciae personarum ac Militum, et Procerum nostrorum, Clericorum etiam ac Burgensium regulariter et canonice nobis in Pastorem elegimus.*

Cyprian lib. 1. Ep. 4: *Coram omni synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit et ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur, ut sit ordinatio iusta et legitima, quae omnium suffragio fuerit examinata»* Et infra:

Episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, et unius cuiusque actum de conservatione perspexit. Hæc continentur ap. *Du Fresne* in *Gloss. M. Aevi.* T. 1, c. 10.

raptim ad te scripsi] *Cic. Att.* 2: 9: Subito quum mihi dixisse Cæcilius Quæstor puerum se Romam mittere, *haec scripsi raptim.*

EPISTOLA XX.

Languebam de via] *Cic. Philip.* 1, 12, c. 5: *Qui quum mihi mos notus esset cumque e via languerem et mihimet displicerem, misi pro amicitia qui hoc ei diceret. e via* Cod. Vatic. Bern. Guelf. Bamb. *de via Orell.* in edit. plena, sed in Cic. Oratt. sel. XV. Turic 836. *e via* legitur.

iratos habebam] Cave putes esse *iratus sum.* »Verum quidem est, *habere* c. participio perf. passivi interdum adhiberi perfecto activi circumscribendo, sed huius dictionis ea vis est, ut significetur eam actionem, quæ participio inest, plene quidem absolutam esse, sed talem eventum habere, qui respectu subiecti duret, quum perfectum activi tantummodo rem factam simpliciter enunciet. — Sensus discrimen maximam partem assecuti sunt *Zumpt.* Gr. Lat. §. 634. *Ern. Weber Exercitatt. Stili Lat.* T. 1, p. 165 et *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 1, 15. VII, 29, extr. cett. Hæc verba sunt *Kritzii* ad *Sall. Cat.* XXIII, §. 4, p. 114. Addere placet *Eundem* ad *B. Jug.* 10, 1. 85, 7. 94, 3. *Grysar.* f. 303 et *Stallb.* ad *Ruddim.* II, p. 241. *Ramsh.* §. 171, 1, 2. *G. Fr. Grotef.* §. 227. A. 6. *Krebs* §. 507, 11. *Kühn.* Gr. Gr. Th. II, §. 663, X, S. 363 sq.

prae divinis] Nos: in Vergleich mit cf. *Grysar* S. 448, 2. apud Græcos ἐκ. cf. Il. 4, 96. ἐκ πάντων μάλιστα. 18, 431: ἐκ πάντων, apud Hebr. מִן cf. *Gesen. lex.* v.

Lascarum] Nonne *Andream* illum *Joannem* sive *Janum Lascarim* dicit, qui etiam *Rhyndacenus* nominabatur et a Ludovico XII, rege Galliarum legatus Venetias missus est? cf. *Abel François Villemain Lascaris ou les Grecs du XVème siècle* Paris 1826.

Accursii] *Morery* T. 1, p. 24: *Accurse*, de Florence, un des plus doctes jurisconsultes d'Italie, a vécu dans

le XIII siècle, et il glossa le premier tout le droit. Trithème dit, qu'il professait à Bologne en 1240. Il ne faut confondre ce grand homme avec *François Accurse* son fils, qui avait beaucoup de science et de mérite et qui fût professeur en droit à Bologne, et conseiller du Roi d'Angleterre. Il laissa des glosses sur les quatre livres des Instituts, un livre de questions et d'autres traités. On dit qu'il mourut dans la même ville de Bologne, l'an 1279.

Bartoli] *Morery* T. 1, p. 362: *Barthole,* nâtif de Sassoferrato, qui est un bourg de l'Ombrie que les anciens ont nommé *Sentinum,* a vécu dans le XIVème siècle, et a été un des plus doctes jurisconsultes de son tems. Il enseigna le droit dans les plus célèbres universités d'Italie; et il s'y acquit tant de réputation, qu'on venait de tous les autres endroits de l'Europe, pour étudier sous un si excellent professeur. Barthole était un homme extrêmement laborieux, et si attaché à ses livres, que rien ne l'en pouvait tirer. Cet attachement le rendît sévère et on dit même qu'ayant eu quelque charge de magistrature, il condamnait à la mort sous le moindre soupçon, avec une très-grande rigueur, ce qui le fit haïr du peuple. Pour en fuir la violence, il se retira à la campagne, où il composa une partie des ouvrages que nous avons de sa façon, et qui sont écrits avec peu de politesse. A cela près, ils contiennent des choses assez singulières pour le sujet et pour le tems. Les plus considérables sont ceux-ci, *super Codic. Lib. II. Super ff. veteri Lib. XXIV. Super ff. novo Lib. XII. Super ff. Infortiati Lib. XIV. Super institutis. Consiliorum. De Guelphis et Gibelinis etc.* L'empereur Charles IV voulant lui donner quelque témoignage public de son estime, lui permit de porter les armes de Bohème; mais Barthole ne fut pas assez heureux, pour pouvoir rendre immortelle dans sa famille cette marque d'honneur. Car il ne laissa point de fils, de la femme qu'il avait épousée à Pérouse, où il mourût l'an 1355, âgé de 56, selon Trithème, de 50 ans, sentiment de Volaterran'

ou de 46, comme veut Paul Jove. Ce qui parait plus conforme à cet éloge funèbre que lui dressa Myrtæus:

Hic est Bartholus ille, Juris ingens
Lux et commodus explicator, hic est
Quem mors ante diem abstulit maligna.
Heu mors invida, et aevo iniqua nostro,
Quae leges iterum iacere cogis.

En voici un autre de Latomus,, que je ne crois pas indigne de la curiosité des Savans:

Unquam si poterunt perire leges,
Cum ipsis, Barthole, legibus peribis:
Ast si harum steterit perenne nomen,
Non est quod timeas mori perennis.

Baldi] i. e. *Balde de Ubaldis*, de quo hæc un des *Morery*, T. 1, p. 341 hæc habet: *Balde de Ubaldis* (Pierre) plus célèbres Jurisconsultes de son tems, a vécu dans le XIVème siècle. Il était de Pérouse, fils d'un savant médecin, qui l'éleva avec beaucoup de soin. Balde y répondit très-bien. Il apprit la philosophie et les belles-lettres et ensuite il étudia le droit sous Bartole et fit un si merveilleux progrès dans la Jurisprudence civile et canonique, qu'on le considéra comme celui qui avait le plus fait de découvertes en cette science. Il avait été précepteur du pape Grégoire XII. Sa science lui avait acquis beaucoup de réputation, c'est ce qui obligea Jean Galeas Visconti, duc de Milan, de l'attirer dans l'université de Pavie, où Balde enseigna assez long-tems. On dit qu'il mourut de la morsure d'un chien enragé qu'il caressait, et qui le mordit à la lèvre. Ce fut en 1400 ou 1403. Selon Trithème, âgé de 76 ans. Paul Jove assure que Balde était mort avant Jean Galeas, qui mourut le 3 Septembre de l'an 1402. Ce célèbre jurisconsulte a laissé divers ouvrages: *Super Codice Lib. IX. Super ff. novo Lib XII. Super ff. veteri Lib. XXIV. Super ff. Infortiati Lic. XIV. Super II. Decretalium, Lib. I. Concilia* etc. Balde voulut être enterré avec l'habit

de S. François. On voit son tombeau dans l'église des Cordeliers de Pavie, avec cet épitaphe qui se sent de la rudesse du siècle auquel elle a été faite.

Conditur hic Baldus, Francisci tegmine fultus,
Doctorum Princeps, Perusina conditur arce.

verbosis] *Cic. Fam.* 7, 3 f.: *Habes epistolam verbosiorem fortasse quam velles.* cf. etiam *Döderl.* Syn. III, 81.

ad verbum] Audias *Kraft* in *Epist. Ruhnk.* p. 299, 4: Monendi sunt adolescentes studiosi, ne cum recentioribus temere ponant *verbotenus*, quod nulla veteris scriptoris auctoritate defendi potest. cf. *Cell.* Cur. Post. p. 345. *Jan.* Lex. phil. p. 1717 (Ed. 1. p. 1740).« Quibus adde *Nolten.* p. 764. *Krebs* Anltg. p. 638. *Ruhnk.* Dict. p. 180.

animi tui — inductione] i. e. *persuasio, cum quis in animum induxit, aliquid facere,* secundum *Forcellini* explicationem. *Cic. Q. fr.* 1, 1, 11: Nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, facilem se præbere, præclarum magis est quam difficile: non enim est positum in labore aliquo, sed in quadam *inductione animi* atque voluntate. *Id. fam.* 1, 8: Tantum enim *animi inductio,* et mehercule amor erga Pompeium apud me valet, ut, quæ illi utilia sunt et quæ ille vult, ea mihi omnia iam et recta et vera videantur. —

ad fontes — digitum intendas] *Cic. Or. 1, 46:* ut commonstrarem viam, et ut fieri solet, *digitum ad fontes intenderem.*

in summa] i. e. *ne plura.* Dicitur quoque *ad summam.* cf. *Cic. Att.* 14, 1: *Ad summam* non posse istæc sic abire. *Juven.* 3, 79: *Ad summam* nec Maurus erat, nec Sarmata, nec Thrax, Qui sumpsit pennas. *Cic. Att.* 7, 7. *Famil.* 14, 14. *Hor. Ep.* 1, 1, 106. — *Cic. Q. fr.* 2, 16: Drusus erat de prævaricatione a tribunis ærariis

absolutus, *in summa* quattuor sententiis, cum senatores et equites damnassent; *ib.* 3, 5 f.: Et *in* omni *summa*, ut mones, valde me ad otium pacemque converto. *Just.* 37, 1 f.: Cum eum summi imperatores Sulla, Lucullus ceterique, *in summa* Cn. Pompeius, ita vicerint, ut maior clariorque in restaurando bello resurgeret damnisque suis terribilior redderetur. *It.* 13, 8: Neoptolemus quoque cum Eumene congressus diu mutuis vulneribus acceptis colluctatus est; *in summa* victus occumbit. Vide *Fittbog.* annot. ad h. l. p. 255. *Jani* p. 1639.

doctorum] *Zumpt.* §. 363.

sane hercle] *Cic. Legg.* 2, 4: *Sane* quidem *hercule:* et est ista recta docendi via. *Ter. Andr.* 1, 4, 2: *Sane pol* illa temulenta est mulier. ibiq. *Ruhnk.*

reponam] i. e. *par pari referam. Cic. Fam.* 1, 9: Peto a te, ut id a me in hoc reo non requiras, ne tibi ego *idem reponam*, cum veneris.

ex morbo Gallico] i. e. *me venerea νόσημα ἀφροδισιαστικόν* vel *ἀφροδίσιον Dieter. Jatr.* p. 274 seq. Dicitur alioquin *Morbus Hispanicus*, *Italicus*, *Neapolitanus*, *Syphilis*, *Pudendagra*, *Variola magna.* »*Morbus Gallicus* est intemperies cum materia universalis, sive totius corporis maligna, lenta, per varios affectus particulares et symptomata, tumores, ulcera, exanthemata, nodos, gummata, atrophiam, dolorem nocturnum in scapulis et artubus, virium prostrationem, gonorrhœam et alia sese exserens, ortaque ab intricate heterogenea sanguinis, succi nutritii et nervosi corruptione, congelatione, coagulatione, lenta putredine, per fermentationem inordinatam sese multiplicante et continuante.« *Castell. lex. med. graeco-lat.* Genev. 746. 4. p. 356. Consulas præter laudatos *Schnurreri* librum: *Chronik der Seuchen II, 1825. Henseler Gesch. der Lustseuche* cet.

EPISTOLA XXI.

Armamentarium] Ab *armis* nomen accepit eratque omnis generis *armorum* tormentorumque et machinarum bellicarum repositorium. Unde *Juvenalis* XIII, 83:

Quicquid habent telorum armamentaria caeli.

Laz. Comm. Reip. Roman. IV, 6. Panciroll. Descr. urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom. III, p. 330. E. Stevvich in Veget. 11, 14. ***Jun.*** Batav. c. 10. ***Raevard. Coniect.*** 1, 9. Romæ erat in regione secunda, quæ Cælimontium. ***Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV, 2. Panciroll. Descr. Urb. Thes. Antiq. Rom. Graev. Tom. III. p. 286. C. Donat. de Urb. Rom III, 12.*** Erat etiam prope ædem Telluris. ***Cicer. Arusp. Resp. c. 15: Putant nonnulli ad me pertinere, armamentarium Telluris aperire. Marlian.*** ibid. III, 10. Arma Romæ in illo pompæ magis quam belli causa asservabantur. ***Herodian.*** VII, 11, 13: ***Jussis effringi publicis armamentariis, in quibus pompae magis instrumenta quam belli asservabantur, unde sibi quisque munimentum corporis accomodaret. Panciroll.*** et ***Donat.*** l. l. Præcipua et præ aliis melius instructa erant in limitibus imperii, ut ad subitos incursus hostiles prompte miles armari posset tutandis finibus. Tale fuit celeberrimum illud ***Severi*** Imperatoris in ripa medii alvei Rheni ad littus Oceani in Batavia. ***Berglier de viis milit.*** IV, 21, §. 8. Huius memoriam tuetur lapis e ruinis extractus anno Salutis 1520 et in ædes principis familiæ ***Wassenariorum*** translatus, cuius hæc est inscriptio:

IMP. CÆS. L. SEPTIMUS, SEVERVS.
AUG. ET. M. AURELIUS. ANTONINUS,
CÆS. COH. XV. VOL. ARMAMENTARIUM.
VETUSTATE. CONLAPSUM.
RESTITUERUNT. SUB. VAL. PUDENTE.
LEG. AU. PP. RR. CURANTE.
CÆCIL. BATONE. PRÆF.

Pitisc. Thes. Antiqq. Romm. T. 1, 176.

nomen invenerat] *Cic. Or.* 19: Theophrastus divinitate loquendi *nomen invenit. Id. Div.* 1, 17: Lituus ab eius litui, quo canitur, similitudine *nomen invenit.* Et *ib.* 2, 32: Aius iste Loquens aiebat, et loquebatur, et ex eo *nomen invenit;* et ib. 1, 10: Aristolochia *nomen* ex inventore *reperit.*

EPISTOLA XXII.

Negligentiae meae assignes] *Cic. Brut.* 19: Hæc si minus apta videntur huic sermoni . . . . Attico *assigna. Qu. fr.* 1, 4: Amabo te . . . . ne hoc improbitati et sceleri meo potius quam imprudentiæ miseriæque *assignes. Id. fam.* 6, 7, 3. *Att.* 6, 1, 11. 10, 4, 6. *Planc.* ap. Cic. Fam. 10, 18, 2. *Liv.* 35, 31. *Tac. Hist.* 2, 60. *Nigidius* ap. *Gell.* 4, 9, 2.

Marii Salomonii] *Mario Salomini,* Jurisconsulte romain, s'acquit beaucoup de réputation sur la fin du XVème siècle, et au commencement du suivant sous le pontificat de Léon X. Ce Pape estimait beaucoup Salomini et l'engagea à écrire sur le Digeste; mais il mourût avant d'avoir mis la dernière main à cet ouvrage. Ce fut aussi à la prière du Cardinal Jule de Médicis, qui fut depuis Pape, sous le nom de Clément VII, que Salomini entreprit de soutenir une manière de thèses sur la loi *Gallus in ff. Tit de Liberis et posthumis,* qu'il réduisit depuis en Commentaires, de la manière que nous l'avons encore. Il dédia au même Pape Léon X un traité *De principatu,* et il en publia divers autres *De bono et aequo. De voluntario et involuntario,* etc. *Fischard in vitis Jurisconsult. Gesner.* Bibl. etc. *Morery* T. III, p. 324. Vide etiam *Bunelli* Ep. III, p. 6. Ed. nostr.

Haloandro] » *George Haloander,* Jurisconsulte allemand, était de Misnie en Saxe. Il se distingua par son savoir et par son grand attachement pour les lettres et mou-

rût à Vénise vers l'an 1531 ou 1532. Il fit imprimer les 50 livres des Digestes ou Pandectes, avec un catalogue des Consuls romains et d'autres pièces très-curieuses. Consultez les vies de Jurisconsultes allemands de *Melchior Adam.* « *Morery* T. III, p. 114.

ad ius civile aspirare] *Cic. Or.* 41: Sed hæc nisi collocata et quasi structa et nexa verbis, *ad* eam laudem, quam volumus, *aspirare* non possuut. *Id. Brut.* 21, 84: Nam ut bellica laude *aspirare ad* Africanum nemo potest.

silvam rerum] *Cic. Or.* 3 f.: Omnis ubertas et quasi *silva* dicendi, ab academia ducta est. *Id. Or.* 3, 26 f.: Primum *silva* rerum sententiarumque comparanda est, hæc formanda filo ipso et genere orationis, illuminanda verbis, varianda sententiis. cf. *Ernesti lex. technol.* lat. rhet. p. 359. —

multos locos enarraverat] i. e. *explicaverat, pluribus verbis exposuerat, quae intellectu difficilia erant.* cf. *Gell.* 18, 9: Perseverabat . . . Varronem quoque versum hunc Plauti de Menæchmis:

Haec nihilo mihi videntur esse sectius, quam somnia,

sic *enarrasse:* nihilo magis narranda esse, quam si ea essent somnia. *Id.* XIII, 10: librorum tres continui tricesimus octavus et tricesimus nonus et quadragesimus pleni sunt id genus rerum ad *narrandam* et illustrandam linguam Latinam conducentium.

ante tempus] i. e. *ante diem. Ovid. Met.* 1, 149:

Filius *ante diem* patrios inquirit in annos.

Ib. 6, 675:

Hic dolor *ante diem* . . . . Pandiona misit ad umbras.

Id. A. A. 3, 739: *Ante diem* morior. *Soph. Antig.* 461: *εἰ δὲ τοῦ χρόνου πρόσθεν θανοῦμαι.*

vota facere] *Cic. fam.* 7, 2 f.: Quotidie *vota facimus,* ne intercaletur. *Plin.* 14, 13, 14: L. Papirius dimicaturus *votum fecit,* si vicisset, Jovi pocillum vini.

qualiter] - qua ratione. *Colum.* 1, 4, med. Refert villa *qualiter* ædificetur, et quam utiliter disponatur. *Id.* 8, 2: Consideret, *qualiter* gallinas debeat tueri et pascere. *Mart.* 1, 194: *Qualiter* o vivam! quam large! quamque beate!

accipies] Imo *accepturus sis.*

hoc nuntium] Usitatius dicitur *nuntius* quam *nuntium,* quod poetis relinquendum ac Tacito. cf. *Jani* p. 1204. *Nolten.* c. 1064: *Nuntium* Substantive, genere neutro pro *re nuntiata,* contra veterum usum dici, adeoque non Latinum esse, observarunt *Nonius*, *Lambinus*, *Muretus*, *Valla* L. 6. Eleg. c. 432. *Ant. Schorus* in *Thes. Ciceron.* it. in Phras. it. *Libello de Rat. docendi et discendi L.L.* p. 89 et 164. *Gifanius* Observ. p. 153. *Sciopp.* Paradox. Litter. Ep. 5, p. 6. *Vossius* de Vit. Serm. L. 1. c. 14, p. 61 sqq. et *Reyherus* in Thesauro. *Olaus* vero et *Andreas Borrichii:* quod idem tamen ante illos iam senserat *Goclenius* L. 2. Controvers. Grammat. Probl. 12 p. 84 et Probl. 16, p. 94: contendunt, *nuntius* quidem *masculino* genere frequentius usurpari; sed tamen interdum etiam inveniri Neutrum absolute et Substantive: *ille* quidem in Analect. p. 43 sq.; *hic* vero in Append. p. 162 sq. et *Vindic.* L. 1, p. 146 sq. — Quum igitur probatissimi auctores, Cicero, Virgilius, Horatius, Livius et horum æquales hoc vocabulo nunquam neutrali forma usi sunt: Tibulli vero, Catulli, Lucretii, Livii, Plauti et Varronis loca varietate lectionis vexentur; aut in dubiis et suspectis relinquendum: aut si certa neutrius generis exempla inveniantar, in raris et singularibus scribendum erit. *Cell.* l. c. p. 100 et Discuss. p. 70 sq. Adde *Krebs* Anltg. p. 620.

in quartanam revolvare] i. q. *recidas.* *Terent.* Hec. 4, 4, 69: In eandem vitam te *revolutum* denuo video esse. *Senec. Thyest.* 418: modo fortis fui et lætus: nunc contra *in metus revolvor.* De *quartana* cf. *Gell.* 17, 12. *Cels.* 2, 3.

EPISTOLA XXIII.

A discessu tuo] *Plaut.* Pœn. 3, 3, 4: *Ab* re divina mulieres apparebunt. *Liv.* 24, 22, 6: *Ab* hac concione legati missi sunt. *Curt.* 6, 7, 16: *Ab* hoc sermone dimissus. Ita etiam in Græco sermone: ἀπὸ δείπνου, ἀπὸ τοῦ πολέμου. *Vig. ed. Herm.* p. 580 et *Fischer.* Anim. 3, 2, 108 quos laudat *Freundt* lex. Lat. T. 1, p. 3.

aulicis] *Nep. Dat.* 5. *Suet.* Calig. 18.

EPISTOLA XXIV.

Pedem retrahas] *Virg. Aen.* X, 307: *retrahisque pedem* simul unda relabens.

me quoque dicunt] Hi versus desumpti ex *Virg.* Ecl. IX, 34.

praesentem pecuniam] Nos: *baares Geld*, quæ statim solvitur, debetur. *Cic. Cluent.* 12: Quæ pecunia mulieri legata erat a filio, si qui natus esset, eam *praesentem* Oppianicus non debitam mulieri solvit. *Plaut. Capt.* 2, 2, 8: Quos tam grandi sum mercatus præsenti pecunia; *Petr. Sat.* 109: Pro singulis iniuriis numerabis *praesentes* denarios ducentos. *Ib.* 137: Quidvis nummis *praesentibus* opta.

ad aram] *Donat. ad Ter.* Heaut. 5, 2, 22: *Miseri ad aram ut tuti sint, confugere solent.* Asylum erat Græcis et Latinis: nec ulla fere gens tam barbara, tamque incultis prædita moribus, quæ non in ea re deis ac religioni decesserit, et tutum semper, ac ubique terrarum concesserit ad *aras* perfugium. *Cic. N. D.* III, 10: *Quod vos cum facere non potestis, tanquam in aram, confugistis ad Deum.* Pro *Q. Rosc. c. 11: Erotes, sicut in aram, confugit in huius domum.* — Qui ad *aras* Deorum aut religiosa loca confugiebant, in ius vocari, trahi aut rapi non poterant. Hoc dixerit *Ulpian.* l. 2 ff. de in ius vocando, si legeris apud illum: *In ius vocari non oportet eos, qui propter loci religionem inde semoveri non possunt.* Hoc dicit *Plaut. Rud.* III, 4, 18:

La *Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abducere?*
Dæ. *Non licet: ita est lex apud nos.*

Eoque spectat, quod scribit *Plaut. Most.* v. 1, 43.

— imo primum volo
Quaestioni accipere servos. Tr. Faciundum aedepol censeo! ego
Interim hanc aram occupabo. Th. Quid ita? Tr. Nullam rem sapis.
Ne enim illi huc confugere possint, quaestioni quos dabit.

Cic. pro Domo c. 41: Hic aræ sunt, hic foci, hic dii penates, hic sacræ religionis ceremoniæ continentur, hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit. *Pitisc.*

alicunde] i. q. ἁμόθεν, Od. 1, 10.

corrogabitur] *Caes. B. G.* 5, 102: Vocatis ad se Amphipoli hospitibus et pecunia ad necessarios sumptus *corrogata*. *Cic. Verr.* 2, 3, 79: Ad eos me scribas revoca, si placet: noli hos colligere, qui *nummulis corrogatis* de nepotum donis ac de scenicorum corollariis, quum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt.

EPISTOLA XXV.

In totum] i. q. *ex toto*. *Colum.* 12, 1, med.: Munia, quæ domi capessenda, non *in totum* muliebri officio relinquenda sunt. et *mox:* Ea porro persuasissimum habere debebit, aut *in totum*, aut certe plurimum domi se morari oportere. *Plin.* 2, 90, 92: Natura *in totum* abstulit terras, ubi Atlanticum mare est immenso spatio. *Id.* 31, 7, 42: Res *in totum diversa*. *Id.* 35, 2, 2: Quod *in totum* exolerit. *Id.* 25, 4, 17: *In totum* temeraria medicina, et 10, 4, 5: Marius *in totum* ea abdicavit.

colligendi tui] *Cic. Tusc.* 4, 36, 78: Quid est autem

se ipsum *colligere*, nisi dissipatas animi partes rursum in suum locum cogere?

invidiae procellas] *Cic.* Cluent. 56: Vita tranquilla et quieta, remota a *procellis invidiarum.* Similiter *Dom.* 53. med. Tu *procella* patriæ, turbo ac potestas pacis atque otii. —

nullo negotio] i. e. *facile Cic. Rosc. Am.* 80: Tu hoc propter multitudinem sicariorum, *nullo negotio* facere potuisti. *Id. Att.* 10, 4: Jurabat ad summam, quod *nullo negotio* faceret, amicissimum mihi Cæsarem.

Abundantia quadam amoris] *Cic. Fam.* 1, 9, 1: Quod autem tibi grata mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem *abundantia quadam amoris.*

ad conflandam invidiam] *Cic. Catil.* 1, 9, 23. *Coel.* 12, 29; *Sall. Catil.* 49, 4.

per cuniculos] *Cic. Agr.* 1, 1: Quæ res aperte petebatur, ea nunc occulte *cuniculis* oppugnatur.

dolore contabescendum] *Plaut. Merc.* 1, 2, 92: Edepol cor miserum meum, quod guttatim *contabescit*, quasi in aquam indideris salem. *Cic. Tusc.* 3, 31, 75: Artemisia quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam confecta *contabuit.*

EPISTOLA XXVI.

Existimationem oppugnare] *Cic. Fam.* 3, 10, 8: Quid est, quod minus cadere in eiusmodi naturam possit, quam aut florentissimi hominis aspernari benevolentiam aut eius *existimationem oppugnare* in provincia, cuius laudem domi defenderis.

hanc feci summam cogitationum mearum] Nos: seine Gedanken zusammenfassen. *Cic. Fam.* 1, 9, 10: Hic ego quantum humano consilio efficere potui, circumspectis rebus meis omnibus rationibusque subductis, *summam feci cogitationum mearum omnium*, quam tibi, si potero, breviter exponam.

ieiunos] *Justin.* XXXVIII, 6, 10: animus avidus ac *ieiunus* divitiarum.

sine ulla circuitione] De varietate scripturæ *circuitio* et *circumitio* videas *Schneid. lat. Elementarl.* p. 536. De vocis significatione audias *Auct. ad Herenn.* IV, 32, 43: *Circuitio* est oratio rem simplicem assumptam circumscribens elocutione. *Terent.* Andr. 1, 2, 31: Ita aperte ipsam rem modo locutus, nil *circuitione* usus est. *Cic.* Divin. 2, 61, fi.: Quid opus est *circuitione* et amfractu? cf. etiam *Eiusd. Or.* 61, 204: Quæsitum est, in totone circuitu illo orationis, quem Græci *περίοδον*, nos tum *ambitum*, tum *circuitum*, tum *comprehensionem* aut *continuationem* aut *circumscriptionem* dicimus, an in principis solum, an in extremis, an in utraque parte numerus tenendus sit.

tunc quoque satis maturum] Qui differant *tunc* et *tum* docet *Jahn* ad Virg. p. 355: *Tunc* — uti nostrum »*damals*« est temporis particula, atque ponitur, ubicunque sola et certa temporis monstratio exprimitur. *Tum* autem, *alsdann*, *da*, proprie quidem de ordine sed etiam de tempore dicitur, siquidem præter temporis notionem etiam ordinis et consecutionis vis inest. Docte de his nuper disputavit *Lindemann. de adverbio latino.* Spec. 1, p. 10 sq. qui *tum* Græcorum part. *τότε* et *tunc* voc. *τότεγε* respondere dicit. *Herzog. ad Caes. B. G.* V, c. 33 p. 273: *tum*, *nun* oder *dann* erst, nachdem dies oder jenes vorausgegangen war. Denn in dieser differentia specifica beruht die Eigenthümlichkeit von *tum* und *tunc*, wie auch die Enumerationsweise durch *primum*, *deinde*, *tum* etc. beweist. *Tunc* nämlich heisst *damals*, als irgend ein historischer Fall eingetreten war, also: zu der Zeit, wo auch etwas andres erfolgt war. Ist dieser Unterschied gegründet, so würde *tunc* gleichzeitig und quiescirend sein, *tum* aber consecutiv und den Uebergang zu etwas Anderm bildend. An vielen Stellen jedoch ist in den Ausgaben und Codd. eine Partikel mit der andern verwechselt worden. Man sehe *Wunderlich* zu *Tibull* 1, 1, 21. — Doch ist das Streiten *für* und

wider den Unterschied von *tum* und *tunc* so schwierig und die Masse der Disputation darüber so chaotisch, dass er der weitern Forschung überlassen bleiben muss. Manche nämlich, wie *Huschke* zu *Tibull*, l. l. hält *tunc* für eine Alliteration oder für einen Euphemismus, der durch die folgenden Laute motivirt würde. Bei *Nep. Eum.* III, 4 stehen *tunc* und *nunc* als Gegensätze; aber an allen andern Stellen bei Nep. *tum*. Einer bessern Belehrung gewärtig nehmen wir an, dass *quum* — *tum* als correlativ zu betrachten; *tunc* und *nunc* dagegen contraria sind. Denke ich mir also etwas Vorausgegangenes mit oder ohne *quum*, so folgt richtig *tum*, d. i. *hierauf*, *nunmehr*, *ferner*; will ich aber die *Gegenwart* dem *damals* entgegensetzen, oder von ersterer trennen, so setze ich *tunc*. Demnach steht *tum* näher dem *iam* als dem *nunc*. Adeas velim præter laudatos *Ochsner*. ad *Cic. Ecl.* p. 493. ed. III. *Zumpt.* Gr. §. 285. *Weber lat. Uebungssch.* p. 93. *Klotz* ad *Cic.* Caton. p. 146 imprimis autem *Stürenb.* annotatt. in *Cic. Or.* p. *Arch.* p. 52 et *Fittbogen.* ad *Iustin.* L. II. c. 4, §. 20 p. 55. *Bopp. Abh. üb. einige Demonstrativstämme Berl. 830, p. 18.*

mihi certum est] i. e. *constitutum*, dictio *Plauto* perquam familiaris. e. c. *Asin.* 1, 3, 94: dignos indignos adire, atque experiri *certum est mihi.* Cf. etiam *Cic. Rosc. Am.* 11, 31: *certum* est deliberatumque, quæ ad causam pertinere arbitror omnia dicere. *Liv.* 2, 45: *certum* atque decretum est non dare signum.

EPISTOLA XXVII.

Ab omni doctr. g. instructissimum] cf. *De* præpositione *ab Zumpt*. §. 305.

plusculum audere] *Civ. Or.* 2, 24: Caussæ, in quibus *plusculum etiam* negotii est. *Id. Fam.* 5, 12: *Plusculum etiam*, quam concedit veritas, amori nostro largiare.

subaccusare] i. e. *leviter accusare. Cic. Planc.* 35:

Quod meum discessum quasi reprehendere et *subaccusare* voluisti.

sive profectus est] De modo indicat. post *sive* — *sive* locum habente cf. *Krebs* Anltg. §. 315. *Web.* Uebgssch. p. 14. *Grysar.* p. 506. *Zumpt.* p. 391. *Kühner.* ad *Cic. Tusc.* 1, 18, 42 p. 91.

de facie — noveris] *Cic. Pis.* 82 extr.: Virtutem tu ne *de facie* quidem nosti.

benevolentiam colligere] i. q. *comparare. Cic. Lael.* 17, 61: nec vero negligenda est fama, nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium: quam blanditiis et assentando *colligere* turpe est.

circumcursationes] Vox nusquam obvia ideoque reiicienda. Dicas *discursus.*

percommode cadit, quod] *Cic. de Or.* 2, 4, 15: Hoc *cecidit* mihi peropportune, quod, transactis iam meis partibus, ad Antonium audiendum venistis.

necesse habeo] *Cic. Part.* 13, extr. non *habebimus necesse* semper concludere. *Id. Att.* 10, 1 extr. Eo minus *habeo necesse* scribere, aut etiam cogitare, quid sim facturus.

iuvenem infantissimum] i. e. *dicendi nimis imperitum. Cic.* Cluent. 18 extr. ut timerem, si nihil dixissem, ne infantissimus; si multa, ne impudentissimus existimarer. *Auct. ad Herenn.* 2, 11: Dialectici dum caute et expedite loqui volunt, *infantissimi* reperiuntur.

EPISTOLA XXVIII.

Contra quam] *Liv.* XXX, 10: *contra quam* in navali certamine solet. 19: *contra quam* legibus sancitum erat. *Caes.* B. G. IV, c. 13: quod *contra, atque* esset dictum et ipsi petissent, prælium pridie commisissent. *Herzog* ad h. l. p. 214: *contra* wird κατὰ σύνεσιν als ein *Comparativ* betrachtet wie unser *anders,* d. i. schlechter oder besser. Doch findet sich *atque* nach Comparativen selbst nur selten; *Sue-*

ton. Cæs. 14: *gravius, atque ipse sensisset, sententia excepta.* Vgl. das. *Bremi.* üb. *atque* B. G. II, 6.« Luculentius idem *Herzog.* ad B. C. III, 12 p. 349: Obgleich unsere zu *Sall.* Cat. 60, 5 geäusserte Meinung theilweise bestritten worden, S. *Hand Tursell.* II, 119, so ist doch offenbar, dass zwischen *contra atque* oder *ac* und *contra quam* ein specifischer Unterschied Statt finde und der Natur der Partikeln nach Statt finden muss. *Atque* und *ac* weiset hin auf eine *Parallele,* die gezogen wird, und durch *contra* soll die *Abweichung* angegeben werden; *quam* weiset hin auf etwas das geschieht oder geschehen ist; *atque* also mehr auf die Modalität und Subjectivität des Urtheils; *quam* auf den *Inhalt* oder das *Objective.* Uns scheint die Analogie vorzuliegen in *prius, ante, citra, postea — quam,* in welchen Fällen *quam* jedesmal sich auf etwas Factisches oder Objectives bezieht, auf eine realisirte Handlung; folglich ist in *contra quam* ein materieller oder wirklicher Gegensatz, apodiktisch ausgesprochen. Bei *ac* und *atque* scheint uns unterzuliegen der Begriff der *anzustellenden Vergleichung,* wie etwa *comparatione facta, ratione habita* alius cuiusdam status et conditionis. Wir unterscheiden: *anders, wie* etc. und *gegen* meine Erwartung; oder anders, *als;* so dass dort bloss eine *Differenz* oder *Divergenz,* hier ein *Gegensatz,* ein *Oppositum* angedeutet wird. Man kommt zu der Ansicht, dass *quam* in solchen Fällen gleich einer logischen Partikel dazu diente, etwas *Positives* und *Factisches* zu setzen und durch einen Verbalsatz einen *Substantivbegriff* zu umschreiben, z. B. contra *quam legibus sancitum* erat, für: contra *legibus sancita;* nur dass *quam* ebensowohl Zeichen des *Urtheils* und *Satzes,* als der irgend einer Weise *realisirten* und vollendeten Handlung ist, insofern nämlich durch *quam* als Correlativ von *tam* ebensowohl die *Reflexion* als die Intensität oder Extensivität der Handlung ausgedrückt wird. Eine andere Ansicht, als ob in *contra* ein *Comparativbegriff* enthalten, durch welchen *quam* herbeigeführt, s. B. G. IV, 13. scheint uns jetzt

weniger haltbar. Ueber *als* und *wie* vergl. *Seidenstückers* Nachlass S. 71. ff.«

tecum expostulem] *Plaut. Mil.* 3, 1, 102: Obstetrix *expostulavit mecum*, parum missum sibi. *Cic. Planc.* 24: Ne illum quidem Juventium *tecum expostulavi.* Nos: *mit einem aufbegehren.* Cf. porro *Donat.* ad *Ter. Andr.* 4, 1, 15. et *Hecyr.* 1, 2, 105.

EPISTOLA XXIX.

Supplicum libellorum magistro] Galli hodierni dicunt *maître des requêtes*, magistrats, qui rapportent les requêtes des parties, qui préparent le travail au conseil d'état. (*Minister*, *der die an den Fürsten zu gelangenden Bittschriften einsieht*, *seine Meinung über dieselben an den Rand schreibt und seinen Namen unterschreibt*, s. *Suet.* Oct. 1, *Plin.* Epp. 1, 10, 9. »*Georges* in lex. germ. lat. s. v. *Bittschreiben.* — *Magister libellorum* inventus est ab Imperatoribus posterioribus Augusto. Hic enim libellos preces offerentium continenter per se expediebat, et signabat. Et diu principes ipsi libellis subscripserunt. *Lamprid. Comm.* c. 13: *Commodus in subscribendo tardus ac negligens*, *ita ut libellis una forma multis subscriberet.* Sed cum hoc opus principes fastidire cœpissent, hic *magister plures* scriniarios habuit, qui responsa a principe recepta scribebant. Sub tempus Notitiæ XXXIV erant sub hoc *magistro* libellenses vocati, l. hac parte C. de proxim. sacr. scrin. qui libellos supplices privatorum, non civitatum accipiebant *Magister* eos Principi oblatos legebat et ipse adnotabat, l. ult. C. de divers. rescr. aut libellensibus responsa dictabat l. ult. *Tractabat*, inquit Notit. imp. orient. c. 94. *cognitiones* et *preces.* *Pitisc.* s. v. magister libellorum p. 512, 6. —

nescio quo pacto — est] *Cic. Mur.* 21: *nescio quo pacto semper hoc fit.* *Fam.* 5, 15: *Alii nescio quo pacto obduruerunt.* cf. *Krebs* Anltg. §. 368. *Zumpt.* §. 553. *Plat.*

Georg. 69 in οὐκ οἶδ᾽ ὅντινα τρόπον. *Lucian. Hermot.* 70 f. Omnium optime de formulis, *nescio quo modo, nescio quo pacto, fato, nescio quo, nescio quid* cet. egit beatus *Beierus* ad *Cic. Off.* T. 1, p 292 sq. quem vide. et ad *Fragm.* 45. 242.

patrocinium — suscipere] *Cic.* Or. 34: legitimarum et civilium controversiarum *patrocinia suscipere.*

criminis in me falso collati] i. e. *falso reiecti, translati.* Similiter *Ter. Eun.* 2, 3, 95: Si certum est facere, facias: verum ne post *conferas culpam in me. Cic. Fl.* 17: *Conferre invidiam* mortis alicuius *in* aliquem. *Id. Or.* 2, 43: vitia in adversarios. *Id. Rosc. Am.* 35: suspicionem in aliquem.

nomen delatum] i. e. *accusatum* cf. *Beier.* ad *Cic. fragm.* 174, b. *Adams röm. Alterh.* T. 1, p. 463 sq. *Deferre nomen alicuius* dicitur, qui ad magistratum accedit et rei cuiuspiam nomen accusandi gratia defert: ipse vero magistratus *recipere,* cum accusationem admittit. *Cic. Verr.* 2, 2, 38: Pacilius quidam accedit: ait, si liceret nomen absentis deferre, se velle. Iste vero, et licere et fieri solere, et se recepturum: itaque defertur. *Id. Rosc. Am.* 10: nomen alicuius de parricidio deferre. *Forcell.* Nomen rei deferebat ad prætorem, cui iudicii exercitio obtigisset, is qui accusare paratus erat, idque recipi postulabat, et qua lege reum facere profitebatur. Hoc ideo, quia in libello accusatoris rei *nomen* et species criminis concipiebatur. *Plaut. Aul.* III, 2, 2:

Ad tres viros iam ego deferam tuum nomen.

Cic. pro Dom. c. 19: *Nomen Sexti Propertii detulit. Brisson. Antiq. Select.* II, 1, *Pitisc.* De nefario isto hominum genere, qui apud nos Helvetos *Zehnbätzner* nominantur, audias *Sueton.* Domit. c. 12, 2: Nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo, bona vivorum ac mortuorum usquequaque, quolibet et accusatore et crimine corripiebantur: satis erat obiici qualecunque factum, dictumque adversus maiestatem Principis. Confiscabantur alienissimæ hæreditates, vel existente uno qui diceret audisse se ex defuncto cum vi-

veret, hæredem sibi Cæsarem esse. ***Tib.*** c 61, 7: Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitale acceptum, etiam paucorum simpliciumque verborum. Egregie ***Tacit. Annal.*** IV, 30, 3: Quia Cornutus sua manu ceciderat, actum de præmiis accusatorum abolendis . . . . Sic delatores, ***genus hominum publico exitio repertum,*** et pœnis quidem nunquam satis coercitum, per præmia eliciebantur. Cf. adhuc ***Joseph. Antiqq. Jud.*** XIX, 1. Hoc quæstu cum multi vitam tolerarent temporumque licentia ad calumnias abuterentur, exsilio gravioribusque aliis pœnis id genus hominum a Tito, Domitiano, Traiano, affectum est. ***Suet. Tit.*** c. VIII, 14: Inter adversa temporum et delatores mandatoresque erant ex licentia veteri. Hos assidue in foro flagellis ac fustibus cæsos ac novissime traductos per amphitheatri arenam partim subiici ac venire imperavit: partim in asperrimas insularum avehi. ***Dom.*** c. 9, 9: Fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit; ferebaturque vox eius: ***Princeps, qui delatores non castigat irritat.*** Quo nomine illi gratulatur ***Mart. de Spectac.*** 4. De ***Traiano Plin.*** Paneg. c. 34, 1: Vidimus delatorum agmen inductum, quasi grassatorum, quasi latronum; non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant: nulla iam testamenta secura, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum Principum avaritia. Excidisti intestinum malum. Contigit desuper intueri delatorum supina ora, retortasque cervices. Congesti sunt in navigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti: abirent, fugerentque vastatas delationibus terras. ***Pitisc.***

in omni vitae meae actione] ***Cic. Off.*** 1, 5: Ad eas res parandas, quibus *actio vitae* continetur.

sine ulla dubitatione] Cave dicas: ***sine omni dubit.*** cf. ***Zumpt.*** §. 709, a. p. 576. ***Krebs*** Anltg. §. 131. ***Ruhnk. dict. ad Ter.*** p. 47. ***Vorst. de lat. mere susp.*** p. 98. ***Cellar. Curr. Post.*** p. 191. ***Antib.*** 235. ***Jani*** 1579. ***Nolten.*** 1749. ***Grysar.*** p. 111, Anm. 2. De discrimine inter ***sine ullo*** et ***sine aliquo*** vide sis ***Beier.*** ad ***Cic. Off.*** 1, p. 338.

lectione animum alerent] *Cic. Off.* 1, 30: Hominis mens alitur discendo et cogitando.

inquinantur] *Döderl.* Syn. II, p. 38: *nomine inquinare quem* legitur etiam ap. *Cic. Planc.* 19: Quos tu si sodales vocas, officiosam amicitiam *nomine inquinas criminoso.*

humiliter et demisse] *Cic. Tusc.* 5, 8 extr.: Non est ausus elate et ample loqui, cum *humiliter demisseque* sentiret.

a te ipso deficere] *Cic. Fam.* 2, 16: ut a *me ipse deficerem*, et quod semper fugi, civili bello interessem.

tibi integrum non est] Nos: *es steht dir nicht zu, frei, du kannst, darfst nicht*, res non est in tua potestate. cf. *Cic. Phil.* 1, 10: Loquor de legibus promulgatis, de quibus *est integrum vobis. Id. Pis.* 24 med: *Non est integrum* Cn. Pompeio consilio iam uti tuo. *Id. Tusc.* 5, 21, 62: *Ei ne integrum* quidem *erat*, ut ad iustitiam remigraret. *Id. ad Attic.* IV, 2: mihi integrum est vel facere vel non facere. *Id. pro Mur.* 4: neque est integrum, ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam.

in memoriam redigere] i. e. in m. *reducere.* cf. *Ter. Ph.* II, 3, 36: Ego me nego nosse: tu, qui ais, *redige in memoriam. Rutil. Lup.* de fig. sent. II, §. 6: *redigere vos in memoriam.* ibiq. *Ruhnk.* p. 153. *Frotsch.*

viri amplissimi] De voc *amplissimi* signif. vid. *Död.* Syn. III, 224 sq. *Cic. Rosc. Am.* 30: Is mihi videtur *amplissimus*, qui sua virtute in altiorem locum pervenit. — *ordine decemvirum* cf. *Cic. Verr.* 2, 4, 49: de *consulum, Rep.* 1, 3. de *senatorio, Plin.* Ep. 10, 3. *Suet. Calig.* 49. *Oth.* 8. *Vesp.* 9 cet.

comitatu] *Tac.* Hist. 2, 65. *Ann.* 13, 46.

queas] Apud *Caesarem* et *Nepotem* hoc verbum nusquam legitur. De signif. consulas *Ramsh.* Syn. T. II, p. 393, nr. 1059: ein durch Umstände möglich gewordenes *Können*, sich in der Lage befinden, dass man etwas thun kann. «

dictum velim] *Zumpt.* §. 611. p. 513. *Ramsh.* §. 171, II. A, 2.

experiundo cognosces] *Cic. Fam.* 1, 7: *Experiendo* magis, quam discendo *cognovi.*

adiumentum afferet] *Cic. Off.* 1, 1, 1: Quam quidem ad rem nos, ut videmur, magnum *attulimus adiumentum* hominibus nostris.

depinxi] *Cic. Rosc. Am.* 27: *depingere* vitam alicuius.

cursum tenebo] *Cic.* Or. 1, 4: Si quem aut natura sua aut illa præstantis ingenii vis deficiet . . . *teneat* tamen eum *cursum*, quem poterit.

EPISTOLA XXX.

Magna in offensa] *Cic. Att.* 9, 2: Magna in offensa sum apud Pompeium.

tu vero de me supplicium — sumito] *Cic. Rosc. Am.* 24: Quos poetæ tradiderunt patris ulciscendi causa *supplicium de matre sumpsisse. Plaut. Merc.* 5, 4, 31: *Supplicii* sibi sumat, quod vult ipse, ob hanc iniuriam.

sententiam — complecterer] *Quintil. Instt.* III, 6, 13: sententiam his verbis complecti.

totum praecidisti] i. e. *abnuisti, recusasti. Cic. Att.* 8, 4: Nunquam reo cuiquam tam humili, tam sordido, tam præcise negavi, quam hic mihi. Plane sine ulla exceptione præcidit. *ib.* X, 16: Cupiebam eum esse nobiscum: quod quia præciderat cet. Nos dicimus *rund abschlagen.*

in senatorium ordinem cooptatum] *Ramsh.* Syn. T. 1, p. 292, nr. 380: *cooptare* (con-optare) zum Collegen wählen oder in eine Amtsgesellschaft aufnehmen, welches bei solchen Würden geschah, die von einem Collegio, das ist von Zweien oder Mehrern zugleich begleitet wurden. Z. B. beim Senat, dem Consulat, Censoramt, Tribunat (*Liv.* 5, 11, 4) Pontificat, Augurat u. dgl. von deren Mitgliedern die neuen gewählt und aufgenommen wurden. Vgl. *Cic. Agr.* 2, 7, 18. *Duker ad Liv.* 2, 33, 2 cet.

accepta fero] *Beier* ad *Cic. Off.* II, 160.

propinqui mei efflagitatione] Sic legendum pro errore typoth. *propinquum.* Cf. *Cic. Fam.* V, 19. X, 24.

Subtimide] Hoc vocabulum nusquam legitur ne apud pessimos quidem scriptores, ideoque magnopere fugiendum.

EPISTOLA XXXI.

Memoriam non expellunt] *Caes.* B. C. 1, 34: quos ab urbe discedens Pompeius erat adhortatus, *ne nova* Cæsaris *officia veterum suorum beneficiorum* in eos *memoriam expellerent.*

ponderantur] cf. *Schütz* in *Cl. Cic.*

prompta et parata] Sæpissime ita *prompta* et *parata* iuxta se posita reperis. Cf. *Cic. Fam.* IV, 13: Cetera, quæ tibi a multis *prompta* esse certo scio, a me sunt *paratissima. Id. Agr.* 2, 30: Homines acres, ad vim *prompti,* ad seditionem *parati.* Id *Brut.* 42: *Prompta* et *parata* in agendo, et in respondendo celeritas. *Id. Div. Verr.* 13: Quo *paratior* ad usum forensem, *promptior*que esse possim.

negotiis exsolutus] *Cic. Fam.* 7, 1: Si me *occupationibus* relaxaro; nam ut plane *exsolvam,* non postulo.

tempus — effluat] *Cic. Senect.* 2: Præterita *aetas,* quamvis longa, cum *effluxisset. Id. Att.* 12, 43. extr. Ne *aestas effluat.*

bona profudisse] *Cic. Catil.* 2, 5: Patrimonia sua *profuderunt,* fortunas suas abligurierunt. (Al. obligurierunt.) Vid ibi *Beneke.*

EPISTOLA XXXII.

antiquiorem sibi esse] i. e. *potiorem, cariorem. Cic. Fam.* XI, 5: Nec habui quidquam *antiquius,* quam ut Pansam statim convenirem. *Id. Att.* VII, 3: Ne dubitaris, quin quod honestius, id mihi futurum sit *antiquius. Id. Div.* 2, 37: *Antiquior* ei fuit laus et gloria, quam regnum.

rediit ad ingenium] cf. *Terent.* Ad. 1, 1, 46: si sperat fore clam rursum *ad ingenium redit*, quod *Forcellin.* ita explicat: ad pristinam animi pravitatem, et vitiosos mores, quos diu quis dissimulatione celaverit. Nos dicimus: *auf die alten Sprünge kommen.*

meque singulari perfidia pvodidit] i. e. secundum *Cic.* ad Quir. 9: *me per simulationem amicitiae nefarie prodidit.* —

damnum — resarciri] *i. e. compensari. Cic. Fam. Fam.* 1, 9 in. In meis *damnis* ex auctoritate senatus *resarciendis. Suet. Claud.* 6: *Damnum* liberalitate sua *resarturum* pollicens.

augurium] *Cic. Phil.* 2, 35, 89: O mea frustra semper verissima *auguria* rerum futurarum. *Serv. Aen.* III, 89: Augurium est exquisita deorum voluntas per consultationem avium aut signorum, quod tunc peti debet, cum id quod animo agitamus per augurium a diis volumus impetratum, ut in hoc loco Aeneas. Et est species ista augurii, quæ legum dictio appellatur Legum autem dictio est, cum condicio ipsius augurii certa nuncupatio verborum dicitur, quali condicione augurium peracturus sit, quod hic facit exsequens formas petitionis his versibus.

adolescentiori aetate] *Varro ap. Censorin.* cap. 14: Primo gradu usque ad annum XV pueros dictos, quod sint puri i. e. impubes. Secundo ad XXX annum ab adolescendo sic nominatos. *Isidor. Orig.* XI, 2, 4: Tertia (ætas) adolescentia ad gignendum adulta, quæ porrigitur (ab anno XIV) usque ad vigesimum octavum annum. »*Kühn.* ad *Cic. Tusc.* 1, 39, 94, p. 143: Romani dicebantur pueri usque ad decimum sextum vel septimum annum, quo deposita toga prætexta, induebant togam virilem: adolescentes usque ad annum quadragesimum: viri usque ad annum sexagesimum: tum senes. V. *Bremius* ad Cornel. Nep. Eum. 1, 4 p. 262. Adde *Baumgarten-Crus.* in *Clav. Sueton.* s. h. v.

Modus *comparativus* legitur quoque *Cic.* Fam. 9, 8: *adolescentior* Academia. *Terent. Hec. prol.* alt. 3: Eodem

ut iure uti senem liceat, quo iure sum usus *adolescentior* et sæpius.

EPISTOLA XXXIII.

Usu venit] cf. *Lindemann* de formulis *usu venire et usu evenire*, in *Seebode*, *neuem Archiv; erst. Jahrg. 5 u. 6.* Heft, S. 135—140 et *Cic. Rhetorica* ed. *Lindem. p.* 699. *Gebhard* ad *Famil.* 3, 8. *Gernhard* ad *Cat. Mai.* §. 7. *Moseri Symbolae* ad *Finn.* et *Tusc.* p. 18. *Görenz.* ad Cic. de Finn. 5, 2, 4 et in Addendis p. 703. *Jahn.* Jahrb. f. Phil. Vol. 1, Fasc. 2, p. 316. *Dähne* ad Nep. p. 160. *Heusinger* et *Beier* ad *Cic. Off.* p. 206. Optime refutavit *Lindemannum Orellius*, vir amicissimus in *Wolfs Vorlesg.* ad *Cic. Tusc.* Lib. 1, §. 73, p. 354. Addas *Herzog.* ad B. G. 7, 9. *Kraft.* Epp. Ruhnk. p. 151, 1. *Ellendt.* ad *Brut.* XLIV, 229, p. 166 et *Kühner.* ad *Tuscull.* 1, 30, 73. p. 120.

controversiis — dirimendis] i. e. *decidendis, dissolvendis. Cic. Off.* 3, 33, 119: Quo magis reprehendendos Calliphonem et Dinomachum iudico, qui se *dirempturos controversiam* putaverunt.

propensione] Ni erro, vox ἅπαξ λεγόμενον et apud solum Ciceronem, *Finn.* 4, 17: Qui nulla in re, nisi in virtute, aut vitio *propensionem*, ne minimi quidem momenti, ad summum bonum adipiscendum esse diceret.

EPISTOLA XXXIV.

Pernecessaria] Vox prope uni Ciceroni familiaris.

adamavi] *Döderl.* Syn. IV, 99. *Senec.* Ep. 71: Si virtutem *adamaveris*, *amare* enim parum est.

tandem aliquando] *Beneke* ad Catil. II, 1, 1, p. 107.

colluvie] *Freund.* lat. WB. T. 1, p. 837: »Die Form *colluvies* erst häufig seit der August. Periode; bei Cicero, Livius und Sueton gar nicht; dagegen ausschliesslich bei Co-

lumella, Plinius d. Aelt. und Tacitus; Quintilian hat das Wort gar nicht.« Forma usitatior est *colluvio*. *Liv.* 4, 2: *colluvionem gentium*, perturbationem auspiciorum afferre. *Tac. Ann.* 2, 55: Quod *colluviem* illam *nationum* comitate nimia coluisset.

hominum faece] *Cic. Q. Fr.* 2, 9 med.: Apud illam perditissimam atque infimam *faecem populi*.

distineor] *Döderl.* Syn. III, p. 299.

EPISTOLA XXXV.

Dum esses] Scribere debebat *eras*. *Zumpt.* §. 506, 507. 575.

gratiam rependere] i. q. *persolvere*, *reddere*. *Rependere* h. significatione apud solos *poetas* legitur. Vide *Forcell.* —

funditus evertas] Similiter *Cic. Fin.* 2, 25: *funditus evertere* amicitiam.

in portum hunc literarum] *Cic. Fam.* 7, 30: Quæ quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiæ *portum* contulissem.

vela facere] *Cic. Tusc.* IV, 4, 9: utrum igitur mavis? statimne nos *vela facere*, an quasi e portu egredientes paullulum remigare?

cupiditati angustos cancellos circumdedi] *Cic. Quint.* 10: Me facile revocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circumdedi.

emolumentorum] cf. quæ de huius vocis signific. et origine enucleate disseruit *Ruhnken.* ad *Vell. Pat.* 2, 87.

nae] minus proba scriptura quam *ne*. cf. *Kritz.* ad *Sall. Catil.* 52, 27. *Jug.* 14, 21. 85, 20.

extrema cum primis contexi] *Cic. Fam.* 10, 13: Contexere extrema cum primis. Sec. Forcellini explic. efficere ut extrema eandem cum primis formam, speciem referant.

altius evolaris] *eveharis*, *ascendas*; *Cic. Fam.* 1,

7 med. Quem illi esse in principibus facile sunt passi, *evolare altius* certe noluerunt.

EPISTOLA XXXVI.

Vernacula lingua] i. e. *sermone patrio, nativo. Cic. Off.* 1, 31: *Sermone* eo debemus uti, *qui natus* est nobis: ne, ut quidam Græca verba inculcantes, iure optimo irrideamur.

Sermo vernaculus, lingua vernacula s. *materna* originem barbaram redolent neque apud ullum melioris notæ scriptorem reperiuntur quamquam *Krebsius* in libello egregio *Anleitung zum Lateinschr.* p. 616 et *Grysarius* in *Theorie des lat. Stils* p. 326 has dictiones non respuunt. Addas etiam *Jani* p. 1050.

extra iocum] Recte quidem! Cave enim dicas *sine ioco. Jani* p. 1579. *Cic. fam.* 7, 16: Oro te, quis tu es? sed mehercules *extra iocum* homo bellus es.

EPISTOLA XXXVII.

Suam rem agi] *Hor. Ep.* I, 18, 84: Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet (*in periculo versatur. Lambin.*) *Cic. Manil.* 2, 6.

desiderio contabesco] *Cic. Tusc.* III, 31, 75: Artemisia quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam confecta *contabuit.* Jocose *Plaut. Merc.* 1, 2, 92: Edepol cor miserum meum, Quod guttatim *contabescit,* quasi in âquam indideris salem.

illibenter] Vox nullo loco obvia eamque ob caussam reiicienda.

inconstantissimum] *Senec. Ep.* 99. med.: Populus in omnibus *inconstantissimus. Gell.* 13, 30: Accepit librum *inconstantissimo* vultu et mæstissimo.

stat in eodem vestigio] *Auct. ad Her.* 3, 15: stare in

vestigio. Nos: *Auf seiner Stelle fest stehen bleiben, nicht vorwärts noch rückwärts gehen.*

EPISTOLA XXXVIII.

Senescentem — memoriam] *Cic. Tusc.* 2, 2: Oratorum laus ita ducta ab humili venit ad summum, ut iam, quod natura fert in omnibus fere rebus, *senescat*, brevique tempore ad nihilum ventura videatur. *Vell.* 1, 17: Studium cum spe *senescit*.

memoriam — renovabunt] *Cic. ad Quir.* 3 med.: Frater unus erat, qui suo fletu desiderium mei *memoriamque renovaret*. Consulas etiam *Döderl.* 1, 185.

EPISTOLA XXXIX.

Alte radices egit] *Cic. Off.* 2, 12: Vera gloria radices agit atque etiam propagatur.

mihi crede] *Kraft.* ad Epistt. *Ruhnk.* p. 198, 4: In soluta oratione *crede mihi* pariter vitandum est, ac *sponte sua:* utrumque poetis relinquendum propter choriambum. Semper scribendum: *mihi crede, sua sponte.* Cf. *Jani* lex. phil. crit. p. 457 et 1582. *Nolten. lex. Antib.* p. 1608 sq. *Kühn.* ad Tusc. 1, 31, 75: *mihi crede*], Formula asseverandi, *ἐμοὶ πιϑοῦ, πιϑοῦ μοι.* Observanda est autem hæc verborum collocatio, quam firmiter Cicero tenuit, ut evitaretur exitus pentametri *crede mihi.* Cf. infra c. 43, 103. II, 4, 10. *Fin.* VI, 2, 34. V, 30. *Divin.* II, 16. Cf. *Ramsh.* Lat. Gr. §. 197, 2 p. 628. Ed. II. Alii scriptores, inprimis poetæ, etiam *crede mihi* dicebant. V. *Ochsner* Ecl. Cic. p. 231. Contra illos *Beneke* ad *Cic. Catil.* l. c. 3, p. 33 et *Forbiger* Aufgaben zur Bildung des lat. Stils, Nr. 4, 5 p. 8. *Freund* lat. WB. T. 1, p. 1064: *Mihi crede*, glaube mir, traue meinem Worte, *ἐμοὶ πιϑοῦ* ein Ausdruck der Betheurung, *Cic. Catil.* 1, 3. *Moeb.; Verr.* 2, 4, 12; *Mur.*

19, 40; 38, 82. *Clod.* fragm, b. *Quintil.* Inst. 8, 6, 56; *de Or.* 2, 17, 72; *Off.* 3, 19, 75; *Tusc.* 1, 31; 1, 43, 103; 2, 4, 10; *Fin.* 2, 21, 68; 34, 113; 5, 30, 92; *Divin.* 2, 16; *Fam.* 4, 10; 6, 13, 3; *Ovid. Am.* 2, 2, 9; *Hor. Sat.* 2, 6, 93; *Ammian. Marc.* 14, 10 ad fin.; vgl. mit *mihi credite*, *Cic. Catil.* 2, 7, 15; *Agr.* 3, 4 ad fin.; *Ovid. Met.* 15, 254. In gleichem Sinne (aber seltener bei Cicero) auch *crede mihi: Cic. Att.* 6, 6; 8, 14; 14, 15, 2; *Sulpic.* b. *Cic. Fam.* 4, 5, 4; *Ovid. A. A.* 1, 66; *Met.* 1, 361; *Trist.* 3, 4, 25; *Hor. Sat.* 1, 7, 35; 2, 3, 75; und *crede igitur mihi*, *Cic.* Fam. 10, 6, 2.

EPISTOLA XL.

Memoriam animo affixam] *Cic. Ver.* 2, 5, 53. Causa in anima sensuque meo penitus affixa atque insita.

in — portum consedimus] Scribere debuit *in — portu*, quum rarissime cum *accus.* et *in* iungatur *considere*. Cf. *Zumpt.* §. 489, p. 421.

quaecumque ea sit] Rectius *est.* Cf. *Zumpt.* §. 521. *Krebs.* Anltg. §. 297, p. 294.

morbum inveteratum] *Cic. Phil.* 5, 11 extr. Omne malum nascens facile opprimitur, invetratum fit plerumque robustius.

sectarum] *Jani* p. 1549.

digitum — intendam] *Cic. Or.* 1, 46: Ut commonstrarem viam, et ut fieri solet, *digitum ad fontes intenderem.*

opinionum commenta] *Cic. N. D.* 2, 2, 5: Opinionum commenta delet dies.

exarescent] *Cic. Tusc.* 3, 31: Illa opinio tum non appellabatur recens, cum vetustate exaruit.

recrudescet] *Cic. fam.* 4, 6 med. Nunc autem hoc tam gravi vulnere etiam illa, quæ consanuisse videbantur, *recrudescunt.*

EPISTOLA XLI.

Efflorescat] *Cic. Amic.* 27: Utilitas efflorescit ex amicitia. *Fin.* 1, 20, 69: cum autem usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amorem *efflorescere* tantum, ut, etiam si nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur.

demortui] *Cic. Verr.* 2, 50, 124: Sanxerunt, ne quis emeret mancipium, nisi in *demortui* locum. *Ib.* 4, 5, 9: Lex iubet augurem, in *demortui* locum qui petat, in concione nominare.

EPISTOLA XLII.

Quaedam pestes hominum] *Cic. Fam.* 5, 8: Quædam pestes hominum laude aliena dolentium.

Apellem] cf. *O. G. Müller* Archäologie §. 141.

Lysippum] *Müller* §. 124 et 129.

prorsus manes sunt] cf. *Voss* ad *Virg. Georg.* 4, 469. *Ramsh.* Syn. T. II, nr. 1352, p. 597,

demiror] *Ramsh.* Syn. T. 1, Nr. 899, p. 249.

EPISTOLA XLIII.

Primo loco ponebas] i. e. *pronunciabas, dicebas; Cic. Fam.* 1, 9 med. Quam ob rem, ut paulo ante *posui,* si essent omnia mihi solutissima, tamen, etc. *Fin.* 2, 31: Hoc ipsum elegantius *poni* meliusque potuit. *Liv.* 10, 9: Id ne pro certo *ponerem,* vetustior annalium auctor Piso effecit.

in visceribus haeret] *Cic. Phil.* 1, 15: Aderant in medullis populi R. ac *visceribus haerebant. Id. Att.* 6, 1 med. Noli me putare ἐγκελεύσματα illa tua abiecisse, quæ mihi *in visceribus haerent.* Nos: *sein Andenken lebt im Innersten meiner Seele, ist tief in meinem Gedächtnisse:*

nunquam ei obliviscor; eius memoria animo affixa haeret. —

perfringamus] »Translate illam primam agendi rationem significat, qua res cuiuscunque generis obstantes, adversas ita quasi medias frangimus ac delemus, ut concidant, atque impedimento esse amplius non possint, i. q. superare, vincere. *Cic. Har. resp.* 23: Qui omnes angustias, omnes altitudines, omnium obiecta tela semper vi et virtute *perfregit. Forcell.*

obteramus] *Cic. Fam.* 5, 9, 1: Is pro honore meo malevolorum obtrectationes et invidias prosternet atque *obteret. Id. Caecin.* 7, 18: Calumniam stultitiamque *obtrivit* ac contudit.

EPISTOLA XLIV.

Rationibus subductis] *Plaut. Capt.* 1, 2, 89: Ibo intro atque intus *subducam ratiunculam* quantillum argenti mihi apud trapezitam siet. *Cic. Att.* 5, 21: Assidunt, *subducunt:* ad nummum convenit. *Fam.* 1, 9: *rationibusque subductis* summam feci cogitationum mearum. *N. D.* 3, 29: Medea et Atreus inita *subductaque ratione* nefaria scelera meditantes. Consule etiam *Ramsh.* Syn. T. II, Nr. 1244, p. 519.

damnum — sarcies] i. e. *compensabis. Liv.* 9, 23. med. *Damna* vestra, milites, omnium qui defecerunt, populorum præda *sarcientur.*

sitim expleam] *Cic. Sen.* 8. Diuturnam *sitim explere* cupiens.

stili] cf. *Jani* p. 1621. *Nolten.* p. 1757. *Heindorf* ad Hor. Sat. 1, 10, 72. *Ernest. Technol. lat. rhet.* p. 372. *Spalding* ad *Quinctil.* 2, p. 474 et 4, p. 136. *Ellendt* ad *Cic. Brut.* 26, p. 76. *Krebs* Anltg. p. 636. *Matthiae Theorie d. lat. Stils* 2. *Grysar.* p. 379. *Wolf.* ad *Quinctil.* X, 3 in *Frotsch.* editione p. 134. Rectius scribitur *stilus,* quum græce sit στεῖλος vid. *Grotef. Gr. Lat.* II, p. 175, 180.

retundatur] Similiter *Quinct.* 10, 5: Mucro ingenii quotidiana pugna *retunditur*. *Plin.* Ep. 3, 15: Hebetare et *retundere* aculeos iudicii.

exacui] *Cic. Legg.* 1, 23: *Exacuere* aciem ingenii ad bona diligenda et reiicienda contraria.

EPISTOLA XLV.

Prae Paulo] *si compares cum Paulo*, in Vergleichung mit. Cf. *Caes.* B. G. 2, 30: Gallis *prae* magnitudine corporum suorum brevitas nostra contemptui est. *Nep. Eum.* 10: Videbant, Eumene recepto, omnes præ illo parvi futuros. *Cic. Ag.* 2, 35: Romam *prae* sua Capua irridebunt atque contemnent. *Fam.* 4, 4: Non tu quidem vacuus molestiis, sed *prae* nobis beatus. *Zumpt.* §. 310. *Ramsh.* 155, 1. Not. p. 308. *Grysar.* p. 448, 2.

frigere] *minus placere.* cf. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 182 sq.

desponderant] *Ramsh. Syn.* T. II, Nr. 1050, p. 383 sqq. —

pellicem] cf. *Gell. N. A.* IV, 3. *Fest.* s. v. p. 332. *Athen.* XIII, p. 556 sq. p. 6 sq. *Schweigh. Etym. Gud.* p. 450. *Opuscula varia de Latinitate veterum Jurisconsultorum* edit. *Dukeri*, Lips. 1773, p. 135 sq. quos laudat *Creuzer.* Antiqq. Rom. §. 74.

dimittere] *Suet. Cal.* 25: Matrimonia contraxerit turpius an *dimiserit*, non est facile discernere. — Adeas etiam *Döderl.* III, p. 287. *Ramsh.* Syn. T. 1, Nr. 105, p. 75.

revolvantur] *recidant, redeant. Cic. Att.* 13, 26: Itaque *revolvor* identidem in Tusculanum.

philosophiae moralis] De voce *morali* cf. *Krebs* Anltg. p. 617 et *Grysar.* p. 331. *Cic. Fat.* 1: Quia pertinet ad mores, quos ἤθη Græci vocant, nos eam partem philosophiæ de moribus appellare solemus. Sed decet augentem linguam nominare *moralem*. *Senec. Ep.* 89: Philosophiæ

tres partes esse dixerunt, moralem, naturalem et rationalem. —

fusissime dilatata] copiosissime dicta. *Cic. Tusc.* 4, 26: De cuius excellentia multa quidem dici quamvis *fuse* lateque possint. *N. D.* 2, 7: cum uberius disputantur et *fusius*. *Fin.* 3, 8: *Fuse* et copiose augere et ornare quidpiam. Dubito equidem num præter hunc locum usquam legatur *superlativus*.

dialecticis] *Cic. Fin.* 2, 7: Latius loquuntur rhetores, *dialectici* autem compressius. *Id. Fat.* 6: Diodorus valens *dialecticus*.

architectum] *Plaut. Mil.* gl. 3, 3, 44: Assunt fabri *architectique* haud imperiti. *Metaphorice: Cic. Fin.* 1, 10, 32: Inventor veritatis et quasi *architectus* beatæ vitæ Epicurus.

sive — loquatur] *Zumpt.* §. 522, p. 450. *Krebs.* Anltg. §. 315.

in alienum irruere] Similiter *Cic.* Or. 1, 10: In *alienas possessiones* temere *irruere*.

gloriolae] *Cic. fam.* 5, 12: Et nosmetipsi vivi *gloriola* nostra perfruamur. Ib. 7, 5: Etiam hisce eum ornes *gloriolae* insignibus.

signis collatis] Secundum *Forcell.* explicationem *collatis signis* significat congredientibus æquo campo integris aciebus sub signis et iusto prœlio decertantibus. Nos dicimus *förmlich fechten*. *Cic. Manil.* 23: Qui *collatis signis* exercitus regios superare posse videatur. *Liv.* 2, 50: Aliquoties æquo campo *collatisque signis* certatum est. 38, 41: Prœlio iusto, acie aperta, *collatis signis* dimicandum erat.

quod sciam] *Zumpt.* §. 559.

non insipida] Adiectivum *insipidus* rarissime legitur et dubiæ est auctoritatis, nam *Gell.* 6, 1: Nihil est prorsus istis imperitius, nihil *insipidius*, qui opinantur etc., alii legunt *insubidius*.

Da re ipsa toto cælo aberrat bonus noster Bunellus. Theologica enim usquequaque cum Philosophicis esse consocianda hodie nemo non ignorat nisi forte cæcam fidem putat præferendam esse cognitioni lucidæ atque perspicuæ. Verius iam *Clemens Alex.* Strom. IV, 499 et multis locis *Augustinus*, de ver. rel. c. 5 et c. 8. docent non aliam esse philosophiam et aliam religionem. Egregie etiam *Lutherus* noster suo more libere in Ep. ad *Melanth.* a. 1521 scr. Opp. T. 1, epp. 360. *Vehementer*, inquit, *et toto caelo errare censeo*, *qui philosophiam et naturae cognitionem inutilem putant.*

Sententia ista ab *Ambrosio* (de *Abrahamo* l. II, c. 10) primum proposita de philosophia, theologiæ ancilla iam dudum suo iure explosa.

Philosophiam quidem dicimus, non formulariam illam, quæ argutias venatur, et garrulitate magis quam disputandi subtilitate insignis est, neque scholasticam aut mysticam, ludentem imperitos obscuritate et mysteriis verborum, quæ etiam scholas theologiæ academicas invasit, sed veram et sobriam, veri indagatricem, cui uni, ut Strabo ait, caussarum convenit cognitio, et propria hæc virtus est, ut mentem claris, perspicuis, enucleatus assuefaciat notionibus.« *Eichstädt* Or. de accurata doctrina Principum favore ornata firmissimo dignitatis professoris præsidio. Jen. 1822. 4. p. 14. Minime quoque te pœnitebit consuluisse hos libros: *Frider. Jacobs verm. Schriften.* T. 1, p. 43 sq. *Friedemann Paraenesen.* Braunschweig 1827, p. 130 sq. *L. I. Rückert christl. Philosophie od. philos. Geschichte und Bibel nach ihren wahren Beziehungen zu einander dargestellt.* II voll. Lips. 1825. *Tennemann Gesch. der Philosophie*, Bd. VII. *Philosophie im Dienst der Kirche*, et Bd. VIII: *Coalition der Philosophie und Theologie oder scholastische Philosophie*, et *Troxleri* Viri amicissimi *Vorlesungg. üb. Philos.* Bern. 835. 8. p. 8. Quid sibi velint beati *Schleiermacheri* verba in libro, quem inscripsit, *der christliche Glaube*

nach d. Grunds. d. ev. Kirche. B. 1, p. 11. equidem capere nequeo. Sed de his hactenus.

in tota vita] *Zumpt.* §. 482. *Bremi* ad *Nep.* Præf. §. 5. *Matthiae* ad *Cic. l. Manil.* c. 5, 12. *Herzog.* ad *Caes.* B. C. 1, 12, p. 53. B. G. V, 55, p. 298. *Kühner* ad *Tuscul.* IV, 13, 29, p. 314: Tirones observent, si vox *totus* referatur ad tempus, eam adiunctam habere præpositionem *in*, sin autem ad spatium, præpositionem omitti. — Sic dicitur *tota terra* pro per totam terram, *totis castris*, *totis campis*, *toto corpore*, non *in tota terra*. At pro Ligar. III, 7. in toto imperio populi R. (h. e. intra totum imp.)

amplexu — divelli] *Virg. Aen.* 8, 568.

Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo, cet.

libros suos referserunt] *Cic. N. D.* 1, 13: Puerilibus fabulis *refersit libros*.

in mentibus — insculpere] *Cic. N. D.* 1, 17: Natura *insculpsit in mentibus*, ut deos æternos et beatos haberemus. —

afflatu] *Cic. N. D.* 2, 66: Nemo vir magnus sine aliquo *afflatu* divino unquam fuit. *Id. de Orat.* 2, 46: Poetam bonum neminem sine inflammatione animorum existere posse et sine quodam *afflatu* quasi furoris.

EPISTOLA XLVI.

Tandem aliquando] *Beneke* ad *Cic. Catil.* 1, 1, 1.

in m. cognitione consume] *Cic. Finn.* 1, 1: consumere operam in Græcis legendis.

incurrunt in reprehensionem] *Cic. Fin.* 1, 1: ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret.

EPISTOLA XLVII.

Circumscribitis] *Ramsh.* Syn. T. 1. Nr. 417. p. 331. *Frotsch.* Exc. II. ad *Quinctil.* p. 243. *Heusing.* ad *Cic. Off.*

III, 15 in. *Fittbog.* ad *Justin.* XXXIX, 2, 5. p. 415. *Beneke* ad *Cic.* Catil. II, 4, 7, p. 125. *Herzog* ad *Caes.* B. C. 1, 32, p. 99. Nos similiter: *hintergehen.*

redolent] *Döderl.* III, 132.

idcirco] *Nolten.* p. 79. *Schneid.* Gramm. T. 1, p. 501. *G. Fr. Grotef.* Gr. T. II, §. 195, p. 213. *Grysar.* p. 518. *Ramsh.* Syn. T. II, p. 116, Nr. 765. *Lindem.* ad vit. *Hemsterh.* p. 8 hoc annotat: »*iccirco.* Ita scribendum, saltem pronunciandum esse, docebitur ad Brutum.«

bene agier] *Zumpt.* §. 162, p. 167.

venditare se] *Cic. Att.* 8, 16. Atticus non florentibus *se venditavit,* sed afflictis semper succurrit. *Sull.* 11 et *Liv.* 3, 35. i. e. *se offerre,* sich einzuschmeicheln suchen, feil bieten. *Ramsh.* Syn. 1, Nr. 174, p. 130.

EPISTOLA XLVIII.

Simulacra — calamitatis] *Cic. Off.* 1, 15: Vivitur non cum perfectis hominibus, sed cum iis, in quibus præclare agitur, si sunt *simulacra* virtutis. ibiq. *Beier.*

Neptunum] per metonymiam pro *mari* positum. Hoc modo *Virg. Georg.* 2, 113: *Bacchus* amat colles. 1, 279: At rubicunda *Ceres* medio succiditur æstu. *Aen.* 1, 701: *Cereremque* canistris expediunt. 7, 550: Accendamque omnes insani *Martis* amore. *Georg.* 4, 28: Si forte morantes sparserit, aut præceps *Neptuno* immerserit Eurus. *Ecl.* 4, 32: Tentare *Thetin* ratibus. *Aen.* 7, 77: Totis *Vulcanum* spargere tectis. *Ovid. Trist.* IV, 5, 5: ut vigil infusa *Pallade* flamma solet (*oleo*). *Jani ars Poet.* p. 403, §. 15. Eod. modo *Schillerus* noster: Das Reich der *freien Amphitrite* will der Britte schliessen, wie sein eignes Haus.

EPISTOLA XLIX.

Perstrinxisti] *Ramsh.* Syn. T. II, Nr. 1063, e. p. 397. —

felix et beatus] *Habicht* Syn. Nr. 181, p. 134. *Ramsh.* T. 1, Nr. 202, p. 161.

consequens est] i. e. *sequitur*. *Cic. Legg.* 1, 5: Quoniam scriptum est a te de optimo reipublicæ statu, *consequens* esse videtur, *ut* scribas tu idem de legibus.

schedas] *Cic. Att.* 1, 20: Pætus mihi libros eos donavit . . . . Enitere, ut *scheda* ne qua pereat. *Quinct.* 1, 8, 19: Nam qui omnes etiam indignas lectione *schedas* excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest.

EPISTOLA L.

Destinentur] Ita scriptum exstat in Ed. Steph. Legendum est *distinentur*, quæ verba sæpissime confunduntur. cf. *Cort.* ad *Lucan.* IV, 675.

reverendissime] Dicere debebat *summe reverende*, quia participia in *dus* terminantia apud veteres et præcipuos linguæ Latinæ scriptores comparationum gradus non admittunt. *Cellar. Cur. Post.* 428. *Nolt.* 713. *Voss.* de vit. serm. p. 90. *Jani* p. 1510. *Grysar.* p. 367. *Krebs.* p. 632.

ex insidiis] *Caes.* B. C. 3, 37. *Sall. Jug.* 121.

pupugerunt — me] i. e. *cruciant*, *agritudine afficiunt*, *laedunt*. *Cic. Att.* 2, 16: Epistola illa ita me *pupugit*, ut somnum mihi ademerit.

de instauranda religione] Rectius dicas de *reficienda* rel., minime vero *restauranda* seu *instauranda* cf. *Cell.* Cur. Post. p. 147. *Nolten.* p. 1150. *Jani* 1484. *Grysar.* p. 366. *Kraft* ad Epist. *Bentl. Graev.* etc. p. 322, 4. *Krebs* Anltg. p. 632. *Ramsh.* Syn. T. II, p. 83, Nr. 735. *Döderl.* Syn. IV, p. 301, 3. *Böttich.* Lex. Tac. s. v. *Fittbog.* ad *Justin.* II, c. 10, §. 1, p. 72. *Kraft* Anltg. zum Uebers. T. II, p. 62, 10.

praepostere] *Cic. Att.* VII, 16: Omnes arbitror mihi tuas literas esse redditas, sed primas *praepostere*, reliquas *ordine*. *Ramsh.* Syn. T. II, Nr. 1028, p. 365. *Grysar.* p. 310.

EPISTOLA LI.

Hoc nescio quid literarum exarare] *Cic. Att.* 13, 38: Ante lucem cum scriberem contra Epicureos, de eodem oleo et opera *exaravi nescio quid ad te.*

arx ista literarum] *Auct. Dial. de Orat.* 10: *arx* eloquentiæ. *Prisc.* præf. Gramm. *Arcem* musicæ possidere.

abundantia amoris] *Cic. Fam.* 1, 9, 1: abundantia quadam amoris.

EPISTOLA LII.

Benevolentiam elicerem] *Liv.* 8, 28: quæ ætas formaque *misericordiam elicere* poterat.

iurisdictioni] i. e. *iuris administrationi.* cf. *Jani* p. 1092. —

EPISTOLA LIII.

Animus meus aestuabat] *Sall.* Or. 2, *de rep. ord. Aestuare*; multaque in pectore volvere. *Suet. Claud.* 4: Semper æstuabimus, si de singulis articulis temporum deliberabimus. *Cic. Verr.* 2, 2, 30: *Aestuabat* dubitatione, versabat se in utramque partem non solum mente, verum etiam corpore.

labentis et inclinatae] Eodem modo coniunguntur *labens* et *inclinatus. Cic. ad Brut.* 1, 18: Ferre præsidium *labenti* et *inclinatae* reipublicæ. *Fittbog.* ad *Justin.* 1, 10, 15.

acerrime contemplandas] *Cic. Fl.* 11. sub f. Ut totam caussam quam maxime intentis oculis, ut aiunt, *acerrime contemplemini.*

colligere] *Cic. Off.* 2, 16, 57: Bene etiam *colligit*, hæc pueris et mulierculis — esse grata.

alio morbi — caussam conferunt] Ut *Plaut. Amph.* 2, 2, 156. *Ter.* Eun. 2, 3, 95: Si certum est facere facias: verum ne post *conferas culpam in me. Cic. Att.* 9, 2 culpam conferre in quem; *Id. Att.* 12, 31. *Liv.* 5, 11: causam conf. in quem. Nos: *die Schuld schieben auf.*

ad voluntatem non fluerent] *Tac. Ann.* 15, 5: Nec præsentia prospere *fluebant.*

insimulant] *Döderl.* II, 167.

operum deposceret] *Cic.* Phil. 3, 33: Idem non modo non recusem, sed appetam etiam atque *deposcam.* Id. *Manil.* 2: Pompeium unum ab omnibus ad id bellum imperatorem *deposci* atque appeti. *Ramsh.* Syn. II, p. 367, Nr. 1031. *Herzog* ad *Caes.* B. G. VII, 1 et *Fittbog.* ad *Justin.* XXXII, 4, 3. 8.

atram bilem] *Schneid.* Gr. II, p. 228. *Cic. Tusc.* 3 5, 11: Quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant. Quasi vero *atra bili* solum mens, ac non sæpe vel iracundia graviore, vel timore vel dolore moveatur.

non quo esset] *Zumpt.* §. 537. *Ochsner* Ecl. Cic. p. 81. *Kritz.* *ad Sall. Cat.* p. 158. *Kühn.* ad *Cic. Tusc.* II, §. 64. *Orelli* ad *Wolf.* Scholl. in Tusc. p. 387.

usquequaque] *Cic. Fin.* 5, 30: An hoc *usquequaque* aliter in vita, et non ex maxima parte de tota iudicabis.

lineam — transiliat] Ulterius progrediatur, quam licet. *Cic. Parad.* 3, 1: Peccare est tanquam transilire lineas: quod cum feceris, culpa commissa est: quam longe progrediare cum semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet.

in alteram partem — propendeat] *Cic. Or.* 2, 29: Necesse est, ut is, qui nobis caussam adiudicaturus sit, aut inclinatione voluntatis *propendeat in nos* cet.

homunculo] *Sulpic.* ad *Cic.* fam. 4, 5: Hem! nos *homunculi* indignamur, si quis nostrum interiit, cum uno loco tot oppidum cadavera proiecta iaceant. *Plaut.* Capt. prol. 51 et *Rud.* 1, 2, 66: Hui! *homunculi,* quanti estis.

tanguntur] i. e. *afficiuntur.* *Ovid.* A. A. 3, 541: Nec nos ambitio, nec *amor* nos *tangit* habendi. *Id. Met.* X, 614: Nec forma *tangor,* poteram tamen hac quoque *tangi.* *Liv.* 3, 7: Si vos urbis, si vestri nulla cura *tangit:* at veremini deos.

dilui] *Cic. Rosc. Am.* 15: Ego res tam leves qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum.

acta Dei — rescindere] i. e. *irrita esse iubere. Cic. Phil.* 13, 3: *Acta* Antonii *rescidistis*, leges refixistis. *Id. Verr.* 2, 2, 26.

traducam] *Crus.* in *Cl. Suet.* p. 776 sq. et *Drakenb.* ad *Liv.* 42, 22, 6. de *transducendo* et *traducendo.*

EPISTOLA LIV.

turpi secernis honestum] *Hor. Sat.* 1, 6, 63; *turpi honestum.* et ib. 1, 3, 113: iusto secernere iniquum. *Cic.* N. D. 2, 47 f: Beluæ secernunt pestifera *a* salutaribus.

tamquam me alterum] Nos: *wie mein zweites Ich.* Similiter *Cic. amic.* 21: Amicus est *tanquam alter idem Id. fam.* 7, 5: Vide quam mihi persuaserim te *me* esse *alterum.*

redundare] *referri*, *recidere. Cic. Or.* 1, 1: Hoc tempus obiecimus iis fluctibus, qui per nos a communi peste depulsi, *in nosmet ipsos redundarunt. Id. Catil.* 1, 12: Verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiæ mihi *in posteritatem redundaret.*

EPISTOLA LV.

Incursabit — in nos dolor] *Cic. Att.* 12, 41: Quod nisi fieri videro, (audebo hoc dicere, et tu, ut soles, accipies) *incursabit in te dolor.*

distributionis] *Auct. ad Herenn.* 4, 35: *Distributio* est quum in plures res aut personas negotia quædam dispertiuntur.

incorrupte iudicant] *Cic. Fin.* 1, 9: *Incorrupte* atque integre natura iudicante. *Cic. Marc.* 9: Qui multis post sæculis de te iudicabunt, et quidem haud scio an *incorruptius* quam nos.

accurrunt] *Suet.* Calig. 58: in auxilium. *Sil. It.* 14, 404: ad opem.

architectos — fortunae] i. e. auctores. cf. *Cic. Fin.* 1, 10: Inventor veritatis et quasi *architectus* beatæ vitæ. *Id. Cluent.* 22: Princeps atque *architectus* sceleris.

EPISTOLA LVI.

Crimen defugerem] De differentia *defugiendi* et *dif-*

fugiendi vide *Davis.* ad *Caes. B. G.* 1, 82. ed. *Herzog. Drakenb.* ad *Liv.* 5, 38, 8.

allegarem] Cf. *Fittbogen* ad *Justin.* XVI, 1, 10.

consiliario] *Cic. Fam.* 1, 9: Et ego te auctore amicissimo et sapientissimo et tu me *consiliario* fortasse non imperitissimo, fideli quidem et benevolo certe, usus esses, ibiq. *Manut.*

impulsore] *Cic. Att.* 16, 7: Quamvis non fueris suasor et *impulsor* profectionis meæ, approbator certe fuisti.

imposita fuerunt] i. e. *illata* f. *Cic. Att.* 1, 16 med. *vulnera* reipublicæ *imp.*

abrogandis] »*Abrogare* idem fere est atque *antiquare.* Hæc tamen differentia intercedit, quod proprie *antiquabatur* lex, quæ promulgata non recipiebatur, *abrogabatur* vero ea, quæ postquam perlata erat retractabatur.« *Forcell.*

pedetentim] cf. *Döderl.* 3, 98.

seminarium] Epit. *Liv.* 39: Bacchanalia scelerum omnium *seminarium. Hieron.* Ep. 27, Nr. 2: *Seminarium rixarum.*

radicitus evelli] *Cic. Dom.* 13: Videsne, me non *radicitus evellere* omnes actiones tuas.

circumcidas et amputes] *Cic. Fin.* 5, 14: Quæ sit scientia atque ars agricolarum, quæ *cirumcidat, amputet* etc. *Idem Acad.* 4, 45: Testatur Chrysippus tres solas esse sententias, quæ defendi possint: *circumcidit* et *amputat* multitudinem. *Ib.* 1, 13: Sapiens solum, *amputata circumcisaque* inanitate omni et errore, naturæ finibus contentus.

exeduntur] *Cic. Tusc.* 3, 13: Aegritudo lacerat, *exest* animum planeque conficit.

concertationibus] *Cic. Or.* 2, 16. *Id. Div.* 1, 30.

aetatem contererent] *Cic. Legg.* 1, 20: Aetatem in litibus conterere.

causidicos] *Apul. Apol.* Patroni litigatorum *caussidici* appellantur, quod, cur quæque facta sint expediant.

honorarium] *Ulp. Dig.* XI, 6, 1: Non crediderunt veteres, inter tales personas (*mensores agrorum*) locationem esse, sed magis operam beneficii loco præberi: et id, quod datur, ei ad remunerandum dari: et inde *honorarium* appellari.

INDEX
IN
ANNOTATIONEM.

Numerus indicat paginas libri.

A.

Ad.

Ar.

As.

At.

Au.

Av.

Ba.

Be.

Do.

Gr.

Gu.

Ha.

He.

Kr.

Ku.

La.

Le.

Li.

Lo.

Lu.

Ma.

Ra.

Re.

SYMBOLÆ AD LIBROS, QUI VULGO ANTIBARBARI NOMINANTUR.

A.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

S.

T.

U.

V.

ERRATA.

Pag.

10. lin. 10. lege: *tam bene.*
16. Ep. IX. lin. 7. lege: *equos alendos.*
19. ab ima. lin. 7: *noli commoveri;*
— — — — 17: *aderas. Ubi.*
— — — — — *mea fides*
— — — — 20: *desiderare*
23. — — — 8: *perinde*
24. l. 5. *nomine*
— — 6: *vel*
25. ab ima. lin. 4: *liceantur:*
— — — — 7: *quaeris? Incendi*
27. — — — 2: *abripuit*
28. — — —20: *iudicio:*
30. l. 5: *Ego ut in*
— — 8: *si quando in*
— — ab ima l. 9: *literarum tuarum*
31. l. 2: *antea te consulebam.*
35. l. 2: *distinctam,*
— ab ima l. 1: *dissiparunt, Luth.*
37. — — — 5: *esset*
39. — — — 2: *pastores: sed*
43 l. 12: *ipsi*
44. l. 5: *Cornelio*
45. ab ima l. 9: *quibus*
46. — — l. 1: *Bayfio*
49. l. 11: *praesens*
50. l. 5: *tu vero de me*
— — 10: *a me libenter*
— — ab ima l. 7: *propinqui*
— — — — — 9: *et*
57. l. 17: *circumdedi*
58. Ep. XXXVI. lege: *P. Bunellus Eidem.*

Pag.

61. l. 3: *interim*

— Ep. XXXVIII. l. 8: *exstinctam*

64. l. 2: *profectione*

— — 3: *quid optare*

65. l. 7: *mitiorem facient*

67. ab ima l. 3: *matris*

69. — — l. 9. *plus quam*

72. — — l. 14. *ancillas theologiae,*

75. — — l. 6: *iudiciisque*

91. — — l. 10: *quae, etiam*

— — — l. 11. *post Deum*

93. l. 2: *consiliario*

96. ab ima l. 19: *triumphavit.*

99. l. 13: *probo. Sed hoc ipsum apte*

101. Ep. III. l. 9: *frater is*

105. ab ima l. 1: *monuisti. Illa, illa*

107. l. 2. *ut volumas:*

— — 15. *salutatoribus tribuam.*

112. l. 13: *qua epulae*

— — — — *sermonibus*

113. l. 8: *dimitte. Utrumque*

— Ep. VII. ab ima l. 9: *admirabar. Communia*

— — — — — — 16: *laudabilia;*

— — — — — — 13: *disciplinas —*

— — — — — — 14: *quodam temporum dicam, an hominum iniuriis? exulantes — exciperet,*

113. Ep. IX. l. 3: *etsi*

— — — — 4: *carisimi:*

116. l. 5: *conspectu meo sis,*

— — 9: *simul anni*

122. l. 2: *possumus)* — *exstingui tecum velis.*

123. ab ima. l. 2: *earum*

124. Ep. XVII. l 4: *saepe; tantumne?*

128. l. 8: *inania,*

— — 14: legendum puto: *impertita*

135. l. 16: *quae tua, cognosce.*

138. Ep. XXVIII extr. *similibus honestabor*

Reliquas epistolas oculis diligentius perlustrare nondum propter temporis augustias mihi licuit.

In Annotatione.

649. l. 5: *Stephan.*

653. ab ima. l. 14: *Liv.* 38, 9, 2.

656. l. 9: *adiunctam*

Pag.
661. l. 8: *Amer.*
— — 11: *eiusmodi*
665. ab ima. l. 15: *ὀνοματοποιεῖν,*
666 l. 17: *vitii teterrimi.*
671. l. 2: *gratias agere, at*
— — 14: *ἀντιχαρίζεσθαι.*
688. ab ima. l. 15: *Deambulationes*
696. l. 6: *pernegabo,*
— ab ima. l. 10: *Poggianum*
698. l 6: *Mihi persuasum est*
703. ab ima. l 7: *Aul.* 4, 2, 13.
704. l. 1: *ne igitur.*
— ab ima. l. 11: *εὐδαιμονίαν*
— — — — 9: *scribendae.*
705. — — — 2: *damit, dass nicht,*
709. — — — 2: *Apud Hebraeos quoque* ita קָדוֹשׁ
715. Ep. XVII. l. 5: *Jahns*
735. l. 10: *Chremetem*
— ab ima l. 5: *Zumpt.*
737. — — — 3: *siècles. Paris*
741. — — — 16: *re venerea.*
746. l. 8: *Freund*
754. l. 16: *Alterth*
759. l. 7: *prodidit*